DISQUISITIO CHRONOLOGICA DE SUCCESSIONE ANTIQUISSIMÂ EPISCOPORUM...

Johann Philipp Baratier

Digitized by Google

Digitized by Google

9. 4. 107

Digitized by Google

DISQUISITIO CHRONOLOGICA
DE
Succeſſione Antiquiſſimâ
EPISCOPORUM
ROMANORUM INDE A PETRO USQUE
AD VICTOREM.

UBI

Occaſione datâ

De pluribus aliis ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantibus agitur.

Accedunt quatuor Diſſertationes, Duæ de Conſtitutionibus Apoſtolicis dictis, Una de ſcriptis Dionyſii Pſeud-Areopagitæ, & Una de annis Agrippæ Junioris Judæorum Regis.

AUCTORE

JOHANNE PHILIPPO

& Regiæ Pruſſicæ Societatis Sodali.

ULTRAJECTI,

STEPHANUM NEAULME.

M. DCC. XL.

Digitized by Google

2.4.107

Digitized by Google

VIRO PLURIMUM REVERENDO, DOCTISSIMO,

D. PHILIPPO PELISSON V. D. M.

Fideliſſimo, Coetûs, qui apud BREMENSES floret, Gallici Paſtori vigilantiſſimo,

Fratri in D. N. J. C. intime dilecto, exoptatiſſimo

S. P. D.

JOH. HENR. LE MAITRE

Celſiſſ. Schaumburgi & Lippiæ Comiti à Sacris.

Exeunte menſe Majo, quo in itinere Lipſienſi, Halæ BARATERIOS meos, in familiaris conſuetudinis noſtræ ſocietatem, jure mecum jam contracto, venturus, viſebas, cum ſchedas haſce mihi creditas, ipſe modo ad iter Helveticum accinctus, Pl. Reverendo & Clariſſimo D. BONVOUST, veteri Ven. BARATERII Patris amico, Librario commendandas transmitterem, tunc per temporis anguſtiam non potui, quam voluiſſem, fœtui

Digitized by Google

huic obſtetricem præſtare operam. Nunc è Patria redux, lubens audio Typographum, honeſtiſſimum virum, utilitatisque publicæ ſtudioſisſimum, commendationi noſtræ facilem aurem præbuiſſe, adeo ut, abſque mora, ſcriptum BARATERII noſtri prælo ſubjicere decreverit. Rem igitur & Tibi, Vir plurimum Reverende, Frater exoptatiſſime, & lectoribus cordatis quibusvis, gratioſam me facturum confido, ſi fidem datam liberaturus, hîc ad Te, ceu teſtem digniſſimum, graviſſimum, gratiſſimum, de Auctore, cui ſpecimen hoc ſtudiorum Criticorum, Criticum hoc ſæculum noſtrum debet, pauca præloquar, Hiſtorici, non Præconis aut Encomiaſtis vice functurus. Equidem parum aberat quin conſilium, antequam Helvetios eos viſiſſem, cœptum abjicerem, poſtquam ex ſuaviſſimis colloquiis, quibus me literati Tigurini, Bernates, Lauſannenſes, Genevenſes, bearunt, abunde intellexi, haud opus eſſe, ut in gratiam Exterorum, quod in animum induxeram, Auctori noſtro teſtimonium perhiberem, quale potius BARATE-

RIUM

RIUM meum mihi, ſi uſus foret, impertiri vellem. Non enim ſine magna voluptate vidi, in manibus & oculis doctiſſimorumquorumvis eſſe & *Hiſtoriam* pueri, (*a*) jam à primo vitæ ſuæ ſeptennio clari, & Primitias lucubrationum, quibus à decimo & undecimo ætatis ſuæ anno, Rempublicam literariam locupletavit, veluti *Notitiam Bibliorum Rabbinicorum*, Anno MDCCXXIV. Amſtelodami (*b*) editorum, & Hebraicum *Itinerarii R. Benjaminis Tudelenſis* textum, Gallice redditum, adnotationibusque & Diſſertationibus Criticis, vel conſummatiſſimo Philologo non indignis, (*c*) illuſtratum, & *Anti-Artemonium* à BARATERIO noſtro, decimum quartum demum annum agente, quamvis, ob inſtantem eo tempore μετοικεσίαν, paulo feſtinanter & ſtilo identidem audaculo ſcriptum, ætatem

(*a*) Vide amplam ejus recenſionem in Bibliotheca Germanica Tom. *XVII.* Art. *III.* p. 78. ſqq. conf. Tom. *XIX.* p. 183. ſqq. Tom. *XXIII.* p. 219. ſq.
(*b*) Exſtat hoc de opere Diſſertatio Epiſtolaris BARATERII in Biblioth. Germ. T. *XXVI.* Art. I. p. 1. ſqq.
(*c*) Recenſetur & hic liber in Biblioth. Germ. T. *XXX.* Art. IV. p. 115. ſqq.

Digitized by Google

tem Auctoris prodente, qui ceu juvencus Virgilianus,

Jam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.

Et hunc tamen librum, de ſtupenda Antiquitatum Eccleſiaſticarum peritia, & rariſſimi exempli ingenio, non minus ac de laudabili veritatis Evangelicæ zelo teſtantem (*d*), & *Conſpectum Operis Hæreſiologici*, jam tenella illa ætate ab Auctore magna ex parte congeſti (*e*), & ſpecimen ejusdem operis Ephemeridibus literariis inſertum (*f*). Nec magis BARATERIO, quam almæ *Fridericianæ* & *Regiæ ſocietati ſcientiarum Berolinenſi*, laudem honoremque apud exteros peperit, quod anno MDCCXXXV. illa quidem hoſpitem quatuordecim vix annos natum, cum venerando patre, Clariſſimi Viri D. DE MAUCLERC Collega deſignato, Stettinum contendentem liberaliter excepit, atque

(*d*) Refertur in Biblioth. Germ. T. *XXXIII*. Art. *VIII*. p. 135. ſqq.
(*e*) Conf. loc. cit. Art. *IX*. p. 144. ſqq.
(*f*) Habetur etiam hoc Documentum in Biblioth. Germ. Tom. *XL*. Art. IV. p. 80. ſqq.

Digitized by Google

que defenſis magno adplauſu *Theſibus* quibusdam extemporaneis, Artium & Philoſophiæ *Magiſtrum* ſponte renuntiavit. Iſta vero admirata profectus juvenis, ætatem longe provectiorem ſuperantes, in *Sodalium* ſuorum numerum ſolemniter adſcivit. Majores adhuc meruit adplauſus, propenſus in novum civem favor potentiſſimi Boruſſorum Regis, cujus exemplum Regina & Principes Regii, regie & egregie, imitabantur, ſecutis mox Magnatibus & Optimatibus non paucis, quibus noſter Berolini innotuit: Principe LICHTENSTENIO, tum temporis S. Cæſareæ Majeſtatis in Aula Berolinenſi Legato, præ aliis munificentiam, perſonâ ſuâ, ſummum Imperii Germanici Caput repræſentante dignam, erga felicem jam juvenem exercente. (*g*). Quum exinde Regis hortatu, qui legis inſtar erat, cum chariſſimo Parente *Halæ Magdeburgicae* redditus Magiſter noſter, Jus tam naturale quam Civile & Canonicum, præ-

(*g*) Res geſta prolixius narratur in Biblioth. German. Tom. *XXXII.* p. 221. ſqq.

Digitized by Google

præcipue autem Publicum, & Hiſtoriam recentiorem, qua valebat animi contentione, tam privatim quam publice, auditis aſsiduè celeberrimorum JCtorum D. DE LUDEWIG, D. BOEHMERI, D. HEINECCII, ET D. GASSERI prælectionibus, per quadriennium integrum, quinquaginta ſcutatorum ſtipendio, alias triennali ſolum, tantiſper à Rege clementisſime adjutus, coluiſſet. Quum novi generis ſtudiorum rationem Regi, ceu Auguſto ſuo, juſſus interdum reddidiſſet, ſucceſſûſque luculenta ſatis documenta, ſaltem Præceptoribus, exhibuiſſet: Nemo jam erat, certe inter exteros, quibuſcum frequens de hoc Germaniæ, ſæculique noſtri ornamento (dicam, an prodigio?) ſermo mihi fuit, qui non hinc lætam conciperet ſpem, bonum non minus ac æquum vatem fuiſſe, Virum de genere humano honeſte ſentientem, qui Anno MDCCXXXIV. cum noſter adhuc Suobaci deliteſceret, editionem ItinerariiRabbinici Baraterianam recenſens (*b*) au-

(*b*) En bona verba Commentatoris in Biblioth. Germ. Tom.

Digitized by Google

auguratus eſt, non amplius defore Mæcenates Maroni noſtro, cujus merita & dotes, ut diutius deliteſcant vel algeant, nec Reipublicæ Literariæ nec Chriſtianæ honos patetur. Novi præterea, etiam *Regias ſocietates ſcientiarum*, tam *Pariſiis* quam *Londini* florentes, problemata quædam Magiſtri noſtri Mathematica & Aſtronomica αὐτοδιδάκτως inventa, quanquam omnino probare nequiverint, impenſe laudaſſe, & mirabiles fructus è flore tam pulchro, utut ex parte caduco, ſibi polliceri. Novi Commentatores *Ephemeridum Trevultienſium*, ſtudio partium alioquin nimis indulgentes, magnis laudibus

XXX. Art. IV. p. 133. ſq. Nous croyons avoir mis nos Lecteurs en état de juger des eſpérances, qu'on a lieu de concevoir pour l'avenir, des études de M. Baratier le fils, ſi Dieu lui conſerve la vie & la ſanté, comme on doit le ſouhaiter. Il faut eſpérer, que ce jeune Auteur trouvera dans la ſuite des reſſources & des encouragemens avantageux pour lui, & honorables pour le monde ſavant & Chrêtien. Il ſeroit honteux, en effet, qu'on laiſſât de pareils talens dans l'obſcurité, & on ne peut qu'être mortifié d'entendre le Pere de nôtre ſavant précoce, dire modeſtement, & ſans ſe plaindre; *Nous ne ſommes ni en lieu, ni en état de pouvoir fournir aux ſecours néceſſaires pour ſes études.*

BARATERII noſtri & πολυμαθίαν, & ſubactum de Theologia Patrum judicium celebraſſe. Interim quintus jam agitur annus, ex quo in theatro Academico minime obſcurus vivit; Jam octavum ſupra decimum ætatis annum implevit, quo hactenus variis memoriæ, judicii, induſtriæque monumentis, omni invidia majoribus, iis ſe muneribus aptum natum comprobavit, ad quæ aliàs, multis è Doctorum millibus, vix virilis ætas unum alterumve idoneum reddit. Quis generi humano potius quam BARATERIO amicus, non miretur aut indignetur, hominem, qui jampridem vel decem linguarum interpretem, qui Theologum, Philoſophum, Mathematicum, Polyhiſtorem, Criticum, juris Legumque peritum, Poëtam denique minime vulgarem ſeſe obtulit, eumque ingenio, quod nuper coram admiratus exoſculatusque es, feſtivo, eleganti, jucundo Divinitus ornatum, &, favente Dei gratiâ, vitæ puræ, caſtæ & inculpatæ, paternis tam præceptis quam exemplis à teneris adſuetum, tamdiu in foro relinqui otioſum, nemine amplius adpa-

Digitized by Google

adparente, qui eum conducat, quive opera ejus uti, vel etiam ſubſidiis neceſſariis, ut Reſpublica eo fruatur, adjuvare eum dignetur. Non eo hæc dico, quaſi vicem amici dolerem, qui ſua ſe virtute involvere, & probam ſine dote pauperiem divitiis iniquis, moleſtæ plerumque ſervituti amaſios ſuos adſtringentibus, præferre didicit; Multo magis à religione mea alienum eſt, ut opprobrium providentiæ Divinæ putem tenuem Herois mei fortunam. Egregie, ut ſolet, Britanniæ Phœnix POPIUS in Φιλοσοφικοτάτῳ poëmate de Homine, Ep. IV.

But ſome times Virtue ſtarves while
Vice is fed.
What then? Is the reward of Virtue,
Bread?

Illud unum ægre me ferre fateor, non eam Viri juvenis, tam præclarè meriti, haberi curam, quæ tantum commodorum, quantum ſperare licet, nobis ex eo compararet. Vereor autem, quod præfiſcini dixerim, ne

Digitized by Google

pœnas neglecti doni cœleſtis luamus, ſi virtutem incolumem odimus, ſublatam ex oculis colimus invidi. Quoties enim cita mors eos rebus humanis eripit, *quibus mundum indignum* judicarit ſcriptor ſacer? A multis quidem annis BARATERIO noſtro σκόλοψ per carnem illatus ſævit, qui hunc ei uſum præſtat, ne ſupra modum efferatur, nobis vero metum haud vanum incutit, ne *Marcellus* aliquis futurus ſit, de quo Vates cecinerit:

Oſtendent terris hunc tantum fata, nec ultra
Eſſe ſinent.

Quidquid ejus eſt; futura ſecurè Deo permittentes, id prudenter agamus, ut, quæ res & tempus ferunt, in uſum noſtrum convertamus.

Pru-

Digitized by Google

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa recte premit Deus:
Ridetque, ſi mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adeſt, memento
Componere æquus . . . . . .

Eſt ſane quod gratulemur huic ævo, & , ſi quam Deus ſupereſſe volet, poſteritati, Magiſtrum noſtrum neque valetudinis viciſſitudinibus impediri, nec aliis abſterreri difficultatibus, ne operam quam poteſt in illuſtrandis & perficiendis bonis literis collocet. Quo ſucceſſu hoc in ſtadio pergat, vel ex præſente opuſculo, callidi rerum æſtimatores cenſebunt. Ne vero in hoc ſolum literarum genere antiquitatum Eccleſiaſticarum , & ἀκριβείας Chronologicæ, ſtudioſis parum frequentibus fere proprio, verſari nunc videatur totus, habebunt mox alii quoque rerum nos propius contingentium curioſiores, unde & ipſis vivere atque ſtudere intelligent indefeſſum BARATERIUM noſtrum , ſi modo Deus vitam viresque ei concedet, dum exigat *Bel-*

li tricennalis, pace Gueſtphalica demum compoſiti, *Hiſtoriam politicam*, quam noviſſime Gallico ſermone ſcribere inſtituit. Quod bene vertat Deus! Hæc omnia, ſi ad commendationem libri, intrinſeco pretio & pondere ſatis ſe ſuſtinentis, non neceſſe erat præfari, nec Tibi, Vir plurimum Reverende, Frater exoptatiſſime, nec aliis, niſi valde inhumanis hominibus, lectu gravia vel ἀδιάφορα fore, ſpero. De uſu libri, cui hanc epiſtolam præfigere lubuit, non eſt cur multa gratis diſſerere affectem, certus neminem emturum eſſe librum, lecturum neminem, qui non ex argumento ipſo, à fronte ſtatim libri expoſito, quid ille ad firmandam hiſtoriæ, rerum ſacrarum perinde ac profanarum magiſtræ, certitudinem conferre valeat, vel eminus olfacturus ſit. Ariſtarchi, quorum liberrimæ cenſuræ opus ipſum ſubjicitur; in ſtilo, nec apto ubique nec elegante, & fortaſſis in epicriſi aliorum ſcriptorum aliquando pluſculum temeraria, animadvertent Criticum ipſis hic ſiſti, quem tum inſatiabilis ſem-

per

per plura diſcendi cupiditas, tum fervor juvenilis XVIII. ætatis anno maxime æſtuans, tum valetudo parum firma, laboris pertinacioris moramque poſtulantis impatientem efficiunt; Neque tamen ideo longe plura alia recte & ſcite dicta contemnent, nec debitis Auctori laudibus quidquam detrahent. Cæterum quænam porro præmia tam eximiam virtutem maneant, penes Agonothetam Deum eſto. Nihil igitur addam, niſi votum, quod non conſuetudo ſolum, ſed & pietas, & grata ſolidæ eruditionis Tuæ, Tuique in ornando Miniſterio ſacro ſtudii impigri, morum Tuorum candidisſimorum, & plusquam fraternæ in me voluntatis Tuæ recordatio poſcit, ut valeas. Sic Deo, qui Te haud ita pridem è morbo gravisſimo ſalvum nobis reſtituit, ſic Eccleſiæ, ſic Tibi Tuisque vale, Vir plurimum Reverende, amicorum integerrime; Sanctisſimam animorum conjunctionem, Dei beneficio, nos inter & BARATERIOS vigentem, nunc officioſitate mea ad multorum notitiam emanare, bono-

rumque

rumque æmulationem excitare æquo patere animo, & Auctori non ſine noſtris nominibus in lucem prodeunti, quantum meretur, bene precare. Dabam Buqueburgi Gueſtphal. pridie Calend. Octobr. A. MDCCXXXIX.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO

Quisquis es, qui his meis lucubrationibus perluſtrandis, aliquid temporis impendere dignaris, nihil omnino eſt, quamobrem te hic remorari velim, planeque ignoro quid ſit, quod tibi dicendum habeam. Sed nihilominus, jubet conſuetudo, te hic alloquar, vetatque Librum ſine præfatione, corpus nimirum ſine Capite edi. Pace tuâ igitur præfari incipiam. De cætero, ſi te ea legere tædeat quæ dicturus ſum, liberrimum tibi eſt recta ad opus progredi. Necdum enim ſtatutum eſt, legendas eſſe præfationes Lectoribus, potiuſque uſu invaluit eas negligi.

Primum quod in Præfatione agi ſolet, iſtud niſi fallor eſt. Narrari ſolet cauſa & occaſio ſuſcepti operis. At eximi me, rogo, ab hac regulâ. Nec enim cauſam, nec occaſionem ſcio ſcripti hujus libri, nec mihi lubet Hiſtoriolam fingere, quæ me ad eum ſcribendum incitaverit. Nulli me amici ad hoc opus impulerunt, nulla ex aliis rationibus, quas vulgo in limine Præfationum videas; Ne dicam, toties jam has cantilenas repetitas eſſe ab Auctoribus, ut earum jam pigeat. Unde alias quæſituri ſcriptores nonnulli, nunc Inſpirationem quandam arcanam, & tantum non revelationem allegent. Paucis dicam. Cauſa, occaſio, ratio hujus operis ſuſcepti hæc fuit, quod

*** de

Digitized by Google

de ſucceſſione Epiſcoporum Romanorum agere voluerim, aliam ignoro.

At vero de feriis admodum rebus hic agitur, quæ negligendæ mihi non ſunt, nempe de mendacio aliquo Litterario, cujus reus ab Eruditis fieri poſſem. Mendacium Litterarium hic voco, opera quædam promittere, quæ præſtare deinceps non poſſis aut nolis, conſuetudo, Litteratos inter, admodum communis. Promiſi, me opus Hæreſiologicum editurum, quod tamen hactenus non prodiit, & quod plane negligere videor, cum alios interim Libros edam. Concedo ſane ſummo jure me accuſari, & fateor vix mihi ſuppetere, quo me defendam, & fere tantum ſupereſſe, veniam apud Lectorem deprecer, meque in integrum reſtitui, ætatis allatâ ratione, petam. Ne enim verum diffitear, parum adhuc cogito de liberandâ fide. Neque adeo moles ſuſcepti operis, quæ ſane ingens foret, aut innumeræ difficultates, quæ in eo perficiendo occurrunt, me à propoſito deterrent. Cum pleraque jam impedimenta ſuſtuliſſe mihi videar, nihilque ſupereſſe, quam meditata chartæ tradere, judicioque Eruditorum ſubmittere. Aliæ rationes me hactenus ab officio hoc præſtando amovent, quas fuſe hic exponere opus non eſt. Nonnulla ex cogitationibus meis Hæreſiologicis, mere tamen Chronologica, huic meo operi de ſucceſſione adſperſi, quæ tamen parvi momenti, ſi certe ad reliqua reſpicias, eſſe agnoſco.

In

In hoc autem opere, quod nunc luci committo, primo profiteor me, plura quam dicere poſſim, ſummis viris, Angliæ ſyderibus, Pearſonio & Dodwello debere. Quum pauca in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ ſint ejus momenti, cujus eſt diſquiſitio de ſucceſſione Epiſcoporum Romanorum, mirum ſane eſt, plures ei dilucidandæ operam non impendiſſe; magis autem mirum, tot inter Eruditos, quos Romana Eccleſia protulit, tam raros eſſe, qui huc ſeſe converterint. Poſt Onuphrii, Baroniique Chronologicam diſpoſitionem horum Epiſcoporum, quam magnis defectibus vitiiſque laborare, undique Eruditi obſervarunt, vix eſt qui medicam manum ipſi afferre aggreſſus ſit. Dion. quidem Petavius, Vir in ſocietate Eruditorum fertiliſſimâ facile primus, paſſim de his agere cœpit, nuſquam autem vel ex profeſſo, vel fuſe ſaltem quæſtionem expendit. Præter quem, plane ignoro, quis è Romanæ Eccleſiæ ſectatoribus, diſquiſitionem, illi Eccleſiæ tamen adeo Capitalem tractaverit, ſi Schelſtratenum & Pagium excipias, quorum iſte in Criticâ ſuâ, opere quo doctius limatiuſque nullum prodiit, breviter Epiſcopos Romanos, pro ſuo ſyſtemate diſpoſuit: Ille autem in Antiquitatum Eccleſiaſticarum primo & unico volumine, magno Eruditionis apparatu, multoque ingenii acumine, neſcio tamen an pari judicii gravitate, fuſe admodum Catalogos Epiſcoporum Romanorum antiquos commentatus eſt; Vir nimium credulus, futilibuſque traditio-

Digitized by Google

bus & fictitiis monumentis nimium addictus. At hoc prorſus mihi mirabile videtur & Pagium, & Schelſtratenum, qui Pearſonii & Dodwelli ſcripta viderint legerintque, tamen de eorum ſyſtemate ne γρύ quidem dixiſſe, nec refellere aggreſſos eſſe. Si contemptu id factum fuerit, non ſane merebantur Angli, vel Schelſtrateni multo ipſis inferioris, vel Pagii ipſis ſane non ſuperioris contemptum.

Incertæ & dubiis plenæ ſucceſſioni Cathedræ Romanæ, ſuccurrerunt Eccleſiæ Romanæ hoſtes certiſſimi, Angliæ lumina fulgidiſſima, Pearſonius Ceſtrienſis Epiſcopus, & Dodwellus. Quod ſi licuiſſet Pearſonio ultimam operi ſuo manum admovere, alia proculdubio & longe accuratiora ab eo accepiſſemus. Sed invida mors conatus ejus ſiſtere auſa, lucubrationibus tamen privare non potuit. Dodwellus diligenter collectis Pearſonianis ſchedis, opus ex iis poſthumum compoſuit; Nam tantorum virorum, etiam quam minimum elaboratæ ſchedæ, aliorum diligentiſſime compoſitos Libros ſuperant. Quo tamen perfectius eſſet Pearſonii opus, de ſuo multa ſupplementa, & integras diſſertationes addidit Dodwellus, ubi Pearſonii ſyſtemate leviter reformato, ultimam ei manum addidiſſe ſibi viſus eſt. Quæ omnia cum aliis nonnullis, ſub Operum Poſthumorum Pearſonii titulo prodierunt.

Primi, Pearſonius & Dodwellus ſenſere, orbemque Eruditum docuere, Euſebium, Catalogos Latinos

tinos aliosque Chronologos, Epiſcoporum Romanorum tempora nimium nimiumque detruſiſſe, & ſingula multis annis ſerius collocaſſe, quam par erat. Et hoc eſt præcipuum ſane, quo ſemel detecto probatoque, haud difficulter reliqua ſequuntur. Et ea in re plane Pearſonio Dodwelloque aſſentior, nec in genere mea Chronologia multum ab eâ differt, quam ipſi ſequuntur, certe à Clementis inde tempore. Unde, quod grati animi officium eſt, opus eorum fontem mei eſſe fateor. Quantum vero ab iis differam, quæ addiderim, & cujus ea pretii ſint, Lectoribus dijudicandum relinquo. Duxi autem operæ pretium, in omnibus Pearſonii & Dodwelli ordinem, & propoſitum ſequi, id eſt, de omnibus tractare, de quibus ipſi tractavere: Unde multa huic operi inſerui, quæ primâ fronte aliena videbuntur, at quæ ideo perſequutus ſum, quod de iis egerint laudati Eruditi. Huc referre oportet Diſſ. IV. integram, de Agrippæ annis, aliaque plurima.

Cum primo opus hoc mihi ſcribendum propoſuiſſem, ita id faciendum conſtitueram. Primo, Prolegomena præmittenda eſſe cenſebam, Partis primæ inſtar, ubi de omnibus Catalogis Epiſcoporum Romanorum, de antiquis Chronologis, quibus uſus eſſem, Euſebio aliiſque, de iis qui recenter hæc tractaſſent &c. ex profeſſo agerem, regulaſque generales conſtituerem, juxta quas mihi in Chronologico ſyſtemate procedendum foret. Secundâ Parte totam ſucceſſionem Epiſ-

copoſum Romanorum, ſaltem uſque ad Dionyſium, labente jam Sæc. III., expenderem. Ad finem varias Diſſertationes adjicerem, quas Digreſſionum vitandarum cauſâ, textu ipſo excluſiſſem, quæ tamen ad rem facerent.

Progreſſu vero temporis, facile obſervavi, in nimiam molem hæc omnia excreſcere, & me vix quartam partem poſſe juſto volumini inferre. Continui me igitur intra duo prima ſæcula, eaque non integra, ſcil. uſque ad Victorem Epiſcopum incluſive, & ad finem aliquot Diſſertationes adjeci, quas paratas habebam, quarum tertia ad Dionyſii Romani tempora, quæ mihi pertractanda ſumpſeram, pertinet. Non ignoro reliqua poſt Victorem tempora, multis nodis intricata, imo præcedentibus fere obſcuriora eſſe, tum ob alia, tum ob obſcuritatem Hiſtoriæ Imperii Romani per illud ævum; Ita ut Epiſcoporum anni non aliter expendi poſſint, quam dilucidatis Imperatorum annis, ut inter alios & Pagius & Pearſonius in Annalibus Cyprianicis fecerunt. Imo videtur, Hiſtoriam vel potius Chronologiam meam completam non eſſe, niſi eò uſque progrediar. Nam cum tempora Epiſcoporum, Pearſonium & Dodwellum ſequutus, admodum contraxerim, oportebit ſequentes Epiſcopos è contrario protrahere, ut circa Cypriani tempora, in Concordiam cum cæteris Chronologis redeam. Quod Angli duo jam ante Victoris tempora faciunt, Ego vero nondum. Unde plerique id præcipue deſiderabunt, mirabun-

buntur que, quomodo ſeriem meam cum Hiſtoriâ tandem conciliem. Quos ſcire volo, præcipuum à me remedium adhiberi in Anterote, cui non unum menſem, cum quibusdam Catalogis, ſed XII. annos cum aliis tribuo, omnibus accurate perpenſis. Interim ne fidem fallam, potius nihil promitto. Quod ſi tamen aliquando & otium, & opportunitas ac voluntas adſint, Chronologiam iſtam forſitan ad finem uſque III. ſæculi deducam. Et tunc Appendicis loco, ea mihi pars addenda erit, quam Prolegomenon inſtar præmittere volebam. Eam enim huic operi in præſentiâ præponere ſuperfluum duxi. Nam nullos Catalogos præ aliis ſequor; Nullas regulas, Pagii inſtar aliorumque, mihi ſequendas aſſumo. Quod omnes Catalogi produnt, id tanquam verum ſequor & ex Hiſtoriâ firmo. Si diverſa doceant Catalogi, non ſtatim absque examine hanc vel illam, (ne majorem quidem) partem ſequor, ſed quænam cum ſynchroniſmis &c. conveniat inquiro: Et tamen non prius aliam rejicio, quin perſpicue demonſtraverim, eam mendo laborare, imo & mendi originem oſtenderim. Alias non diffiteor, me plus Catalogis Latinis tribuere, quam Græcis Euſebii aliorumque. In multis tamen Syncelli & Nicephori Catalogum maximi facere.

Poſt hæc nihil ſupereſſe credo, quam ut profitear, me immunitatem ab omni partium ſtudio in hoc opere adfectaſſe, & meram Hiſtorici perſonam agere. Nihil igitur mihi hic cum Theologicis,

Digitized by Google

gicis controverſiis, quas omninò ex hoc Opere excludo. Adeo ut ſperem neminem, cujuscunque tandem partis ſit, à me in hoc ſcripto offenſum iri. Quod ſi quædam ſcripſerim, quæ alicujus ſententiæ vel Dogmati periculoſa videantur, iterum iterumque moneo, me nec ullo modo ad Dogmata reſpicere, nec Conſequentias probare, quas quidam ex Hiſtoricis relationibus deducere poſſent. Dixi, Lector. Vale.

Dab. Halæ Magdeburgicæ, Kal. Maiis A. 1739.

CARO-

Digitized by Google

XIII

DISQUISITIO CHRONOLOGICA
DE
SUCCESSIONE ANTIQUISSIMA EPISCOPORUM ROMANORUM

Quæ Succeſſio ſingulorum Epiſcoporum à Petro uſque ad Victorem

Sigillatim expenditur & firmatur.

CAPUT PRIMUM.

De Petri Apoſtoli Itinere Romano.

ARGUMENTUM.

Petrum Romæ fuiſſe, eſt factum publicum, quod fingendi nulla ratio erat. §. 1. *Cœtaneis & Hiſtoriæ non obſtans, imò Clementi Romano & Conſtitutionibus teſtatum.* §. 2. *Sæc.* II. *ineunte ab omnibus creditum, Exemplo Conſtitutionum, Ignatii, Prædicationis Actorum, & Recognitionum Petri, Papiæ & aliorum.* §. 3. *Sæc.* II. *medio & labente, aſſertum ab Irenæo, Dionyſio Cor. Lucio, Victore Rom. Cajo Rom. Clemente Alexandrino. Sæc.* III. *à Tertulliano, Anonymo, Hippolyto, Africano, Origene, Cypriano, Stephano, Firmiliano aliiſque, & Petro Alexandrino.* §.4. *Itaque verum eſt Petrum Romæ fuiſſe, nec quiſ-*

Digitized by Google

quicquam objici poteſt, quod hanc certitudinem deſtruat. §. 5. *Tempus hujus facti recte Antiquis notatum, nec error hac in re obſtaret.* §. 6. *Fabula de* XXV. *annis Petri ejusque origo.* §. 7. *Petrus Romam ſub Imperio Neronis & quidem ineunte venit.* §. 8. *Ibique biennium eſt moratus. Quod tempus ex Pauli Hiſtoriâ confirmatur, quæ ex Feſti & Pallantis geſtis illuſtratur.* §. 9.

§. I.

§. I. Petrus ſucceſſionis Romanæ caput.

A Petro Apoſtolo, Succeſſionem Epiſcoporum Romanorum, omnes olim antiqui & recentiorum plerique, deducere cœperunt. Tantus hâc in re omnium conſenſus fuit, ut ſane miraculo debuerit eſſe, quosdam noſtris ſæculis ortos, factum adeo manifeſtum negare præſumpſiſſe. Verum dubito reperiri adhuc hujus ſententiæ aliquos, cum non inter eos ſolum, qui à Romano Pontifice nomen ſortiuntur, ſed & apud ipſos qui ab eo diſceſſerunt, viri Doctiſſimi, dubia omnia profligaverint, & Petri iter Romanum tanquam longe certiſſimum ſtabiliverint. Inter quos partes non infimas obtinet, is qui mihi in toto hoc opere præivit, magnus Pearſonius. Interim quoniam mihi propoſitum eſt, Integram Epiſcoporum Romanorum ſucceſſionem illuſtrare, non poſſum ſicco pede hanc controverſiam tranſire. Ne tamen nimis diffuſus ſim, nec poſt Homerum Iliada ſcribere dicar, primo brevitati ſtudebo, ſecundo ipſe moneo me, quoad res ipſas, nonniſi pauca nova, in hanc materiam dicturum. Sed tertio, præcipuam curam adhibiturum ut, quam perſpicue potero, pondus argumentorum ex utraque parte demonſtrem, & ſic ut Lector ipſe maniſeſte videat, quâ ex parte maxima ſit probabilitas.

Romæ fuit.

Ratio affirmandi certiſſima.

Et nituntur quidem, qui Petrum Romæ fuiſſe dicunt, hoc argumento longe validiſſimo, id omnes Antiquos teſtari. Eſt ſane regula critices nemini neganda, Quod ſc. *omne factum quod publicum ſit & quod fingere nullius interſit, ſi pro vero ab omni-*

Digitized by Google

omnibus vel ejuſdem ævi, vel omnium ſequentium immediate, nemine eorum contradicente, traditur, pro certo haberi debere. Adeo indubia eſt hæc propoſitio, ut videndum modò ſit, num hæc omnia itineri Petri Romano quadrent.

Factum publicum eſſe hoc iter, ipſa verba ſatis probant & circumſtantiæ manifeſtò demonſtrant. Petrus pro Apoſtolorum coryphæo habebatur, ejus geſtis multum attendebatur; poteratne ignorari quid de eo actum fuerit, præcipue cum extra fines orbis Romani non iverit? Roma metropolis totius fere terræ, Chriſtianis referta, ad quam omnes fere Eccleſiæ Doctores confluebant & reſpiciebant, poteratne adeo omnes Eccleſias latere, ut ignoraretur celebrem illum Petrum ibi fuiſſe? Prima ibi in Chriſtianos ſæviit perſequutio, ſi Petrus ibi fuerit tunc temporis, ſi Martyrium paſſus ipſe fuerit, ipſene latuiſſet, non latentibus tot aliis ignobilioribus? ut alia momenta prætermittam. Quis ergo præſumpſiſſet, fere ſub ipſis Petri temporibus, publice, non longe à Româ, talia de eo mendacia ſpargere, cum facile confundi poſſet? Quomodo omnes, quotquot novimus, & Romani ipſi antiqui illi fidem habuiſſent? Quî factum ut nemo eum refutaret? Similibus rationibus adnititur omnis fides Hiſtorica, quæ alias nulla foret.

Cujus vero interfuiſſet Petri iter fingere? An Romanorum? Sed nec illis hæc impudentia tribui poteſt, utpote negotii conſciis; nec hac fraude opus habebant, cum Paulum haberent, qui certò Romæ fuit; nec aliæ Eccleſiæ, illæ præcipue ubi Petrus revera fuiſſet, iis hoc intactum conceſſiſſent. An aliarum Eccleſiarum? Sed quid eas hoc juvabat? An privatorum, qui merâ mentiendi libidine id feciſſent? Sed quis eis crediidiſſet? Quomodo non detecti fuiſſent, ut cum aliis geſtum? Nonne ita omnes Hiſtoriæ everterentur?

Quod factum hoc pro vero ab omnibus habitum fuerit, qui de eo egerint, conſtat omnino. Producant Adverſarii vel unum, qui negare vel videatur Petrum Romæ fuiſſe. Ne ſic quidem quicquam efficerent. Sed nec hoc poſſunt. Quæ igitur voluptas, cum omnes affirment teſtes, nec unus neget, ne-

gare tamen velle? Non poteſt non rejici conatus talis, qui eò tendit ut omnem Hiſtoriam diruat.

§. 2. De coævorum hanc in rem auctoritate.

§. 2. Deinde fateor, coævorum teſtimonium diſertum de Petri adventu Romano non haberi. Sed nec neceſſarium eſt tale produci. Quot Celeberrimos in Hiſtoria viros videmus, & extitiſſe credimus, cum coævorum tamen teſtimonia non habeamus. Hoc de pleriſque antiquis, certe ante Græcorum Hiſtoricorum tempora certum eſt. Atqui hic adhuc multa concurrunt, quæ defectum teſtium coævorum tollunt. Nempe 1. Pleri-que ſæculi illius Doctores litteris nihil commiſerunt, ſed viva modo voce prædicarunt. 2. Ex iis quæ tunc prodierunt ſcriptis, pleraque non amplius ſuperſunt. 3. Ex iis quæ ſuperſunt, nullum eſt ubi occaſio ſeſe obtulerit de Petro vel ejus itinere agendi, unde ſilentium eorum nullo modo obſtat. 4. Habemus teſtimonia ſtatim primæ poſt ætatis & quidem diſcipulorum eorum, qui coævi, imo Apoſtoli ipſi fuere, & qui hoc adeo auditoribus ſuis tradidere. 5. Imo penitius introſpicientibus invenientur ipſorum coævorum teſtimonia, non omnino quidem diſerta, ſed ſatis clara tamen, & ſupra omnem exceptionem, ſi cum ſequentis ævi teſtimoniis conferantur.

Teſtimonium Clementis Rom.

Clemens Romanus Exempla patientiæ Corinthiis proferens, poſtquam antiqua & remota protulit, tandem ad illa tranſit, quæ ſub Romanorum oculis videntur geſta, ut apparet verba ejus ponderanti, & præcipue, quæ de Martyrum & ſanctarum fœminarum multitudine addit. Jam Petrum & Paulum inter alios recenſet, nempe Petrum æque ac Paulum in Romanorum conſpectu paſſum. Sed en aliquid gravius. Diſerte Clemens affirmat Petrum Martyrium ſuſtinuiſſe, & omnes antiqui id uno ore agnoſcunt. Jam nulla perſequutio contra Chriſtianos excitata eſt, quâ morte plecterentur, ante Neronem, ſi Judæos excipias *Act. VII.* & *XII.* quorum iram Petrum evaſiſſe conſtat: Ergo ſub Nerone paſſus Petrus. Sed ſub Nerone nulla extra Romam & Italiam contra Chriſtianos exercita eſt Sævitia, excepto iterum tumultu Judæorum, ubi Jacobus Hieroſolymitanus ſolus paſſus eſt. Ergo Romæ paſſus eſt Petrus ex Clemen-

Digitized by Google

mentis tacitâ confeſſione. Cæterum hæc ſingula de perſequutionibus nota ſunt, nec probatione indigent. Author Conſtitutionum, ut infra peculiari Diſſertatione demonſtrabitur, ex antiquis primi ſæculi monumentis ſua collegit. Atqui diſerte aſfirmat Petrum Romæ fuiſſe.

§. 3. Si non affatim coævorum adſunt teſtimonia, ſequiora tanto numero reperiuntur ut nihil magis. §. 3. Teſtimonia antiquiſſima.

Statim primâ poſt Apoſtolos ætate, Sæc. II. ineunte, Apoſtolorum Diſcipuli aliique Doctores in arenam prodeunt. Author Conſtitutionum Ignatio, ut ſuo loco dicetur, antiquior, Lino à Paulo Romæ conſtituto & mortuo, Petrum Clementem ſuffeciſſe affirmat. Conſtit *L. VII. Cap. XLVI.*

Ignatius in Epiſtolis ipſis minoribus, quæ vulgo ſolæ pro genuinis habentur, Romanis ſcribens, negat ſe ipſis, tanquam Petrum & Paulum, præcipere velle. Cur Petrum & Paulum unà nominat, niſi quod uterque Romæ fuerit? Cur Petrum, ſi cum Romanis nullum nexum habuerit? Si enim Romæ non fuerit, cum Romanis non ſcripſerit, nil magis cum iis commune habebat, vel iis præceperat, quam Jacobus, vel Judas, vel Johannes. Manifeſtum eſt, Ignatium Romanum Petri iter noviſſe.

Author Prædicationis Petri, quem & alii & jam Heracleon (teſte Origene in Johannem *p.* 211. *ap. Pearſon.*) citant, debuit certe non multo poſt A. Chr. C. vixiſſe. Nam Cerdon ante A. C. CXX. jam Hæreſiarcha erat, ut infra demonſtrabitur. Heracleon Cerdonis Magiſter fuit. Autor ille Prædicationis non poterat ignorare quid Petro contigiſſet, cum ejus Hiſtoriam ſcriberet, quæ ab omnibus fere recepta fuit. Certe aliquid tam memorabile non neſciebat, num Petrus Romæ fuerit? Id tamen affirmat teſte Lactantio *L. IV. Cap. XXI.* qui de hac omnino Prædicatione loquitur, alia enim ejus ævo non erat, multo minus quæ celebris eſſet, & pro genuinâ haberetur.

Cum hoc Autore repono antiquos pleroſque etiam primorum temporum, ut Heracleonem ipſum & alios, qui partim in Oc-

Digitized by Google

cidente, partim in Oriente prædicationem hanc receperunt, adeoque nihil in eâ falſum invenerunt, multo minus publicum hoc factum, Petrum Romæ fuiſſe.

Eodem ſpectant Recognitionum, Clementinorum, Actuum Petri, &c. Libri, qui omnes idem præter propter opus ſunt, ſed varie admodum Interpolatum & mutatum, licet res ipſæ ſemper eædem ſint una cum præcipuis monumentis, ut v. g. Epiſtola Clementis ad Jacobum. Librorum illorum antiquitatem multa oſtendunt, cum non modò Sæc. IV. ſed & Sæc. III. ab Origene, Sæc. II. a Clemente Alexandrino, & eodem medio à Bardeſane lecti ſint. Et cum Libri tales non repente authoritatem ſibi tantam acquirere poſſint, ut pro Apoſtolicis genuinis habeantur, oportet omnino eorum ætatem ad initia Sæc. II. referre, quo tempore etiam pleraque alia Apocrypha, immediate poſt Apoſtolorum mortem prodiere. Conſentiunt autem omnia hæc de Petri vita opera, eum Romæ fuiſſe.

Papias Hierapolitanus, non diu poſt Sæc. I. finem, opus ſuum ſcripſit & floruit. Certe Irenæo A. CLXXVI. ſcribenti *Antiquus vir* dicitur. Et ſuo loco dicetur, eum ante A. CXX. ſcripſiſſe. Ille Petrum Romæ fuiſſe ap. Euſeb. *L. II. Cap. XV.* teſtatur.

En multos teſtes omnes primo Sæculi II. initio florentes & primâ ſecundum Apoſtolos ætate viventes! Quis omnes recuſare audeat? Nihil excipi adverſum eos poteſt. Nam nec fallere, nec falli potuerunt. Non fallere, quia nihil eorum intererat, quia inter eos non potuit de eo convenire, quia auſi non fuiſſent tam recenti rei memoriâ, quia nemo teſtimonio eorum ſeſe oppoſuit, ſed omnes id receperunt. Nec falli potuere, nam & proximi tempore fuere, & eos videre, qui Petrum viderant & ſedulo obſervaverant, imo comites ei fuerant, quod de Papia in ſpecie conſtat, alii Apoſtolorum diſcipuli fuerunt, adeoque ipſius Petri, ut Ignatius. Alii ejus ſcripta & facta collegerunt; alii in Orientis variis provinciis, alii in Occidente floruerunt; alii intra Eccleſiam, alii extra fuerunt; unde abſur-

Digitized by Google

ſurdum eſſet dicere omnes hunc errorem ab uno ſc. Papiâ hauſiſſe, quod dicere aggreſſi ſunt multi, cum plerique citatorum Papiâ priores ſint, & eum dubio procul non noverint.

§ 4. Tranſeo ad ſecundam poſt Apoſtolos ætatem, quæ viros continet, qui medio Sæc. II. floruere, & usque ad idem labens clari fuere. Ibi ſeſe offert primo. §. 4.

Teſtimonia ſecundæ poſt Apoſtolos ætatis, adhuc ſæculo ſecundo.

Irenæus Sæc. I. labente jam natus, Polycarpi, Papiæ, Pothini aliorumque Apoſtolicorum virorum auditor, in Occidente Epiſcopus; & qui Romæ fuit atque ſedulo in Romanæ Eccleſiæ uſus & originem inquiſiit. Is Petrum Romæ fuiſſe ſæpe affirmat & inter cætera *L. III. Cap. III.*

Nec omittendus Hegeſippus Antiquitatum Eccleſiaſticarum & Apoſtolicarum ſcriptor diligentiſſimus & fere ad primam ætatem referendus. Is Catalogum Epiſcoporum Romanorum ſcripſit, quem Hippolytus, Euſebius, & alii ſequuti ſunt, unde liquet eum Petrum in hunc Catalogum repoſuiſſe. Sed de hoc agendum eſt, ubi de Catalogis Epiſcoporum Romanorum res erit.

Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus eadem ætate vixit, ex cujus Epiſtolâ ad Romanos fragmentum ſervavit Euſebius H. E. *L. II. Cap. XXV.* In iis Litteris ad Soterem, circa A. C. CLV. exaratis, Petrum Romæ fuiſſe aſſeritur.

Lucium ſeu Lucianum Charinum, Actorum Apoſtolicorum falſo ſic dictorum compilatorem, virum ſane cui nec res Apoſtolorum ignotæ eſſe debebant, nec qui in ἀδιαφόροις, ſeſe prodere voluiſſet, Lucium, inquam, eodem tempore vixiſſe hodie inter Eruditos convenit, licet paulo antiquior videatur, ſi accurate omnia ponderes. Petrum Romam iviſſe, ſecundum hunc hominem, mihi multa demonſtrant, quæ hic repetere opus non erit, cum nemo procul dubio in eo negando operam navaturus ſit. Propero itaque ad graviſſimum teſtimonium.

Victoris Epiſcopi Romani in Eccleſiæ ſuæ Hiſtoriâ & antiquitatibus verſatiſſimi, ut vel ex Irenæo & Euſebio & Authore contra Artemonem, qui Cajus creditur, conſtat. Is circa A. CLXXX. ſedebat, & jam ante litteras dederat ad De-

ſi-

ſiderium Viennenſem Epiſcopum, quæ hodie adhuc exſtant & quas genuinas eſſe oſtendemus manifeſto, ubi de Victore agemus. In illis Petrum & Paulum allegans pro obſervatione Paſchatis à Judaico diverſi, ſic inter cætera ait. „ Hanc doctrinam Romæ Petrus & Paulus inſtituerunt, ... nusquam Petrus cum Judæis, . . . Chriſti Eccleſiam ſupra petram fundatam doceamus, ut audiamus cum Apoſtolo Petro, Beatus es Simon, &c. " Manifeſtum itaque eſt Petrum Romæ fuiſſe, Victore teſte.

Sub hoc Victore & Zephyrino floruit Cajus Romanus Presbyter, qui contra Proclum Montaniſtam diſſerens, Petrum & Paulum Romæ fuiſſe, ibi paſſos eſſe, & eorum monumenta ad Vaticanum aut viam Oſtienſem ſuo ævo viſa fuiſſe teſtatur, ap. Euſeb. *L. II. Cap. XXV.*

In eadem hâc ſecundâ ætate etiam collocandus T. Fl. Clemens Alexandrinus, tum quod maximâ Sæc. II. parte vixerit, tum quod ipſe dicat ſe Apoſtolorum diſcipulos audiviſſe. Ille de Petri Itinere Romano in Hypotypoſibus egit, ut vel ex fragmento liquet ab Euſebio ſervato H. E. *L. II. Cap. XV.* & *L. VI. Cap. XIV.*

De Teſtibus tertiæ ætatis, Sæc. III. ineunte.

Tranſeo ad tertiam ætatem, quæ cum fine Sæc. II. incipit & per Sæc. III. uſque ad medium decurrit. Hi diſcipuli illorum fuere, qui Apoſtolorum diſcipulos audiverant.

Ibi Tertullianus occurrit cujus loca utpote notiſſima citare ſuperfluum eſſet.

Ibi Autor Anonymus, qui contra Artemonem ſcripſit, quem Cajum credunt, ſed perperam, ut ſuo loco dicetur. Hujus fragmentum habet Euſebius *L. V. Cap. ult.* ubi Victor Eccleſiæ Romanæ à Petro Epiſcopus decimus tertius dicitur. Ergo hic author, qui jam ſub Zephyrino circa A. C. 200. vivebat, Petrum Romæ fuiſſe credidit. Cæterum erat hic Author Romanus, & Romanæ Eccleſiæ Hiſtoriam ad unguem callebat, ut ex ejus fragmento liquet.

De Hippolyto Portuenſi hujus ætatis Doctore, quem Apoſtolorum Diſcipulum quidam crediderunt, ſed non ſine errore, licet

Digitized by Google

licet Apoſtolorum traditiones ſcripſerit, & hiſtoriæ eorum ſtudioſiſſimus fuerit, de Hippolyto, inquam, hic non agam, cum alio loco occaſio ſit dicendi de eo & de Catalogo quem ſcripſit, adhuc hodie ſuperſtite, Epiſcoporum Romanorum, ubi Petrus primus comparet.

Sext. Jul. Africanus Chronographus res Chriſtianorum etiam in ſuâ Chronologiâ tractavit, & eum ſequutus eſt in iis Euſebius. Argumentor itaque A[illegible]anum de Petri itinere loquutum eſſe. Et hoc conſtat ex ſcriptore Barbaro, qui excerpta Euſebii & Africani dedit, & inſertus eſt Theſauro temporum Scaligeri. Is de Petri Martyrio Romano quædam narrat, quæ in Euſebio non ſunt, adeoque ex Africano deſumpta ſunt.

Origenes ille doctiſſimus & judicioſiſſimus, Tomo 3. in Geneſin, ap. Euſeb. *L. III. Cap. I.* Petrum Romæ paſſum eſſe dicit.

Cyprianus Carthaginienſis; imo cum eo omnes Africæ Epiſcopi, ſæpe de Cathedrâ Petri, Epiſcopis Romanis ejus ſucceſſoribus aliiſque agunt.

Epiſcopi Romani Cypriani tempore, præcipue Stephanus, gloriantur, de Epiſcopatus ſui loco, & quod ſucceſſionem Petri teneant, ut Firmilianus ait. Et ſane id ex ſingulis eorum Epiſtolis apparet, & præcipue ex Stephano cum de Baptiſmo Hæreticorum lis eſſet. Tunc ille ſemper ad Petrum ejusque traditionem provocabat.

Nec aliud cenſuere Firmilianus Epiſcopique Aſiatici, qui hæc referentes Stephanum non refutant, ſed ita referunt ejus verba ut appareat eos id agnoſcere. Hoc modo contendebant, Petrum talem traditionem non reliquiſſe. Firmil. Ep. ad Cypr. in Cyp. Opp.

Labente Sæculo III. Occurrit Petrus Alexandrinus, qui Petrum Romæ paſſum eſſe dicit Canone Pœnitentiali IX. Occurrit Lactantius qui Inſt. *L. IV. Cap. XXI.* & de Mort. Perſecut. idem aſſerit. Statim poſt oritur Euſebius, qui fere omnes Bibliothecas Librorum Eccleſiaſticorum percurrerat, & multos antiquos ſcriptores viderat hodie deperditos. Ab Euſebio

Digitized by Google

ſebio ſuperfluum eſſet teſtes allegare, cum notiſſimum ſit omnes ad unum Petri Iter Romanum memorare. Quod novum & prægnans argumentum ſuppeditat. Indicio etenim eſt, omnes antiquos Scriptores tunc exſtantes ei ſententiæ faviſſe, nihil vero obſtitiſſe. Adeo abſque ullâ hæſitatione omnes hoc factum agnoſcunt.

§. V. Iter Petri Romanum certiſſimum. §. V. Eſt itaque Iter Petri Romanum factum publicum, quod fingi non poterat, nec fingere ullius intererat, quod cum σύγχρόνων auctoritate quadrat, imo à nonnullis eorum docetur, quod primâ poſt ætate ab omnibus refertur, quibus de eo loquendi occaſio fuit, quod ſequentibus ætatibus ubique receptum & à nemine unquam in dubium vocatum fuit. Si hæc non certitudinem Hiſtoricam pariant, non video quid certum eſſe poſſit.

Nullis objectionibus everti poteſt. Sed forte habent Adverſarii quædam graviſſima quæ objiciant; habent demonſtrationes Hiſtoricas inviciſſimas, & oſtendunt Contradictionem implicare Iter Petri Romanum. Ut poſſint teſtimonia refellere quæ protuli, oportet omnino aliquam harum viarum teneant. Vel oportet originem manifeſte oſtendant rumoris hujus, & probent originem illam ſolidam non eſſe. Vel oportet teſtimonia adducant æque gravia Auctorum, qui Petri iter negent. Vel oportet ex variis circumſtantiis indubitatis oſtendant, Petrum hoc vel illo tempore Romæ non fuiſſe, ante illud tempus eò venire non potuiſſe, poſtea mortuum ſtatim eſſe, vel toto ſuæ vitæ tempore alibi fuiſſe. Si aliquam harum trium Theſium probent, cedam omnino.

Et quoad primum, nemo adhuc originem hiſtoriæ hujus oſtendit & nemo unquam oſtendet. Nam non ab uno Auctore antiquo hæc narratio pendet, à quo dici poſſet poſteriores eam hauſiſſe. Eodem enim tempore, ſc. ineunte Sæc. II. plures citavi teſtes ab invicem remotos, & qui accuratam totius negotii notitiam habere debebant. Unde ſi unus fabulam talem fingere voluiſſet, aliis non poteſt eadem intentio tribui, aliquis certe eam refutaſſet. Cum itaque plures eodem tempore & variis locis hoc referant, oportet omnino origo Hiſto-

riæ

Digitized by Google

riæ ab illis locis repetatur ubi Petrus fuit & à Româ ipſâ. Sed quis credet rumorem Romæ ortum eſſe, quod Petrus ibi fuerit, ibi prædicaverit, ibi paſſus fuerit ante pauciſſimos annos, & rumorem illum creditum fuiſſe, atque tamen falſiſſimum fuiſſe? Clemens v. g. & alii poterantne ſibi aliisque ita imponere, ut ſibi perſuaderent ſe tot facta vidiſſe, quæ nunquam viderant?

Quoad alterum, nulla teſtimonia Exſtant, ubi Petrus negetur Romæ fuiſſe.

Quoad tertium, hoc eſt cui adverſarii immorari ſolent. Sed ſane multum abeſt ut partes ſuas impleverint. Etenim etiamſi omnes futiles ratiunculas eorum ipſis concederem, ad ſummum inde ſequeretur, Petrum hoc vel illo anno Romæ non fuiſſe. Sed ſi non illo fuit, fuit certe alio. Nam mirum eſt argumentum. Petrus non fuit Romæ A. v. g. LXII. LXIII. Ergo nunquam fuit. Verum eſſet ſi Petrus modo duobus his annis vixiſſet. Deinde nemo antiquorum ante Euſebium diſerte annum notavit hujus itineris, itaque licet quodvis tempus eligere. Eſto igitur, concedamus Adverſariis Petrum hoc vel illo tempore Romæ non fuiſſe, at annon potuit alio tempore ibi eſſe? Jam anni quibus probant adverſarii eum Româ abfuiſſe, illi ſunt quibus Paulus Romæ adfuit, quod maximâ ex parte concedo, & deinde fuſius expendam. Paulus vero Romæ fuit ab A. circiter LXI. uſque ad LXIII. & iterum circa A. LXVII. ex calculo Pearſonii & aliorum, cum quibus meas rationes deinde conferam. In actis Apoſtolorum, Petri geſta habemus uſque fere ad A. L. ab eo vero anno altum de eo eſt in N. T. ſilentium, unde annis ſequentibus licet ei quævis itinera tribuere. Potuit ergo ab anno L. Romæ eſſe. Itaque ex eo quod annis LXI. LXII. LXIII. LXVII. ibi non fuerit, nunquam fuiſſe non ſequitur. Et nullam adhuc excogitaverunt adverſarii objectionem, quâ accurate ſingulos annos expenderent, & eorum nullo Petrum Romæ fuiſſe oſtenderent. Quod tamen neceſſarium erat, nam

Digitized by Google

modo annus unus, qualiscunque ſit, vacuus maneat, ſtatim ibi collocabitur Iter Romanum.

§. VI. Antiqui recte tempus ſtatuerunt Itineris Romani Petri.

§. VI. Sed inſtant adverſarii, ex Antiquorum traditionibus Petrum demum hoc vel illo tempore Romæ fuiſſe, atqui hoc falſum eſſe, Ergo eum nunquam id itineris egiſſe.

Etiamſi totum argumentum concederem exceptâ concluſione, quæ legitima non eſt, cauſæ meæ non nocerem. Etenim pauciſſimi ex Antiquis de Itineris Romani tempore agunt, & nullus accurate id figit, ſed ille aliquam, alius aliam circumſtantiam refert, ex quibus per conſequentiam id tempus exſculpitur. Si itaque circumſtantiæ illæ falſæ ſunt, corruit quidem tempus ſtabilitum, ſed iter idcirco non corruit. Nam ex quarundam Circumſtantiarum falſitate, nullâ Logices regulâ falſitas facti arguitur. Factum quod ſumpſi probandum iſtud eſt abſolute, *Petrus Romæ fuit*, & hoc antiqui omnes teſtantur. An vero hic illeve horum antiquorum in aliquâ circumſtantiâ vel Epochâ hujus facti erraverit, hoc meâ non refert.

Sed præterea nego probatum eſſe, quod Petrus Romæ non fuerit illo anno quem Antiqui ſtatuerint. Primo concedo Euſebium hæc in re erraſſe, tribuendo XXV. annos Seſſionis Petro. Sed Euſebius non is eſt, ex quo tempus Itineris Petrini ſumere velim, alios multo antiquiores aſſumo. Et oſtenderunt viri Eruditiſſimi, unde falſa hæc Chronologia orta ſit, ex Hypotheſi nempe ipſius Euſebii. Secundo in genere conſtat Petrum Romæ ſub Nerone fuiſſe, id enim teſtantur omnes antiqui quotquot tempus hujus itineris fixerunt. Oſtenderuntne itaque Adverſarii, Petrum ſub Nerone non potuiſſe Romam videre? De quibusdam Neronis annis oſtenderunt, ſed de omnibus nunquam. Unicum quod hanc in rem attulerunt Argumentum, Salmaſianum illud eſt, Petrum ſub Claudio mortuum eſſe. Quod ſi verum ſit, peccatum ſane fuerit quoad hanc Epocham ab illis Antiquis. Sed vide quæſo, quid præoccupata opinio poſſit! Unicus auctor, quem pro hoc ſuo Paradoxo Salmaſius allegat, Eutychius eſt ſeu

ſeu Ibn Batric Alexandrinus Patriarcha, noni ſæculi author, & fabulis plenus. Hunc Salmaſius Auctoribus multis *II. III.* & *IV.* Sæculi opponit. Quantum nobis irriſiſſet ſi nos tale quid auſi eſſemus! Sed quod memorabile eſt, oſtendit Pearſonius Eutychium ibi memoriâ lapſum eſſe & alibi diſerte contrarium aſſerere, atque antiquis accedere. Et cum ex Clemente Rom. conſtet Petrum martyrium paſſum eſſe, nulla vero Perſequutio Neronianam præceſſerit, liquet id ante Neronem fieri non potuiſſe. Itaque nihil obſtat, Petrum aliquo Neronis anno Romæ fuiſſe. Quoto vero, id ſuo loco videbimus.

Alia quæ objecerunt adverſarii adeo futilia ſunt, ut nullo negotio confutata fuerint à Pearſonio aliiſque ad quos remitto, Graviora retuliſſe contentus. Unum modo notandum, ſilentium Clementis Romani ab iis objectum, jam ſupra à me novâ prorſus reſponſione everſum eſſe.

§. 7. Petrus non potuit diu ante Neronem Romæ eſſe.

§. VII. Petrus itaque Romæ fuit, & hoc tanquam indubium à me poni poteſt. Jam inquirendum eſt quando Romam venerit.

Et ſtatim pono, eum Nerone Imperante Romæ fuiſſe. Id omnes Auctores teſtantur, qui de itineris hujus tempore egerunt, Auctor Prædicationis & Actorum Petri, Dionyſius Corinthius, Lucius Charinus, Tertullianus, Origenes, Hippolytus, Africanus, Petrus Alexandrinus, Lactantius, aliique & ab Euſebio omnes. Nec quisquam Antiquorum id negavit, aut quidquam opponi poteſt, quo oſtendatur eum nunquam ſub Nerone Romæ fuiſſe, licet multæ ſint rationes quæ hunc vel illum annum excludant.

Sed num ante Neronem Romam venit Petrus, & Nerone imperante ibi remanſit? vel an demum ſub Nerone iter hoc fecit? Ab Euſebii vel Hieronymi tempore conſtanter creditum eſt ab iis, qui eorum Chronologiam ſequebantur, Petrum ſediſſe Annis XXV. Ita omnes Catalogi etiam Latinorum. Sed ſententiam hanc falſam eſſe, & contra Hiſtoriæ fidem Antiquorumque teſtimonia peccare, jamdudum oſtenderunt Eruditi,

Digitized by Google

inter quos legendus omnino Caveus Hiſt. *Litter.* ad Petri nomen. Nec omnes, qui poſt Euſebium floruerunt antiqui, eum hâc in re ſequuti ſunt. Et originem Euſebianæ hujus Chronologiæ Dodwellus *Cap. III.* §. *I.* de Succeſſ. egregie oſtendit. Interim ut quod veroſimilius puto dicam, en ni fallor occaſionem quâ XXV. iſti anni Petro tributi ſunt. Ponebat Euſebius mortem Chriſti in A. XXXII. Et Petri mortem in A. LXIX. Interſtitium Annorum XXXVII. Jam Petrus antiquis pro Capite & quaſi Primate Apoſtolorum habebatur. Itaque totum hoc ſpatium ejus prædicationi & quaſi Epiſcopatui aſſignabatur. Refert autem Clemens Alex. ex antiquiſſimo Evangelio, & crediderunt antiqui, Apoſtolos ex Chriſti mandato per XII. ab ejus morte annos in Judæa manſiſſe, & Judæis modo Evangelium prædicaviſſe. Subduxit itaque Euſebius ex illis XXXVII. Petri annis XII. pro Epiſcopatu inter Judæos, & hoſce XII. annos Sedi ipſius Antiochenæ attribuit & cum eo alii. Supererant XXV. anni; hoſce Prædicationi inter Gentes aſſignavit, Et cum præcipua urbs Gentium Roma eſſet, præcipuaque Petri prædicatio ibi fuerit acta, neque alia loca nota eſſent ubi Petrus fuerit, hiſce rationibus adductus XXV. hos annos audacter ſedi Romanæ Petri tribuit. Illi ab A. LXIX. retro numerati in A. XLIV. Claudii III. incidunt, unde Euſebius vult A. XLIII. Claudii II. miſſum eſſe Petrum Romam & Antiochiam deſeruiſſe.

Origo fabulæ de XXV. annis Petri.

Sed omitto hoc & pono tanquam dudum probatum Petrum Romæ per tot annos non fuiſſe.

§ 8. Petrus ſub Nerone Romam venit.

§. 8. Cum tot Auctores, quos ſupra citavi, conſtanter aſſerant Petrum Romæ ſub Nerone fuiſſe, nec alius alium Imperatorem nominet, omnino præſumendum eſt, Auctores illos credidiſſe Petrum ſub ſolo Nerone Romæ fuiſſe. Hæc præſumptio tamdiu ſubſiſtit, donec contrarium probetur. Cur enim non aliquis horum auctorum dixiſſet, ſub Claudio Petrum Romæ fuiſſe, vel ſub Claudio & Nerone?

Sed non ſola nudaque præſumptio hic adeſt. Lactantius dubio procul vir erat antiquus, eruditus, rerum Eccleſiaſticarum

rum valde gnarus, & multos vel legerat vel audiverat, quorum hodie nihil ſupereſt. In Occidente vivebat & Eccleſiæ Romanæ monumenta noſſe debebat. Is diſerte affirmat *Petrum Nerone jam imperante Romam veniſſe.* Et quidem ex nexu cum præcedentibus apparet, Lactantium de primo Petri Romam adventu agere, i. e. eum non credidiſſe Petrum antea jam ſemel Romæ fuiſſe. Itaque conſtat Petrum ſub Nerone Romam veniſſe.

Sed an ſub initium ejus, vel an ſerius? Si ex ſolis Lactantii verbis conjiciendum, videbitur eum initio Neronis veniſſe. Nam Lactantius id contigiſſe dicit, *Nerone jam imperante.* Vocula *jam* ſuadet non dudum Neronem imperium tunc geſſiſſe. Alia ſunt quæ idem probant. Et quidem ſub initium ejus.

Leo M. Serm. LXXX. ait Petrum neque Claudii poteſtatem neque Neronis crudelitatem timuiſſe, cum Romam proficiſceretur. Is ergo tunc ſtatus rerum erat ut utrumque timere poſſet. Sed non ſimul, nam non unà regnarunt. Ergo ſucceſſive. Atqui modo ſub Nerone Romam venit. Itaque non potuit Claudium Romæ metuere. Itaque poterat modo eum metuere cum Itineri ſe accingeret & id apud ſe conſtitueret, procul dubio in Syria. Profectus eſt ergo Petrus Romam Claudio Imperante nec poteſtatem ejus timuit; Dum vero in itinere eſſet, Claudius obiit. Sed neque ejus Succeſſorem formidavit Petrus, & Romam venit Nerone jam Imperante, ſed modo recenter. Sic facile conciliantur Lactantius & Leo, quorum uterque Petri hiſtoriam ignorare non poterat.

Deinde antiquiſſima eſt traditio de Petro Simonem Magum inſectante. Jam Sæc. III. Arnobius & Sæc. II. fere ineunte Auctores Conſtitutionum & variorum Actuum Petri id referunt. Et affirmant Petrum ſtatim Simonem ſequutum eſſe. Venit autem Simon Romam ſub Claudio & quidem cum non longe à fine eſſet, ut ex Juſtino M. Irenæo, & aliis liquet. Ergo Petrus ſub initium Neronis Romam venit.

Præterea in nullo antiquorum quicquam reperitur, quod huic

huic ſententiæ obſtet. Et qui dicunt Petrum Romam ſub finem Neronis veniſſe mihi non repugnant, utpote qui duo Petri itinera ſtatuo.

Ultimo manifeſto apparebit me recte Petri iter ad initia Neronis collocare, ubi perpenſa fuerint quæ Capite ſequenti invicte probabo, nempe Linum & Cletum à Petro ordinatos eſſe, certe Linum, & tamen mortuum eſſe Linum ſub Nerone, poſtquam XII. Annos ſediſſet. Et conſtat inter omnes Petrum Romæ fuiſſe ante Lini Epiſcopatum.

Nec tandem omittendum inſigne teſtimonium Antiquiſſimi Catalogi, quem Nicephorus Conſtantinopolitanus ſervavit, ubi duo anni Petro tribuuntur. Unde concludo 1. Petrum non ſediſſe XXV. annos. 2. Veniſſe ſub Nerone. Nam Linus certe ſub Nerone Epiſcopus evaſit, & Petrus modò biennio ante Romam venit. 3. Veniſſe ſub initium Neronis, nam Linus ſub Nerone ſemper vixit, & XII. annos ex eodem Catalogo ſedit. 4. Romæ tunc modò per biennium manſiſſe.

§. 9. Petrus Romæ diu non manſit, & abiit priusquam Paulus eò veniret.

§. 9. Et ſane Petrus ab initio Neronis ad mortem usque ſuam, quæ ſub finem illius Imperatoris contigit, ſemper Romæ manere non potuit, ſed non diu poſt iterum inde receſſit. Et hoc ſic probatur. Quando Paulus Romam venit, Petrus ibi non amplius erat. Cum enim liberrimus ad Paulum pateret aditus, dubio procul inviſiſſet eum Petrus ſi adfuiſſet, & ejus rei mentionem feciſſet Lucas, qui alia minora refert. Itaque recte ſtatuerunt illi, qui Petrum Romæ fuiſſe negarunt, dum contenderunt eum certe Româ abfuiſſe cum Paulus ibi per biennium moraretur, ut *Act. XXVIII.* legitur. Sed inde non ſequitur Petrum nunquam Romam veniſſe.

Quod contigit poſtquam Feſtus in Judæam iviſſet.

Videndum itaque nunc eſt quando iter Pauli Romanum contigerit. Liquet ex Actis Apoſtolorum Paulum ſub Felice Cæſaream miſſum, *Act. XXIII.* Et cum ibi Captivus diu remanſiſſet, Felici Judeæ Procuratori Succeſſiſſe Feſtum, *Act. XXIV.* Feſtum poſt paucos dies Paulum audiviſſe qui Cæſarem appellaverit. Et iterum aliquot diebus interlapſis, in Agrippæ præſentia Paulum peroraſſe, qui adhuc Cæſareæ erat, donec Ro-

Digitized by Google

Romam mitteretur, *Act. XXV. XXVI.* quod adhuc ante Hyemem factum, *Act. XXVII.* Et Paulus anno ſequente ineunte Romam venit. *Act. XXVIII.* Si itaque ſciamus quo anno Feſtus in Judæam venerit, omnino annum ſciemus quo Paulus Romæ fuit.

Fl. Joſephus Judæorum Hiſtoricus nonnulla quidem de Felice, Feſtoque habet. Sed cum neque annos eorum figat, neque quicquam dicat, unde tempus rerum harum geſtarum exſculpi poſſit, parum nos iſthic juvare videtur. Interim tamen aliquam notam Hiſtoricam habet, quæ unica eſt quam adhibere poſſimus. Ait nempe Antiq. *L. XX. Cap. VII.* Felicem, cum Romam e Judæa rediiſſet, à Judæis accuſatum fuiſſe apud Neronem & vix Pallantis precibus evaſiſſe, qui tunc apud Neronem maxima præ omnibus gratia polleret. Inde vulgo concludebant viri Eruditi, circa initium Neronis hæc contigiſſe, quum Nero Pallantem in pretio haberet. **Tempus Feſti indagatus ex rebus Pallantis.**

Sed Cl. Pearſonius aliud prorſus & mirabile ſyſtema fovet, & ex ipſâ hâc Epochâ prorſus aliam concluſionem ducere conatur. Nempe ait Neronem nonniſi diu poſt initium ſui Imperii Pallantem in pretio habuiſſe. Idque ſic conficit. Ipſo ſtatim initio Imperii Neronis tædium ſui moverat Pallas, *Tacit. XIII.* 2. Secundo Imperii anno ineunte à curâ rerum demotus eſt, *Cap.* 14. Tertio ineunte, læſæ Majeſtatis reus fit, & cum abſolutus eſſet, Innocentia ejus grata non erat, *Cap.* 23. Quarto Imperii anno, Nero Poppeæ amore capitur, Agrippina contemnitur, tanquam ad libita Pallantis provoluta. Quinto Agrippina ipſa occiditur, & ſic odii Pallantis apud Neronem, poſtquam potentia exutus eſt, unica cauſa ſublata eſt. Poſt Agrippinæ cædem nulla Pallantis apud Neronem offenſio memoratur. Nono tandem Imperii anno veneno tollitur, nullius criminis reus, tantummodo quod immenſam pecuniam, longa ſenectute detineret, *Tacit. XIV.* 65. Quidni ergo VI. anno Neronis, gratiâ apud eum polleret Pallas? **Refutatur Pearſonius.**

Reſpondeo nullo negotio omnia hæc deſtrui, modo notetur Pallantem nunquam Neroni gratum fuiſſe, ſed modo ob A-

grippinam quæ hunc libertum maxime amabat toleratum fuiſſe, imo ex Agrippinæ precibus ad magnam poteſtatem evectum. ,, Agrippina . . . habebat in partibus Pallantem . . ,, Sed neque Neroni infra ſervos ingenium; & Pallas triſti ,, arrogantia modum liberti egreſſus, tædium ſui moverat. " *Tacit. Ann. XIII.* 2. Quomodo vero & quantum faverit Pallanti Agrippina idem in præcedentibus refert. Unde Nero cum inciperet Agrippinam odio proſequi, quod Nerone & Antiſtio Coſſ. Contigit A. C. 55. Neronis I. & II. Nero, inquam, ſtatim Pallantem aulâ ejecit, quâ de re *Tacitus XIII.* 14. ,, Nero infenſus iis, quibus ſuperbia muliebris innitebatur, ,, demovet Pallantem cura rerum, queis à Claudio impoſitus, ,, velut arbitrum regni agebat. " Inceperat enim favor Pallantis ſub Claudio, Agrippinæ ope: Unde cum Pallas à Nerone ejectus eſſet. " Præceps Agrippina ruere in terrorem & ,, minas. Pergit Tacitus. Paulo poſt majeſtatis accuſantur Pallas & Burrhus, " nec tam grata Pallantis innocentia, ,, quam gravis ſuperbia fuit. " Anno V. Neronis Agrippi interficitur. Deinde nulla amplius mentio Pallantis donec Anno IX. Neronis interficiatur.

Jam itaque 1. apparet Pallantem nunquam per ſe Neroni gratum fuiſſe, ſed potius gravem & tædioſum. Non itaque poterat proprio ſuo merito in gratiam apud Neronem redire. 2. Pallas modo Agrippinæ favore ſub Claudio & Nerone floruerat. Ergo moriente Agrippina, & alii ejus amici & Pallas omnibus honoribus privari debebant. 3. Male Pearſonius dicit ſublatâ Agrippina cauſam odii Pallantis ſublatam fuiſſe. Potius cauſam gratiæ Pallantis dicere debebat. 4. Tacitus diligentiſſimus rerum Neronis narrator, qui ſingulas ejus mutationes refert; & ſtatum Aulæ ſemper accuratiſſime depingit, neglexiſſetne mentionem facere Pallantis novum favorem adepti & Neroni inter primos amicos habiti? præcipue cum paucis ante paginis eum tanquam Neroni odioſum depinxiſſet. Sane hæc oblivio Tacito imputari non poteſt. 5. Interficitur Pallas, inquit Pearſonius, nullius novæ apud Neronem offenſio-

nis

Digitized by Google

nis reus. Hoc ipſum pro me facit. Si Neroni charus evaſiſſet, non ſine gravi offenſione eo ſe adduci paſſus eſſet Nero, ut eum interfici juberet.

Manifeſtum itaque eſt, Neronem nunquam Pallanti poſt initia regni ſui faviſſe, & ab anno II. Imperii Neronis libertum hunc Cæſari odioſum fuiſſe. Itaque Felix quem accuſatum ait Joſephus, cum adhuc maximâ gratiâ Pallas polleret, Felix, inquam, ineunte A. II. Neronis accuſatus fuit, vel exeunte primo, circa Autumnum A. 55. Ergo eo tempore Feſtus in Judæa fuit & ſtatim Paulum audivit, qui proximâ hyeme eodem A. LV. Romam profectus eſt & A. LVI. circa Februarium Romam venit, ut Pearſonius ait, vel quod rectius, circa Martium aut Aprilem. Quum autem Romam veniſſet, Petrus jam profectus erat, utpote qui nec obviam Paulo venit cum aliis fratribus, nec eum in carcere inviſit. Sed venit Romam Petrus ſub primum Neronis initium, Octobri forte A. LIV. Et manſit annum & dimidium uſque ad ver anni LVI. quod tempus pro 2. annis completis numeratur in Catalogo Nicephori, ubi fractiones negliguntur. Itaque aperte & indubie fixum eſt tempus, quo Petrus in primo Itinere Romæ fuit.

Paulus A. LVI. Romam venit.

Petrus biennium non integrum Romæ manſit.

Vin adhuc aliam notam quâ etiam initium Petri è Scriptura figatur. Quando Paulus ad Romanos ſcripſit, dubio procul Petrus Romæ non erat, alias cum cæteris Paulo ſalutandus. Scripta eſt hæc Epiſtola cum Paulus in Judæam properaret. Ivit vero in Judæam vere anni LIV. Ergo tunc Petrus Romæ nondum erat. Ergo recte ſtatutum eum circa autumnum hujus anni Romam veniſſe. Atque cum non dubium ſit Petrum Romæ Eccleſiam fundaſſe, nulla vero Romæ videatur fuiſſe Eccleſia diſtincta, quando Paulus eo ſcripſit, ut recte notavit Dodwellus *de Succeſſ. Cap. VIII.* §. 6. hoc iterum indicio eſſe, Petrum tunc nondum Romæ fuiſſe.

Digitized by Google

CAPUT II.

De Lini atque Cleti temporibus.

ARGUMENTUM.

Petrus Româ abiturus debuit quendam Eccleſiæ præficere. Præfecit vero Linum de quo omnes auctores Catalogique antiqui teſtantur. §. 1. *Lino ſucceſſiſſe Anacletum dicunt Irenæus aliique Antiqui, & omnes Catalogi excepto Romano. Sed ipſe mendoſus eſt, & reſtituitur è Codicibus quibuſdam & Antiquis ſcriptoribus, origo erroris oſtenditur.* §. 2. *Anacletum à Cleto idem Catalogus male diſtinguit, contra fidem antiquorum omnium & Catalogorum.* §. 3. *Quæ origo multarum confuſionum paucis indicatarum.* §. 4. *Sed in mendo cubare Catalogum Romanum probabile eſt. Et oſtenditur ex Optato, Auguſtino, Canone Miſſæ, & veteri Litaniâ, item Manuſcriptis quibuſdam ejus Catalogi.* §. 5.

§. 1.

§. 1. Petrus Epiſcopum Romæ ante diſceſſum conſtituit.

PEtrus Romam relicturus, dubio procul Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ ibi numeroſa jam erat, curam habere debuit, adeoque curam ejus alii committere. Hoc ſolemne erat Apoſtolis, qui in urbibus vicisque quâ eos iter ferebat, Epiſcopos & Presbyteros conſtituebant, ut Acta Apoſtolorum aliaque antiquitatis monumenta teſtantur. Sed ceſſabat hæc cura, ubi Eccleſiis jam aliqui præerant. Tunc enim etiamſi aliquis Apoſtolus eo adveniret, nullum tamen novum Antiſtitem creabat, ne ſcilicet Schisma oriretur. Exceptionem tamen huic regulæ inſignem, hoc ipſo Capite afferam, quando nempe duæ Eccleſiæ in unâ urbe erant, altera Gentium, altera Judæorum.

Digitized by Google

Videndum itaque eſt, num jam aliquis Epiſcopus vel Præpoſitus Romæ fuerit, cum Petrus eò veniret. Et id negandum eſſe oſtendit Epiſtola Pauli ad Romanos paulo ante ſcripta, in quâ hujus rei nec vola nec veſtigium reperitur; nec inter amplas ſalutationes, ulla ad talem Præpoſitum exſtat. Cum Petrus Romæ eſſet ipſe hoc officio fungebatur. Itaque profecturus, omnino debuit aliquem conſtituere.

Et id honoris ſortitum eſſe Linum ex Hiſtoriâ conſtat. Cum omne factum quod Hiſtorici fide digni narrant, quod publicum eſt, & quod nemo falſum aſſerit eſſe ex iis, qui omne negotium ſcire debent, cum, inquam, tale factum verum habendum ſit, non eſt quod dubitemus de Lini electione vel conſtitutione à Petro facta. Quem antiqui Linum fuiſſe teſtantur.

Publicum hoc factum fuiſſe, & neminis interfuiſſe id fingere, nemo negabit. Teſtes vero produco tales quorum fides nec infringi ullo modo poteſt, nec Auctoritas detorqueri.

Irenæus antiquiſſimus Auctor illorum ætate vixit, qui & Linum & Petrum etiam viderant. Romæ præterea fuit & in Eccleſiæ Romanæ Origines Succeſſionemque magnâ curâ inquiſivit, occaſione Controverſiæ de Paſchate. Is, tanquam factum notiſſimum & certiſſimum, refert Linum à Petro ordinatum fuiſſe. *Beati*, inquit, *Apoſtoli igitur Petrus & Paulus, Eccleſiâ Romæ fundatâ, Lino Epiſcopale miniſterium tradiderunt.* Irenæus *Libro III. Cap. III.* Hoc multis auctoritatibus probatur.

Egeſippus adhuc ante Irenæum ſcripſit, & Romæ ſub Aniceto circa A. CXLV. ex profeſſo Succeſſionem Epiſcoporum Romanorum inde à Petro expendit, eorumque Catalogum dedit. Et Hippolytus alium, quem etiam ex Monumentis certiſſimis Sæculi III. ſub Elagabalo & Alexandro collegit. Ne de illis loquar quos creduntur Eros, Africanus, Anianus & Panadorus collegiſſe. Horum omnium Catalogorum nomina & annos nobis ſupereſſe propoſitum mihi eſt, aliâ forſitan occaſione, oſtendere. Servata nimirum præcipua antiquorum Catalogorum momenta in hodiernis credo. Cum itaque in

Digitized by Google

hodiernis cunctis Linus ſtatim Petro Succeſſiſſe dicatur, ſequitur idem in antiquis factum fuiſſe.

Qui nobis hodie ſuperſunt Catalogi & Hiſtoriæ Epiſcoporum Romanorum primævæ fontes, iſti ſunt: Romanus, cujus multa exemplaria habemus, antiquiſſimum vero Liberii tempore ſcriptum eſt. Conſtantinopolitanus, quem in Nicephori Chronologiâ, Alexandrinus, quem in Eutychii Chronologiâ, Cæſareenſis, quem in Euſebii Hiſtoriâ & Chronico, Et alius, quem in Syncello habemus.

Teſtantur hoc Auctores præterea varii, Pſeudonymus ſub Tertulliani nomine contra Marcionem. *L. III.*

Hâc cathedrâ, Petrus quâ ſederat ipſe, locatum
Maxima Roma Linum primum conſidere juſſit.

Epiphanius *Hær. XXVII.* Petro & Paulo Linum Succeſſiſſe dicit. Aſſentiuntur Optatus *L. II.* & Auguſtinus *Ep. CLXV.* verbo nil certius.

§. 2. Lino ſucceſſit Anacletus. §. 2. Lino Cletum ſeu Anacletum ſeu Anencletum ſurrogatum eſſe pariter conſtat, & iidem Auctores teſtantur.

Irenæus l. c. poſt Linum dicit Epiſcopatum ab Anencleto ſuſceptum eſſe.

Catalogi omnes idem aſſerunt, quos ex antiquiſſimis Egeſippi, Hippolyti aliorumque ſcriptis collectos eſſe jam dictum, unde ulterius id monere ceſſabo. Catalogus Euſebii Lino Succeſſorem dat Anencletum, huic vero Clementem. Catalogus Eutychii Lino poſtponit in Patriarchatu Romano Dacletium, id eſt illum noſtrum ſeu Cletum ſeu Anencletum. Nicephorus pariter Epiſcopos Romanos ſic numerat, *Petrus ann. II. Linus ann. XII. Anencletus ann. II. Clemens ann. IX.* Syncelli recenſio ſic ſe habet. *Linus ann. XVIII. Anencletus ann. II. Clemens ann. IX.*

Cui Theſi obſtat Catalogus Romanus. Sed huic communi recenſioni obſtare videtur Catalogus Romanus, cujus antiquiſſimum exemplar, quod Liberianum dicitur, Clementem Lino ſucceſſiſſe dicit, Clementi Cletum,

Cle-

Cleto Anacletum. De Cleto hoc ab Anacleto diverſo infra dicam. Jam id modo ago ut oſtendam duorum priorem, qui Cletus in Catalogo audit, Clementi præponendum fuiſſe. En ordinem horum Præſulum juxta id exemplar.

Petrus ann. XXV. a Vinicio & Longino, uſque Nervæ & Veri Conſ. id eſt ab A. XXX. ad A. LV.
Linus ann. XI. a Saturnino & Scipione ad Capitonem & Rufum, id eſt ab LVI. ad A. LXVII.
Clemens ann. IX. a Trachalo & Italico ad Veſpaſianum VII. & Titum, id eſt ab A. LXVIII. ad A. LXXVI.
Cletus ann. VI. a Veſpaſiano VIII. Domitiano VI. ad Domitianum IX. & Rufum, id eſt ab A. LXXVII.ad A. LXXXIII.
Anacletus ann. XII. a Domitiano X. & Sabino, ad Domitianum XVII. & Clementem, id eſt ab A. LXXXIV. ad A. XCV.

Verum cum varios Catalogos Latinos habeamus, qui omnes, ut alibi dici poterit, pro exemplaribus diverſis ejuſdem Catalogi Eccleſiæ Romanæ habendi ſint, ſequitur ea ſibi mutuo emendationi inſervire debere, ita tamen ut, cæteris paribus, antiquiora recentioribus præferantur. Semper autem illa ſequenda, quæ cum cæteris auctoribus & Catalogis conveniant. Itaque conſulendum eſt nobis Exemplar Catalogi Romani antiquitate fecundum, quod Juſtiniani tempore exaratum. Ibi ordo ſic ſe habet. Petrus ut ſupra, Linus ut ſupra, poſt Linum.

Cletus ann. XII. a Veſpaſiano VIII. Domitiano VI. ad Domitianum IX. & Rufum.
Clemens ann. IX. a Tracalo & Italico ad Veſpaſianum VII. & Titum.

Anacletus ut ſupra, &c. Vides ordinem immutatum & Cletum Clementi præpoſitum. Sed Conſules iidem ſervantur, unde Cletus tamen poſteriores Conſules habet, Clemens prio-

res.

res. In hoc dubio conſulenda alia Exemplaria, quæ iſthic notis deſignanda erunt, tum brevitatis, tum evitandæ confuſionis ergo. Catalogus, quem litt. A. in poſterum notabo, Vigilii ætate ſcriptus eſt. Litt. B. ſub Gregorio Magno verſus A. 600. Litt. C. ſub Theodoro I. Sæculo VII. Litt. D. ſub Joanne VI. Sæc. VIII. Litt. E. circa A. 825. Litt. F. circa A. 900. Litt. G. ille eſt quem Schelſtratenus exhibet *Antiq. Eccleſ. p.* 633. & ejusdem ævi eſt. Hoſce Catalogos tantum non omnes Schelſtratenus citato operi inſeruit. Unum exhibet Dodwellus ad calcem Diſſ. de Succeſſione, &c. eum ſc. quem Litt. C. notavi. A. vero & D. Mabillonius in ſuo opere de re Diplomaticâ habet, quod opus ad manus cum non habeam, ex Pearſonio Dodwelloque, qui citant, allego. At quum nonniſi pauca citent, ideo hos Catalogos duos ubique cum aliis comparare non potui. Præter notatos Catalogos, alius eſt quem Litt. I. notabo, ille ſc. Juſtiniani ætate ſcriptus, quem Paulo ante citavi, & quem apud Schelſtratenum aliosque reperies. Poſtremo Litt. P. Librum Pontificalem deſignat. Notandum autem eſt reliquos quidem Catalogos nuda nomina annosque Pontificum exhibere, Liberianum autem antiquiſſimum, Juſtinianæum, & Pontificalem, Conſules, etiam geſta, &c. addere. Ita tamen ut Liberianus ſimpliciſſimus breviſſimusque ſit. Juſtinianæus, nil niſi Liberianus auctus. Liber Pontificalis, nil niſi Juſtinianæus pariter auctus. Præter hoſce Catalogos nunc recenſitos nullos plane reperi, qui alicujus ponderis antiquitatisve ſint. Hæc autem circa Catalogos ideo hoc loco monui, quod primo quidem mihi propoſitum eſſet huic opuſculo, Partem primam quandam præmittere, ubi de Hiſtoricis, Chronologisque cunctis qui Hiſtoriam Pontificiam tractaſſent, &c. egiſſem. Quod tamen facere per tempus non licuit, ſi vero vacet lubeatque, alias forſitan fieri poterit. Interim neceſſarium duxi hæc de Catalogis monere perſpicuitatis ergo.

Corrigendus tamen

Jam ergo ecce quomodo Catalogi iſti primos Epiſcopos Romanos diſponunt.

A.

A	B	C	D	E	F	G	J	P
Petrus	Petrus	Petrus	Petrus	Petrus	Petrus	Petrus	Petrus	Petrus
Linus	Linus &	Linus	Linus	Linus	Linus	Linus	Linus	Linus
Cletus	Cletus	Cletus	Cletus	Cletus	Cletus	Cletus	Cletus	Cletus
Clemens	Clemens	Clemens	Clemens	Clemens	Clemens	Clemens	Clemens	Clemens
	Anacletus			Anacletus	Anacletus	Anacletus	Anacletus	Anacletus

Viden' in novem his Catalogis Cletum præponi Clementi. Idem autem, ut vidimus, exigunt Euſebii aliorumque in Oriente Catalogi, & Scriptores omnes antiqui. Exigunt in ſpecie Pſeudo-Tertullianus, Canonis Miſſæ & veteris Litaniæ Romanæ auctores, quos, ex Catalogo Romano, Epiſcopos deſcripſiſſe certum eſt. Unde patet antiquitus Catalogum illum Cletum, ut par erat, Clementi præpoſuiſſe, quem ordinem cuncta Exemplaria ſervant, ſi Liberianum excipias, quod corruptum eſſe patet. Quibus addi debet fragmentum Chronici antiqui apud Shelſtratenum Ant. Eccl. p. 520. Quod Chronicon Cletum Clementi præponit.

Quæ ergo eſt origo hujus Erroris, inquies? Quid de Conſulibus dicendum, qui in Catalogo Liberiano occurrunt juxta corruptas ejus rationes, in Juſtinianæo verò, correcto licet, nihilominus ſervati ſunt? Hoc facile olfaciet qui Catalogorum horum originem expenderit, cognoveritque, eo tempore quo facti ſunt, ſuperfuiſſe modo numerum annorum quibus Antiquiſſimi Epiſcopi ſederint, non vero Imperatorum annos vel Conſulum paria, quæ Epiſcoporum temporibus reſponderint. Poſteriores vero Chronologos Euſebium, Eutychium, Catalogi Romani auctorem vel Corruptorem, annos Epiſcoporum ex antiquis monumentis Egeſippi, Hippolyti aliorumve petitos, ex propriis ſuis Hypotheſibus, aliis Epochis alligaſſe. Adeoque ſummam quidem annorum cujusvis Epiſcopi, nos poſſe pro certâ aſſumere, Conſulatus autem negligendos eſſe.

Jam Antiquitus, unus modo Cletus aut Anacletus notus erat, qui unà cum Lino ſederat, quæ deinde videbimus. Itaque in aliquo antiquo Catalogo ſic diſpoſiti fuerint Epiſcopi.

Petrus ann. XXV. uſque Nerone & Vetere, id eſt, A. LV.
Linus ann. XII. uſque Capitone & Rufo, id eſt, A. LXVII.

Cletus ann. XII. (ſcil. eodem cum Lino tempore, ad eosdem Coſſ.)

Clemens ann. IX. uſque Veſpaſiano VII. & Tito, id eſt, A. LXXVI.

Igitur aliquis exſcriptor videns Conſules in Cleto non notatos eſſe, & ignorans eum cum Lino ſediſſe, ſic argumentatus fuerit, à Nerone, & Vetere ad Veſpaſianum VII. & Titum ſunt anni XXI. At Lini, Cleti, Clementis anni ut à, XXXIII. annos Conſtituunt, Ergò abundant XII. qui tollendi ſunt. Itaque Cletum expunxerit, & ne tamen prorſus deſereret, poſt Clementem poſuit.

Undecunque vero hæc interpolatio orta fuerit, patet mendoſum eſſe hoc loco Catalogum Romanum. Oportet autem mendum jam dudum irrepſiſſe, cum Optatus & Auguſtinus jam olim, ſoli tamen inter antiquos, Cletum Clementi poſtponunt, vitioſo Catalogo Romano decepti. Nos Clementem Cleto, Cletum Lino ſucceſſiſſe ſtatuimus.

§. 3. Anacletus & Cletus male diſtincti.

§. 3. Excerptâ à nobis Succeſſione Epiſcoporum è variis Romani Catalogi exemplaribus, patet nonnulla exemplaria Anacletum à Cleto ſeparare, & è duobus his nominibus duos diverſos Epiſcopos exſculpere. Quam ſententiam, quamvis abſurdam, non pauci recentiorum ſequuntur ob auctoritatem, quam Libro Pontificali affingunt, quem Damaſo tribuunt; quantumvis hodie de contrario conſtet, Librum illum ſc. demum VIII. Sæculi fœtum plane ineptum eſſe. Facile autem erit duos hos Imaginarios Epiſcopos deſtruere, & ex iis unum facere.

Primo, Antiquiſſimus ſcriptor diligentiſſimusque Irenæus Cletum non agnoſcit, ſed Lino Anacletum, Anacleto Clementem, huic Evareſtum ſubjungit. Quis vero credat, Cleti memoriam Irenæi tempore excidiſſe, ſi revera exſtiterit?

Secundo, Non multo recentior Irenæo Anonymus adverſus Artemonitas poſt Zephyrini tempora, forte circa A. CCXXX. ſcripſit, quem male Cajum credi alias forte dicam. In hujus fragmento ap. Euſeb. H. E. *L. V. Cap. Ult. Victor XIII.*

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopus dicitur, à Petro. Qui numerus conſtabit, ſi 1. Linum, 2. Cletum aut Anacletum, 3. Clementem & porro numeres. Non vero, ſi ex ſecundo duos facias; Tum enim Victor XIV. evadet.

Tertio, Auctor Epiſtolæ Ignatii majoris ad Trallianos (quem Ignatium ipſum fuiſſe, non improbabiliter forſitan, *Diſſ. II.* §. 3. aſſero), Epiphanius, Hieronymus, & utroque antiquior Cyprianus, aliique, in numero Epiſcoporum notando, diſerte ex Anacleto & Cleto unum faciunt, quorum numerus alias non conſtaret.

Quarto, Plerique memoratorum Auctorum Romæ fuerunt, & ibi ordinem Epiſcoporum didicerunt. Mirum foret igitur, diſtinctionem illam Cleti & Anacleti, Irenæi aliorumque tempore, Romæ obliteratam fuiſſe, repente autem Sec. IV. à quo, nec quâ auctoritate neſcio, revocatam.

Quinto, non contra horum modo auctorum fidem duplex Epiſcopus ex uno fit, ſed & hoc contra omnes Catalogos Orientales pugnat, Euſebii, Nicephori, Eutychis, Syncelli, qui ſic Epiſcopos illos primos recenſent.

Euſebius	Nicephorus	Eutychius	Syncellus
1. Petrus an. XXV.	Petrus an. II.	Petrus an. XIX.	Petrus an. **
2. Linus an. XII.	Linus an. XII.	Linus an. XII.	Linus an. XVIII.
3. Anacletus an. XII.	Anencletus an. II.	Dacletius an. II.	Anencletus an. II.
4. Clemens an. IX.	Clemens an. IX.	Clemens an. IX.	Clemens an. IX.
5. Evariſtus an. VIII.	Evariſtus an. VIII.	Evariſtus an. VIII.	Evariſtus an. **

Communi conſenſu omnes de Cleto altum ſilent, unum vero ſaltem Epiſcopum habent, quem Anacletum, Anencletum, vel Dacletium deſignant.

§. 4. Præterea omnia quæ de duplici iſto Anacleto ſeu Cleto feruntur, notas habent manifeſtas confuſionis, atque veſtigia adhuc tenent antiquæ integritatis. §. 4. Diſtinctio illa magnæ confuſionis origo.

Sexto igitur, Nomen ipſum pro nobis militàt, ſicut enim Anencletus, Anacletus, Dacletius, unus idemque eſt, ita Cletus non differt ab illo. At Conjecturam de nomine hoc memoratu plane dignam infra §. 5. referam.

D 2

Sep-

Septimo, Utrique idem temporis ſpatium ſeu idem annorum numerus tribuitur. Cletus, juxta Catalogi Romani exemplar Liberianum, ſedit ann. *VI.* cui ſuffragatur Liber Pontificalis, ſed mendoſe. Nam Catalogi ſub litt. A. B. C. E. F. G. imo antiquus ille ſub litt. J. conſtanter ann. *XII.* præferunt, & Manuſcripti bonæ notæ Libri Pontificalis habent *XI.* (pro *XII.* nempe annis incompletis numeratis) ut notat Schelſtatenus. Alio errore Catalogus D. habet ann. *IX.* ex aliis corrigendus. Igitur plurimorum exemplarium fide ſtatuendum eſt, Cletum ann. *XII.* ſediſſe. Jam Anacleto tribuunt annos *XII.* Catalogus Liberianus, & Catalogi B. F. G. J. nam A. C. D. Anacletum omnino prætermittunt. Liber Pontificalis vero & Catalogus E. habent *IX.* annos, iterum mendoſe, & Manuſcriptum Libri Pontificalis recte *XII.* legit. Uterque ergo Cletus & Anacletus *XII.* annos ſediſſe dicitur.

Octavo, Ille eſt Anacletus, ut teſtantur Catalogi Orientales, Irenæus, cæterique auctores, qui Lino ſucceſſit. At vero Catalogi Romani Cleto hoc tribuunt ut §. 3. oſtendi. Igitur Anacletus cum Cleto confundendus.

Nono, Videntur quidam Catalogi Romani Exſcriptores, quod de Anacleto audiverant, etiam Cleto ſuo tribuiſſe. Nempe Anacletus cum Lino ſediſſe credebatur. Unde crediderunt Cletum ſuum cum Clemente, forte ſediſſe. Igitur cum obſervarent Anacleto *XII.* annos tribui, tot nempe quot Lino; cenſuere ſuo Cleto *IX.* annos quoque dandos eſſe, tot nempe quot Clementi, quod in Catalogo D. factum videtur.

Decimo, Viciſſim alii Cletum cum Lino ſediſſe audiverant, ideoque Anacletum cum Clemente pariter finxerunt ſediſſe. Unde Cleto annos *XII.* Anacleto annos *IX.* dederunt, vid. Liber Pontificalis & Catalogus E.

Undecimo, inconſtantiſſimus eſt Catalogus Romanus, in ordine Cleti & Anacleti collocando. Quædam exemplaria Anacletum præponunt, alia Cletum, &c.

Ex quibus apparet Anacletum & Cletum unum eſſe, diſtinctic-

Digitized by Google

ctionem vero eorum perperam inventam, multorumque errorum cauſſam fuiſſe.

§. 5. Sed quâ ergo tandem auctoritate creditur duplicem fuiſſe Anacletum & Cletum? Catalogi Romani, cujus exemplar Liberii ætatem præferens, Cletum & Anacletum diſtinguit, quod ſequitur Catalogus J. antiquitate & præſtantiâ ſecundus, Item Catalogi E. F. G. atque Liber Pontificalis. Et non recentem eſſe eam lectionem inde liquet, quod Pſeudo-Tertullianus hoc Catalogo jam uſus, Cletum & Anacletum ſeparatim nominet, quem poſt Hieronymum, ſed non multo ſerius, ſcripſiſſe fatetur Tertulliani diligentiſſimus Hiſtoricus Cl. Allix. Non tamen obſtant cunctæ hæ auctoritates, quominus ſtatuam Catalogum Romanum hic à ſciolo corruptum, & genuinæ lectioni reſtituendum eſſe. Unde poſtquam in genere monuero, veroſimile non eſſe, hunc Catalogum ſolum omnibus jam relatis Auctoribus contrarium eſſe, & tot errores committere, præcipue cum ex antiquiſſimis Monumentis collectus ſit; neque veroſimile eſſe, æqualis antiquitatis monumenta ejuſdemque auctoritatis inter ſe pugnare. His ita præmiſſis nemo non ſuſpicabitur, falſarias manus Catalogo huic injectas fuiſſe; Quod revera ita ſeſe habere nunc probare ordiar, errorique huic mederi pro viribus conabor.

§. 5. Uno Catalogo Romano nititur, ſed corrupto.

Duodecimo itaque, Auguſtinus & Optatus eo antiquior ſeriem ſuam Epiſcoporum Romanorum, nonniſi è Catalogo Eccleſiæ Romanæ, hauſerunt, qui tum ſolus in Occidente notus erat, & quem preſſo pede ſequuntur. Ex iis igitur perſpici poteſt, quid in ſuis exemplaribus legerint. Jam Optati recenſio hæc eſt *Sedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, Clementi Anicletus, Anicleto Evariſtus.* Optatum vel potius eundem Catalogum Romanum ſequitur Auguſtinus *Ep. CLXV.* his verbis, *Petro enim Succeſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evariſtus.* Ergo ſuo tempore Optatus & Auguſtinus unum Anacletum legebant, alterum vero Cletum ignorabant. Ergo quædam antiquiſſima illius Catalogi exemplaria hoc errore libera erant. Ex illis igitur alia corrigenda ſunt.

Digitized by Google

Decimo tertio, Argumento ſunt quædam Exemplaria, quæ adhuc hodie exſtant, quæque Cletum unicum habent & duplicem fictitium non agnoſcunt. Catalogus antiquiſſimus Sæc. VI. ſub Vigilio compoſitus, quem litt. A. inſignivi, Item Catalogi C. & D. hunc ordinem præ ſe ferunt, *Petrus, Linus, Cletus, Clemens, Evareſtus.* Anacletum autem alterum omittunt. Varia itaque eſt lectio Catalogi Romani. Unde illam eligendam eſſe patet, quæ Hiſtoriæ cæteriſque auctoribus & Catalogis congrua eſt. Adeoque unum modo Anacletum aut Cletum retinendum.

Decimo quarto, ſuppetit ratio, & quidem non una, Corruptelæ hujus. Vel primo, Scripſerat Catalogi compilator, *Petrus, Linus, Cletus, Clemens.* Et aliquis videns in Irenæo aliiſque mentionem Anacleti fieri, nomen hoc margini adſcripſerit, variæ lectionis inſtar, quod alii male intelligentes utrumque nomen in textum repoſuerint, & ſic duos Epiſcopos ex uno fecerint. Vel ſecundo, cum aliquis inveniret in Irenæo & alibi, Anacletum Lino ſucceſſiſſe, aliunde vero ſciret ejus nominis Epiſcopum unà cum Lino ſediſſe, ſtatim duos inde Anacletos, vel unum Anacletum & alterum Cletum exſculpſit. Tertiam erroris cauſam mihi ſuppeditatam & plane notatu dignam viſam addo. In antiquis Catalogis Cletus cum Lino ſediſſe dictus fuerit. Quod Egeſippus aliusve Græcus Græce exprimens, λῖνος, ἅμακλητος ſcripſerit, ex Latino *Linus, ſimulque Cletus.* Exſcriptores, præcipue Latini Græcorum imperiti[1], ex Αμακλητος fecerint Ανακλητος: Vel ſic. Catalogi illi ſic ſe habuerint λινος ανευ κλητου ἔτ . . . λινος αμα κλητου ετη . . . quia Linus primo ſolus, dein cum Cleto ſedit, Et ex ανευκλητου fecerint Ανεγκλητος, &c. Unde factum ut Anacletus in Græcis Orientalibus Catalogis legatur, Cletus vero in Romanis Latiniſve ſervatus ſit. Sic Anacletus prorſus rejiciendus foret tanquam ſuppoſititius, dicendumque eſſet Corruptelam hanc Irenæo antiquiorem eſſe, qui jam Anacletum habet, vel potius corruptelam ipſis Irenæi codicibus illatam eſſe, unde ad alios Græcos manaverit. Sequiores vero Lati-

ni

Digitized by Google

ni Anacletum & Cletum conjungere voluerint. Cæterum ſi hæc ratio non placeat nonnullis, certus omnino ſum eos nullàm aliam proferre poſſe, cur Cletus Anacletusque idem homo vocetur, duo enim hæc nomina eum revera geſtaſſe abſonum eſt.

Decimo quinto, Canon Miſſæ itemque Litania vetus Eccleſiæ Romanæ à Pearſonio citantur, in quibus unicus Cletus occurrit, Anacleti mentio nulla fit. Nemo vero dubitabit, ex Catalogo Romano, nomina hæc & ordinem in officio Miſſæ obſervatum, deſumpſiſſe ejus auctores. E. legerunt in illo Catalogo ſolum Cletum. Ergo genuina hæc lectio reſtituenda.

Cum unico Catalogo Romano innixa fuerit ſententia de diverſo Anacleto & Cleto, & oſtenſum ſit à nobis Catalogum illum emendandum eſſe; Procul dubio nemo dubitabit antiquos auctores & alios Catalogos ipſumque Romanum emendatum ſequi. Unde concludo, Lino ſucceſſiſſe Anacletum vel Anencletum, qui etiam Cletus dictus eſt, & qui alium cognominem ſucceſſorem non habuit.

CAPUT III.

De Clementis ab Apoſtolis ordinatione, & de Lini & Cleti ſimultaneâ ſeſſione.

ARGUMENTUM.

Clemens Cleto ſucceſſit, & quidem vivis Apoſtolis, quod probatur primo, teſtimoniis nempe Recognitionum (quæ defenduntur) Conſtitutionum, Rufini, Catalogi Romani, nemine contradicente, §. 1. Secundo ex Ipſâ Clementis Epiſtola cujus tempus oſtenditur. §. 2. Quam Clemens jam Epiſcopus ſcripſit. Ejus ætas aliis notis firmatur, itemque teſtimoniis Irenæi, Egeſippi, Hermæ. §. 3. Chronologiæ ſeries idem exigit. §. 4. Unde ſequitur, Linum & Cletum ſucceſſive ſedere non potuiſſe. §. 5. Sed eos ſimul ſediſſe probatur. §. 6.

§. 1.

§. 1. Clementem Cleto ſucceſſiſſe certum.

Anacleto vel Cleto Clementem ſucceſſiſſe non dubium eſt. Nec opus eſt iterum operoſe Irenæum alioſque adducam, cum tædioſas has allegationes in illas occaſiones ſervare debeam, ubi aliqua eſt Controverſia. Nam illos, qui Clementem ſtatim Lino ſufficiunt, & Cletum aut Anacletum Clementi, jam ſupra *Cap. II.* §. 2. refutavimus. Sed inquies, quid jam Clemens in Scenam prodit, cum Lini & Cleti anni determinati nondum ſint? Id brevi apparebit. Neceſſum eſt de Clemente agere incipiamus, ut Lini, vel certe Anacleti tempus recte figamus.

Sed num vivis Apoſtolis?

Quæſtio nempe eſt, num Clemens viventibus adhuc Apoſtolis ordinatus ſit Romanus Epiſcopus? Per Apoſtolos, iſthic Petrum & Paulum intelligi nemo non videt.

Re-

Digitized by Google

Reſpondeo affirmando. Et reſponſionem hanc meam graviſſimis Auctoritatibus comprobaturus ſum. Affirmatur.

Primum teſtimoniorum genus mihi ſuppeditabit Auctoritas multorum antiquorum, qui id nemine contradicente teſtantur. Sed hoc facit fidem Hiſtoricam. Ergo verum eſt Clementem ab Apoſtolis ordinatum eſſe. Id jam agendum eſt, ut loca referantur ſcriptorum quibus in hâc Theſi innitor. Primo, ex auctoritate.

De Clementis ab Apoſtolis vel certe à Petro ordinatione, teſtimonium luculentum ferunt Libri illi, qui ex antiquiſſimis monumentis collecti, ſub Actorum aut Prædicationum Petri, aut Recognitionum, Periodorum Petri & Clementinarum titulo noti fuerunt, partimque hodie ſuperſunt. De Librorum illorum Antiquitate non dubitabit, qui inter alia & iſta mecum obſervaverit. 1.) Ipſum illum Librum qualem hodie habemus, IV. Sæculo non pauci, III. jam Origenes citant. 2.) Ut Liber ille Auctoritatem tam ſanctam apud Criticum non vulgarem Origenem acquireret, & genuinus Petri Clementiſque fœtus ipſi videretur, non debuiſſe recentem eſſe. 3.) Medio Sæc. II. Bardeſanem Syrum magnam ejus Libri laciniam in opus ſuum *de Fato* tranſtuliſſe, Euſebio de Præp. Ev. L. VI. Cap. X. citatam. Nam Recognitionum auctorem potius id ſegmentum à Bardeſane habere, credibile non eſt. Quomodo enim auſus fuiſſet Bardeſanis opus publicum & notiſſimum, pro Apoſtolici viri verbis venditare, ne vel levi mutatione factâ? Et nonne Origenes aliique inde νοθείαν ejus agnoviſſent, qui Bardeſanem omnino legerant? Ne indicia recenſeam ex ipſo contextu petita, quæ oſtendunt primum genuinumque Scriptorem, non Syrum ſed Romanum fuiſſe. Et quod Bardeſanes plura habeat, utpote qui ea auxerit, quæ ex fonte ſuo petebat, &c. Sed hæc, brevitati ſtudens, Lectori perſpicienda relinquo. 4.) Jam diverſæ Editiones fuerunt ſuntque harum Periodorum Petri, ut manifeſtum ſit compilationes eſſe variorum Librorum monumentorumque ſeparatorum. 5.) Et ſane tanquam ſeparati Libri antiquis memorantur, Diſputatio Petri & Appionis, Ejuſdem & Simonis, aliaque, quæ omnia Recognitio- Recognitionum, quæ defenduntur.

 nibus

nibus continentur. 6.) Non dubium eſt ergo Acta & Prædicationem Petri etiam, ex parte ſaltem, huc transfudiſſe Compilatorem. 7.) Unde hæc omnia Scripta apud multos antiquorum confunduntur. 8.) Citant autem Prædicationem Petri Clemens Alexandrinus & eo antiquor Theodoſus. 9.) Ex his omnibus conſtat certe medio Sæc. II. priores eſſe hos Libros. 10.) Eorum itaque Auctores non debebant ignorare res ſatis recentes & publicas, quarum Hiſtoriam facere aggrediebantur. 11.) Neque ea erant iſta quæ corrumperent. Potius ſtatim ſe prodidiſſent, ſi ſumma illa rerum capita & ἀδιάφορα falſaſſent. 12.) Fides itaque Hiſtorica illis haberi poteſt in talibus negotiis. Quod luculento Exemplo infra illuſtrabo, ubi Recognitiones defendam ab Anachroniſmo iis imputato, oſtendamque eas rectiſſime Jacobi juſti tempus emortuale ſtatuiſſe, & inde omnes alios Hiſtoricos corrigendos vel explicandos.

Quæ cum ita ſint, nullo jure poſſumus aſſenſum noſtrum ordinationi Clementis à Petro denegare, quæ diſerte refertur in Epiſtolâ, ſub nomine Clementis ad Jacobum, Recognitionibus præfixâ. Et ne quis quærat, num Epiſtola illa forte ſequiori ætate addita ſit, notandum, eam non modo IV. Sæc. tanquam genuinam Clementis habitam eſſe, ſed & majoris auctoritatis fuiſſe, quam ipſos Recognitionum Libros: Imo Libros illos abſque illâ Epiſtolâ nunquam exſtare potuiſſe, cum eam paſſim ſupponant. In hâc autem Epiſtolâ, Clemens introducitur ordinationem ſuam narrans à Petro acceptam, non diu antequam Apoſtolus martyrio vitam finiret. Itaque credebatur Auctoris hujus tempore, Clementem vivente Petro Epiſcopum Romanum evaſiſſe: Nec ratio eſt cur traditioni huic fidem derogemus.

Conſtitutionum. Alter teſtis quem produco, Scriptor eſt Conſtitutionum Apoſtolicarum. Illum circa prima Sæc. II. initia vixiſſe, & ab eo tempore in magno pretio habitum eſſe oſtendam, ſeparatâ Diſſertatione, unde in tali facto omnino credendum ei eſt. Sic

autem.

autem ille L. VII. Cap. XLVI. *in locum Lini*, *Clemens Romæ ordinatus eſt à me Petro.*

Ruffini.

Tertium teſtimonium ætate poſterius, ſed grave tamen, ſuppeditat Ruffinus Recognitionum Interpres, qui, in Præfatione ad Verſionem ſuam, Linum & Cletum dicit unà ſediſſe, & Clementem à Petro Romanum Epiſcopum conſtitutum eſſe. Unde, falſo tamen, nonnulli recentiorum finxerunt, totam hanc traditionem auctoritate Ruffini niti. Nec Ruffinus unice ex Recognitionum Libris hanc narrationem hauſit, allegat enim eam, ad confirmandos illos Libros, tanquam aliunde petitam, & quam nemo in dubium revocet, qui in illis rebus verſatus ſit. Non poterat autem ignorare Ruffinus, quid eâ de re Romani ſentirent, & quid eorum Catalogi vel Hiſtorici ferrent. Fidem ergo adhibere debemus ipſi.

Catalogi Romani aliorumque.

Catalogi Romani auctores, & inde compactus Liber Pontificalis, quarto loco adducendi ſunt. Agnoſco eos Auctores ex Ruffino & Recognitionibus ea petiiſſe quæ eâ de re habent. Sed hoc ipſum indicio eſt, eos Ruffini dicta vera comperiſſe, nec alios Auctores fuiſſe qui aliam ſententiam foverent. Quomodo ignoraſſent Catalogorum compilatores tam notabile factum? Quomodo Ruffinum ſequuti eſſent, ſi auctoritates reperiſſent contrarias? Cæterum Irenæi & Hegeſippi auctoritates graviſſimas licet omnium, id circo non affero, quia de iis agam §. 3. ut & de graviori adhuc Hermæ loco.

Quinto, *ubi aliquod negotium à Teſtibus quibuſdam affirmatur, ab aliis negatur, in dubio ſolent tamen affirmantes præferri, etiamſi numero pauciores.* Quid igitur ſi nonnulli affirment, nullus neget? Et hic eſt caſus iſte. Nam vidimus qui affirment. Qui neget nullus eſt, vel qui talia dicat, quæ cum hoc negotio congruere non poſſint. Itaque nullus locus eſt de ejus veritate dubitandi. Non moror enim Euſebii Chronologiam, & aliorum recentiorum, quos, pro lubitu temporum, notationes confinxiſſe & nominibus Epiſcoporum addidiſſe, vel potius eorum annos aliis Epochis male alligaſſe, conſtat & ſingulis hîc Capitibus apparebit.

Digitized by Google

§. 2. Ex ipſius Clementis Epiſtola, cujus tempus oſtenditur.

§. 2. Sed en graviorem teſtem! Ipſum nempe Clementem, qui ſane non ignorabat quis eum Epiſcopum creaſſet. Et hæc eſt ſecunda Claſſis Argumentorum, quibus probo eum à Petro ordinatum eſſe. Nempe ſi Clemens Epiſcopus jam fuerit cum Epiſtolam ſuam ad Corinthios ſcripſit, Et ſi Epiſtolam illam non diu poſt mortem Petri Scripſerit, egregie ſane demonſtrabitur Theſis mea. Et multo magis, ſi liqueat eum jam Epiſcopum fuiſſe, cum diſſidium Corinthi oriretur, hoc autem vivo Petro contigiſſe. Hæc jam vera eſſe oſtendam. Potuiſſem eo labore ſuperſedere, cum non pauca hanc in rem jam collegerint Viri ſummi Pearſonius, & Dodwellus. Sed cum nec materiam hanc exhauſerint, nec eorum Libri in omnium manibus verſentur, & neceſſaria tamen Lectori ſit horum argumentorum notitia, paucis ea contraham, & hic inſeram, ubi occaſio ſeſe offeret, de meo nova afferens.

Primo, Clemens ſcripſit ſtante Templo Judaico. Nam nuſquam mentionem facit dirutæ Reip. Judaicæ & minarum Chriſti impletarum, & quæ alia ſunt, quæ ſolebant, Chriſtiani tunc temporis, ſedulo inculcare. Imo Clemens ſcripſit, nondum obſeſſâ Hieroſolymâ & Judæis nondum à Romanis graviter victis, ob eandem rationem. Sed Capta eſt Hieroſolyma A. 70. obſeſſa A. 68. labente, quo Judæi undique cæſi. Ergo Clemens A. 67. vel 68. ineunte ſcripſit. Sed Apoſtoli alterutro horum annorum mortui ſunt, nempe A. 68. VIII. Kal. Martias. Scripſit vero poſt eorum mortem Clemens, utpote cujus mentionem facit. Ergo forte menſe Majo A. 68. Quod verum eſſe & cum omnibus circumſtantiis concordare apparebit.

Secundo, Clemens mentionem facit Hierarchiæ Eccleſiaſticæ Judæorum & Cultus eorum Sacri, etiam Sacrificiorum. De his omnibus in præſenti loquitur tempore, tanquam quæ tunc adhuc fierent cum ſcriberet. Τῷ Ἀρχιερεῖ ἰδίαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσὶ ... Οὐ πανταχοῦ προσφέρονται θυσίαι ... ἀλλ' ἐν Ἱερουσαλὴμ μόνῃ, κἀκεῖ δὲ οὐκ ἐν παντὶ τόπῳ προσφέρονται, &c.

Sic

Sic ſæpe. Ergo iterum ante A. 70. ſcripſit Clemens, quo dirutum Templum, & Cultus Judaicus abolitus.

Tertio, Clemens ſcripſit immediate poſt Perſecutionem Neronianam, vel eâ jam deſinente. Deſiit autem poſt martyrium Apoſtolorum, qui dubio procul ultimæ & præcipuæ victimæ fuerunt. Deſiit, ut veroſimile eſt, quia Nero ejusque Præfecti, aliis negotiis diſtricti, de Chriſtianis cogitare non poterant. Deſiit certe cum Neronis vitâ, qui medio A. 68. periit. Tunc ergo vel brevi poſt ſcripſit Clemens, id eſt, non integro dimidio anno poſt Apoſtolorum mortem. Quod vero Clemens vel perſequutione adhuc (licet debili) durante, vel eâ vix ſopitâ, ſcripſerit, id ex Epiſtolâ ejus manifeſtum eſt. Ubi de Petri, Pauli & aliorum Martyrio agens, & Perſequutionem deſcribens, hos Athletas ἔγγιστα γενομένους vocat, id eſt, *quam proxime fuiſſe* dicit & *hâc ætate* τῇ γενεᾷ. Idem ſuadet tota ejus hâc de re Oratio, quæ ita facta eſt, ut appareat eum tantum non præ oculis habuiſſe, dum ſcriberet, ea de quibus agit.

Quarto, ipſum illud pro me affero, quod vulgo huic ſententiæ opponi ſolet, nempe quod Eccleſiam Corinthiorum *antiquam* vocet, ἀρχαίαν, cum manifeſtâ ad Eccleſiam Romanam relatione. Jam ſi ſcripſiſſet Clemens v. g. ſub Domitiano, circa A. XCV. tunc Eccleſia Romana per XL. annos ſtetiſſet, ab eo tempore numerandos, quo Petrus Romæ Evangelium prædicavit, Corinthiaca forte per XLV. ſi Paulus circa A. LI. vel LII. Iter illud Corinthum fecerit, quod Act. XVIII. narratur. In hâc autem diſtantiâ evaneſcit differentia V. annorum, imo plurium. Itaque inepte Clemens ἀρχαῖον Eccleſiam hanc appellaſſet. Sed ſi ſcripſerit Clemens A. LXVIII. ſteterat Eccleſia Romana per XII. circiter annos, Corinthiaca, per XVIII. Quæ differentia ea eſt, ut comparationem mereatur. Adde quod Eccleſia Romana bene formata fuerit modo A. LVII. quo ei præfectus Linus, vel potius A. LIX. quo & Gentiles acceſſerunt magno numero, & Paulus iis Epiſcopum ſeparatum Cletum dedit, de quo infra. Cæte-

 rum.

Digitized by Google

rum de voce ἀρχαῖα nemo dubitare debet, quaſi hic non conveniret, nam non ſemper magnam antiquitatem denotat, quod Dodwellus ex. Act. XXI. 16. docuit, ubi Mnaſon Cyprius circa A. LII. antiquus diſcipulus ἀρχαῖος dicitur fuiſſe. Cypri autem Evangelium primo prædicatum fuit à Paulo A. XLV. ex Calculo Pearſonii: Itaque VI. vel VII. annorum diſcipulus fuiſſet. Quidni ergo Eccleſia XVIII. annorum antiqua ſit, præcipue reſpectu Eccleſiæ Romanæ, quam fere altero tanto quoad ætatem ſuperabat?

§. 3. Clemens Epiſcopus erat cum ſcriberet.

§. 3. Epiſcopum vero fuiſſe jam Clementem, cum Epiſtolam ad Corinthios ſcriberet, mihi videtur extra dubium eſſe. Nam quinto, Eccleſiæ Romanæ ſententiam inquirebant Corinthii, oportebat ergo totam Eccleſiam reſpondere. Ergo oportebat eum Litteras ſcribere, qui Eccleſiam repræſentare videretur. Hoc vero nonniſi Epiſcopo conveniebat. Deinde, illo tempore adeo rari erant inter Chriſtianos Viri docti, & qui negotium adeo difficile tractare poſſent, ut vix alius reperiri potuerit, quam Epiſcopus qui ad hoc aptus fuiſſet. Fruſtra itaque Dodwellus huic theſi litem movens contendit, non par fuiſſe, ipſe Epiſcopus Corinthiis ſcriberet. Futilis eſt ratio quam adducit: Nempe litem fuiſſe quorundam ex plebe Corinthia, contra Epiſcopum ſuum ſuoſque præpoſitos. Itaque Epiſcopum Romanum, tanquam partium ſtudii ſuſpectum, de hâc querelâ judicare non potuiſſe. Hæc Dodwellus, quæ eadem facilitate convertere poſſum dicereque, Litem fuiſſe Epiſcopi Corinthii ejusque ſectatorum, contra quosdam laicos rebelles, adeoque Populum Eccleſiæ Romanæ merito ſuſpectum fuiſſe Epiſcopo Corinthio. Unde judicium Epiſcopo Romano relinquendum. Sed hæc inania. Utriusque partis res agebatur, & utraque pars Romæ, judicare debebat, nempe Epiſcopus cum Clero & populus.

Sexto, Ne quis dubitet Clementem Epiſcopum fuiſſe cum ſcriberet, teſtes adduco omni exceptione hic majores, Hegeſippum & Irenæum, quorum ille ap. Euſebium H. E. L. III. Cap. XVI. iſte ap. eundem L. V. Cap, VI. teſtantur

Digitized by Google

tur *κατὰ Κλήμεντα , ἐπὶ Κλήμεντος* ſeditionem Corinthiorum ortam eſſe, quæ ſcribendæ Epiſtolæ occaſio fuit. Hæc verba nullâ machinâ perverti poſſunt, quin tempus Epiſcopatus Clementis notent. Idque præcipue clarum eſt ex Irenæo, qui ordine Chronologico Epiſcopos Romanos recenſet, & qui nec ſub Petro & Paulo, nec ſub Lino, nec ſub Anencleto ejus rei mentionem facit, ſed ubi ad Clementem devenit, *ſub hoc*, inquit, *contigit*, &c.

Aliæ eandem in Theſin notæ, & Egeſippi Irenæique auctoritas.

Septimo, Non tunc ſolum Epiſcopus erat Clemens, cum diſſidiorum cauſâ Corinthiis ſcriberet, ſed & cum ipſa illa diſſidia orirentur. Nam ea quæ ex Egeſippo & Irenæo citavimus, ad iſtud, non ad illud tempus referuntur. Sub hoc, inquiunt, fuit diſſidium Corinthi. Jam, diſſidium illud aliquod certe tempus viguerat, quo ipſi Corinthii pacem recuperare quæſierunt. Deinde tandem Romam legatos miſerunt. Legati illi diu detenti ſunt, unde Clemens paſſim multis excuſationibus moram purgare ſatagit, eamque perſequutioni tribuit. Cum vero reſponderit circa A. 68. medium, ut dictum §. præc. neceſſe eſt legatos A. 67. veniſſe & diſſidium eo anno medio vel ineunte ortum eſſe. Et procul dubio iverunt Corinthii, non tam ad Romanam Eccleſiam conſulendam, multo minus Clementem, quam ad Apoſtolos, ut jam olim ad Paulum, quod hujus Epiſtolæ oſtendunt. Unde cum perſequutio & arcti carceres non permitterent Apoſtolis vel Legatos audire, vel alloqui, nec tamen Clemens vel Eccleſia ipſis viventibus reſpondere auderent, idcirco mora facta & demum Anno inſequente reſponſum datum. Igitur patet Clementem jam A. LXVII. medio Epiſcopum fuiſſe, viventibus Apoſtolis.

Quibus accedit Hermas.

Octavo, Hermas, cujus Paſtorem hodie adhuc habemus, jubetur Clementi revelationes ſuas tradere, aliis Eccleſiis mittendas. Hoc vero munus fuit omnino Epiſcopi, de quo legendus Dodwellus. Jam Hermam ante Hieroſolymam captam ſcripſiſſe multa ſuadent, quæ laudatus Dodwellus recenſet. Præcipua ſunt, quod Hermas judicii Dei in Judæos, occa-

ſione

ſione licet oblatâ, mentionem non faciat: quod de tribulatione venturâ, judicio & conſummatione temporum inſtantibus, ita loquatur, ut ſolebant Chriſtiani ante Judæorum ruinam, ex male intellectis Chriſti verbis: quod pleroſque Apoſtolorum adhuc vivere indicet, & quæ alia ſunt.

§. 4. Tertio, Id exigit Chronologia.

§. 4. Transeo ad tertium genus teſtimoniorum, quod mihi Chronologia ſuppeditat. Nempe ita cohærent omnes Chronologiæ meæ Epiſcopalis partes, ut, niſi omnia labefactentur, nulla particula rejici poſſit. Quod cum ita ſit, ſingula indicia, quibus quorundam Epiſcoporum tempora ſtabilivi, pro argumentis haberi poſſunt, quibus & hoc meum de Clemente ſyſtema confirmetur.

Exempli cauſa. Si verum ſit, Sedem Romanam vacaſſe anno CVII. verum eſt Clementem vivis Apoſtolis Epiſcopum fuiſſe. Nam ſi Clemens vel parvo tempore ſerius detrudatur, cum de annis ejus & ſucceſſorum conſtet, omnino invenietur A. CVII. aliquis Epiſcopus Romæ fuiſſe. Sed verum eſt vacaſſe ſedem Romanam anno CVII. ut infra ſuo loco oſtendetur. Ergo.

Si verum eſt Hyginum ſub initium Hadriani circa A. 121. mortuum eſſe, verum eſt Clementem Apoſtolorum tempore Epiſcopum fuiſſe. Nam ſi ſerius evaſerit, ſerius Hyginus ſederit, & ſerius adeo mortuus fuerit. Sed Hygini tempus extra dubium reponitur ſuo loco. Ergo. Et ſic porro. Nova Indicia ſingula hujus Partis Capita ſuppeditabunt. Ergo ex his omnibus apertum mihi eſſe videtur, quod Clemens, vivis Petro & Paulo, Epiſcopus Romæ evaſerit, circa Annum LXVII.

§. 5. Linus & Cletus ſucceſſive Epiſcopi eſſe non potuere.

§. 5. Sed iſthic maxima naſcitur difficultas. Verum eſt Clementem vivis Apoſtolis, qui A. LXVIII. menſe Februario mortui, Epiſcopum evaſiſſe jam anno LXVII. & quidem medio per §. 3. Argum. 7. Sed verum eſt etiam Linum & Anencletum ante Clementem ſediſſe, quod ipſe probavi Cap. II. Iterum conſtat ex omnibus Catalogis Linum ſediſſe XII. an-

Digitized by Google

annos, adeoque uſque ad ann. LXVII. aliquâ hujus anni parte incluſâ. Quis ergo locus ſupererit Anencleto? Quem tamen etiam XII. annis ſediſſe & Euſebius & Catalogi Romani auctores tradunt.

Et Linum quidem tamdiu ſediſſe fruſtra negavit Dodwellus, qui ſibi finxit, ſucceſſionem Romanam uſque ad Evareſtum tenebris plenam eſſe, & tanquam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tempus fabuloſum. Sed ne dicam ipſum ſibi non bene hâc in re conſtare, ſufficit eum hoc Paradoxon nullo argumento probâſſe. Unde ſarta tectaque manet Catalogorum & Hiſtoricorum, qui de his temporibus egerunt, auctoritas. Unica ejus ratio eſt, quod neſciverit auctorum ſententias de his conciliare, vel tempora hæc accurate figere. Sed non hæc auctorum culpa fuit, verum Dodwelli. Deinde nec hoc obſtat objectioni. Nam etiamſi Linus non dicatur XII. annos ſediſſe, quod tamen Cap. V. oſtendetur, Conſtabit tamen eum anno LXVII. mortuum eſſe, ut ibidem dicetur, nec Dodwellus negat. Itaque iterum Anencleto ſpacium deerit.

Nodum non ſolvit, ſed ſecat cum Pearſonio, Dodwellus, & vel hoc fruſtrà. Negant ſcilicet Anencletum XII. annos ſediſſe. Pearſonius ei II. modo annos tribuit cum Catalogis Nicephori, Eutychii, Syncelli. Dodwellus tempus non figit, ſed breviſſimum ſtatuit.

At enimvero non accurati eſt Chronologi, ubi pares ex utraque parte auctoritates ſunt, in aliquâ re unam partem in Hypotheſeos ſuæ gratiam ſequi, alteram ut falſam rejicere. Æqualis in æqualibus auctoritatibus eſt probabilitas. Itaque rectius agetur, ſi oſtendatur utriusque Partis ſalvam fidem eſſe, & Anacletum aliquo ſenſu XII. annos, alio, duos annos ſediſſe.

Præterea nec hoc objectioni ſatisfacit, ſi enim Linus A. LXVII. ſit mortuus, & quidem medio, ut ſuo loco dicetur, & Clemens eodem anno LXVII. etiam medio ſucceſſerit, ut

ut dictum eſt, nequidem II. menſes Anacleto ſupererunt, multò minus II. anni.

Tutius Dodwellus generatim pauxillum tempus Anacleto aſſignat. Sed & hoc audacter nimium, ne dicam abſurde. Cur Catalogos omnes ſequitur Dodwellus ab Evareſti, qui Clementi ſucceſſit, tempore, & unice circa Lini, Anencleti & Clementis tempora iis fidem derogat? An impoſſibile eſt memoriam horum trium Epiſcoporum permanſiſſe ad poſteriora tempora? An manifeſto falſi redarguti ſunt Catalogi quoad illud ævum? Idem monumentum modo recipere, modo rejicere, nullâ gravi adductum ratione, nonne hoc eſt ὑποθέσει δουλεύειν? Præcipue cum unanimi conſenſu, omnes omnino Catalogi Anacleto aliquot annos tribuant. Ego qui cum Dodwello Catalogorum auctoritatem agnoſco, nec video cur quibusdam temporibus fide digniores ſint ac aliis, Ego inquam nec iſtic iis fidem derogo.

§. 6. Eos ſimul Epiſcopos fuiſſe probatur.

§. 6. Non potuit ergo Anacletus ſucceſſiſſe Lino, ſed ſedit tamen Romæ, & quidem ante Clementem, per Cap. II. at non ante Linum, per idem Cap. Ergo ſedit unà cum Clemente. Hoc ratiocinium adeo manifeſtum eſt & adeo ſolidum, ut omnes adverſariorum ratiunculas ſuperet, quas tamen deinde excutiemus. Ita Catalogorum pondere niſus, tamdiu verum ſtatuiſſe credam, quamdiu non credam Auctores illos homines fuiſſe ſtultos, ignaros, mendaces & nullâ fide dignos.

Sed non hoc unico Argumento nitor. Illud me ducit ad Theſin quam hic defendo; verum deinde multa alia reperio, quæ eam confirmant, & indubiam reddunt. Itaque ad primam meam probationem adhuc ſequentia addo.

Nempe, ſecundò, quod alii XII. alii II. annos Anencleto tribuant, hoc inde facile conciliatur, cum XII. integros annos ſederit, ſed eorum IX. & ultra cum Lino, II. & ultra cum Clemente, poſt Lini exceſſum. Et vide quam belle omnia Concordent! Inde iterum fit, ut non pauci Catalogi Latini, & Nicephori verſio Anaſtaſiana eidem Anacleto IX. annos tri-

Digitized by Google

tribuant. Sed de his annorum minutiis ex profeſſo agemus Cap. V.

Tertio, ſunt quidam Auctores qui dicunt Clementem immediate Lino ſucceſſiſſe, iique non contemnendi. Eos mendacii coarguere parum judicioſum foret. Conciliandi ergo ſunt cum aliis, ſi fieri poſſit. Sed non poſſunt, niſi dicatur Linum & Anacletum una ſediſſe. Nam ſi Anacletus Lino ſucceſſerit ordine, & Clemens Anacleto, falſi erunt illi Auctores. Sunt autem illi, Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum, qui ex monumentis ævi Apoſtolici ſua collegit, *L. VII. Cap.* 46. Et alii nonnulli, quos rectius

Quarto loco collocabo, qui, numero inito Epiſcoporum Romanorum, Cletum videntur prætermittere. Unde Clementem qui revera tertius, & ſi Petrum includas quartus erat, modo ſecundum, modo tertium, imo & primum poſt Apoſtolos ſc. vocari, & alios confuſionis effectus oriri notat Pearſonius pag. 151. exemplis e Clementinorum Epitome, Clementis Martyriis, & Pſeudo-Ignatio deſumptis. Qui Auctores, licet recentiores paullò ſint, antiquis tamen ipſi uſi ſunt.

Adde, quinto, quod nullum teſtimonium nec diſertum, nec vel tacitum, meæ ſententiæ opponi queat. Nullus antiquus indicat, vel Cletum aut Anencletum mortuo Lino demum ei ſurrogatum eſſe, vel Clementem non prius Epiſcopum evaſiſſe, quam Anencleto mortuo. Poſito igitur rem in dubio jacere, omnino illa ſententia præferenda erit, quæ Auctorum varia dicta conciliabit, & rei naturæ aptior erit. Ergo mea prævalebit.

Attamen, quod ſexto notandum, non ita in dubio res eſt, ut modo liberaliter ſuppoſui. Nam licet nemo neget Linum, & Cletum una ſediſſe (Antiquorum ſc.), ſunt tamen e contrario qui id diſerte affirment. Nempe primo, Catalogi Latini multa exemplaria, v. g. Liber Pontificalis qui e melioribus Codicibus corraſus eſt, & antiquum exemplar ætatis Gregorii M. quod litt. B. notavimus, in quo Linus & Cletus ſub Petro Chorepiſcopi modo fuiſſe dicuntur. Secundo, Ruffinus in præf.

Et nonnullis Auctoribus firmatur.

præf. ad Recognitiones id manifeſto indicat. Et dicunt quidem à Ruffino totam ſabulam ortam eſſe, quod gratis affirmatur, & etiamſi verum eſſet rei veritati non derogaret. Nec enim Ruffinus id factum, ut propriam conjecturam refert, ſed ut rem notiſſimam & indubiam, quam Romani, inter quos plerumque vivebat & quorum res optime noverat, ignorare non poterant. A Ruffino id certe non deſumpſit tertius teſtis Epiphanius, qui tamen Hær. Carpocr. eandem Hiſtoriam refert ut plerisque creditam, & quæ ſibi ipſi veroſimilis videatur. Sed cur, inquies, hæſitat Epiphanius? cur non omnibus credita eſt illa hiſtoria? Facile eſt reſpondere. In Orientalium manibus præcipuum, quod circa Hiſtoriam Eccleſiaſticam verſabatur monumentum, Euſebii erat opus. A quo diſcedere religioni ducebatur. Quid mirum ergo multos fuiſſe qui, traditionibus vel Libris in Oriente parum notis, poſthabitis, Euſebium Heroa illum ſuum ſequerentur? Euſebium autem, Linum, Cletum & Clementem ſucceſſive Epiſcopos ſtatuiſſe, non diffiteor. Sed cum jam conſtet, eum annos Epiſcoporum ad Epochas ſuas, ex propriâ modo conjecturâ, alligaſſe, idcirco ejus Auctoritatem hic non moror. Cæterum Epiphanium in eam ſententiam inclinâſſe, quam hic amplector, oſtendit ejus Catalogus Epiſcoporum Romanorum, quem ſic concipit, *Petrus & Paulus*, *Linus & Cletus*, *Clemens*, Linum & Cletum ſimul ſediſſe ſtatuens, ut Petrum & Paulum. Sine ratione atque adeo inepte pro Λῖνος καὶ Κλῆτος corrigunt & legunt Λῖνος, Ἀνέγκλητος. Si iſti ex καὶ κλητος faciunt Ανεγκλητος non erit cur aliquis miretur ex Αμακλητος factum Ανακλητος per conjecturam relatam ſupra *Cap. II.* §. 5.

Exigit itaque omnino Hiſtoriæ veritas ut Linum & Cletum una ſediſſe ſtatuamus, & Clementem vivis adhuc Apoſtolis ſubrogatum eſſe. Quod probandum erat.

CAP.

CAPUT IV.

Objectiones, quæ adverſus Theſin Capite præcedenti probatam moventur, earumque Confutatio.

ARGUMENTUM.

Objectiones trium generum repellendæ. Primæ Dodwelli, qui totam primam illam ſucceſſionem incertam ſtatuit. Lini tempus adverſus eum aſſeritur §. 1. *Ut & Anencleti*, §. 2. *Et Eccleſiæ Romanæ antiquitas ante A. C. LXIV.* §. 3. *Aliæ objectiones eorum, qui Clementem ad Trajanum uſque producunt, paucis refelluntur.* §. 4. *Pearſonii Objectiones Linum & Anencletum una ſediſſe negantis ſolvuntur.* §. 5.

§. 1.

Sed ne quid diſſimulare videar, lubens fateor multis objectionibus premi ſententiam meam, quæ ſi æque aut magis probabiles ſint ac indicia, quibus eam firmavi, nihil ſane egero. At bene res nobiscum habent, nec eſt cur diffidamus rationibus noſtris. Tres præter propter difficultatum Claſſes ſtatui poſſunt, quæ nobis opponi queunt, & jam revera huic ſententiæ oppoſitæ ſunt. Primas objectiones Dodwellus habet, qui omnem ſucceſſionem ad Clementem usque incluſive, incertam & arbitrariam (Chronologice ſc.) eſſe dicit. Alteras illi ſuppeditabunt, qui negant Clementem, Apoſtolis vivis, Epiſcopum evaſiſſe. Tertias dabit Pearſonius, qui negat Linum & Cletum unà ſedere potuiſſe. Quæ omnes objectiones cum parvi ponderis ſint, nos non multum detinebunt.

§. 1. Objectiones trium generum repellendæ.

Argumentatur Dodwellus Cap. VIII. §. 3. de Succeſſ. Annos ſucceſſorum Petri, meris conjecturis aſſignatos eſſe. Nam, cum ſemel, inquit, invaluiſſet opinio XXV. annorum Petro tri-

Dodwellus Succeſſionem hanc primam

Digitized by Google

incertam ſtatuit, & quidem primo, Lini tempus.

tribuendorum, ſolebant eos numerare à tempore mortis Chriſti, cum Petrus inciperet quaſi primas Apoſtolorum eſſe. Ab altera parte per aliam traditionem credebatur, Petrum mortuum eſſe A. C. LXV. Chriſtum anno æræ Vulg. XXIX. duobus Geminis Coſſ. Jam ſi ab A. LXIV. Completis tollas XXIX. non plenos, ſeu XXVIII. plenos, manent XXXVI. plures ergo quam XXV. unde concludebatur, Petrum, ante mortem, ſuum Epiſcopatum alteri ſc. Lino tradidiſſe, cui ſupererant itaque XI. anni quot nempe manent ſi XXV. à XXXVI. tollas. Itaque XI. annos Lino tribuebant: Alii paulo aliter numerantes XII. annos ei dabant. Et ita per hanc conjecturam, Lini tempus fixum eſt incertis ſane fundamentis.

Sed ex meris Conjecturis.

Contra hanc objectionem iſta notari precor.

1.) Si conſtaret falſum eſſe Lini tempus, tunc inquiri poſſet, quâ conjecturâ tandem illud ſtatutum fuiſſet; Sed dum mendacii hâc in re convinci non poſſunt Auctores, fruſtranea eſt iſta diſcuſſio. Multo minus argumenti loco eſſe poteſt, niſi circulus committatur. Etiamſi liberaliter concederem, potuiſſe hoc modo falſum annorum numerum Lino tribui, probatne Dodwellus id factum eſſe?

iiſque oppidò falſis.

2.) Interim nec hoc concedo, potuiſſe hâc conjecturâ annos Lino ſupponi. Crediditne Dodwellus omnes quos habemus Catalogos unum habere Auctorem? Non credidit, nec ſi voluiſſet, potuiſſet. Unde ergo diverſi Auctores in eandem incidiſſent conjecturam?

3.) Nemo ante Euſebium, Petro XXV. annos tribuit, forte nemo ante Hieronymum. Et Euſebius ipſe in Hiſt. Eccl. ubi ἀκρίβειαν Hiſtoricam ſectatur, hunc annorum numerum ſilet. In Chronico vero, quod Epochis etiam arbitrariis indigebat, refert. Ex quibus & aliis conſtat, Euſebium ipſum hoc annorum ſpatium excogitaſſe. Quomodo itaque ante eum, aliqui potuerunt Lino XI. vel XII. annos dare, ſi iſte computus Traditioni de XXV. annis innitatur? At Catalogos quoſdam eorum quos habemus ex Euſebio, antiquioribus Aucto-

ri-

Digitized by Google

ribus deſumptos eſſe, ne vel Dodwellus negat. Convenit tamen inter omnes Catalogos de annis Lini. Et ipſe eos exhibet Euſebius, qui tamen XXV. Petri annos finxit.

4.) Qui Petrum A. C. LXV. mortuum dicat, nemo eſt præter Catalogum Romanum, fatente ipſo Dodwello. Aliud Syſtema fovebant Euſebius aliique. Unde omnes ita computaſſent quaſi in eum annum cuncti conſentirent? Et unde Euſebius ipſe eundem annorum numerum Lino tribuiſſet.

5.) Imo incertum eſt, an Catalogus Romanus huic anno mortem Petri aſſignet. Dicit eum ſediſſe à Vinicio & Longino Coſſ. ad Nervam & Verum Coſſ. annos XXV. Conſules hi Nerva & Verus non reperiuntur. Sed habentur Nerva & Veſtinus A. LXV. & de his intelligit Dodwellus. Sed à Vinicio & Longino, qui A. C. XXX. Coſſ. fuerunt ad Nervam & Veſtinum, ſunt anni XXXV. non XXV. Ideo alii ab A. XXX. numerant A. XXV. & incidunt in A. LV. quo Nero & Vetus Coſſ. fuere, qui adeo legendi forent pro Nerva & Vero. Deinde Nerva ille & Verus poſſunt Conſules fuiſſe ſuffecti, quos raro Hiſtorici vel Chronologi nominant. Sane habetur Romæ Lapis cum hâc Inſcriptione. Nerva & Verus quinam Conſules?

C. VIBIUS. C. F. RUFINUS. M. COCCEJUS. M. F. NERVA. EX. S. C. vid. Gruter. pag. 187. n. 5. Eadem, & majori facilitate ex Nervâ & Vero, Nervam & Vibium feceris, quam Nervam & Veſtinum, aut Neronem & Veterem. Imo Nerva & Vibius circa Neronis tempora Conſules eſſe potuerunt, ut liquet ex lapide alio apud Gruter. pag. 602. n. 4. ubi his Coſſ. dicitur mortuus aliquis officialium Divi Auguſti, qui ſi Senex mortuus ſit, omnino ſub Nerone mori potuit.

6.) Sunt qui Lino XII. annos tribuunt. Hoc ſic explicat Dodwellus, quod uno anno initium ejus præverterint; Credo omnino. Sed illi ergo eundem annum bis numeraſſent, primo ut XXVtum. Petri, & iterum ut primum Lini.

Improbabilis & vana ergo eſt Dodwelli Conjectura, quæ etiamſi veroſimilis foret, conjectura tantum foret, quâ probatio-

tiones nullæ deſtrui poſſent. Non premor itaque ullo modo hoc Argumento, & ad alia audacter tranſire queo.

§. 2. Anacleti tempus Dodwello etiam dubium.

§. 2. Dices forte, Lector optime, non de Lino ſolum, ſed & de Anacleto oportuiſſe Dodwellum hypotheſin ſuam oſtendere. Sed bono ſis animo. Non in Lino ſubſiſtit fertile Dodwelli ingenium, ſed miras adhuc conjecturas de Anacleto profert. Anacleto nonnulli *II.* annos tribuunt, alii *XII.* Utrique, ſi Dîs lubet, ex conjecturâ. Nam cum ex Euſebii Catalogo didiciſſent Latini Catalogi auctores, Petrum non ut credebant *A. C. LXV.* ſed *LXVII.* mortuum eſſe, & cum Lini mors jam ſemel ad *A. LXV.* collocata eſſet, ſupererat biennii lacuna, quæ Anacleto explenda tradita fuit. Deinde cum Petro *XXIV.* anni completi tribuerentur, vel certe crederetur eum per *XXIV.* annos Romæ aliquem vicarium reliquiſſe, inde factum ut diviſo hoc tempore in duas perſonas, *XII.* anni Lino, *XII.* Anacleto tributi ſint. *Atque ita*, (inquit Dodwellus) *intelligimus quibus ratiociniis veteres collegerint, vivo Petro ſucceſſiſſe Linum & Anencletum. Intelligimus, qui ita ſenſerint, male infirmiterque eſſe ratiocinatos* &c.

Sed fruſtra.

Quæ Chronologiæ indubitatiora tempora ita non deſtrui poſſent? Nunquam difficile erit Syſtema arbitrarium fingere, juxta quod quævis Epocha ficta eſſe potuerit. Sed quis inde concluſerit eam revera fictam?

Sed iterum hic peccat Dodwelli Syſtema, & falſis rationibus nititur. Statim notandum eſt, eum ubique ſupponere, quod debuerint veteres credere Anencletum vivo Petro mortuum eſſe. Nam alias, cur præciſe ei *II.* vel *XII.* illos annos de tempore Petri tribui oportuiſſet? cur non vel *V.* vel *XV.* v. g. Nempe vitam ejus ultra Petri vitam prorogando. Itaque hoc jam ſupponit Dodwellus, & tamen id ipſum eſt quod probare volebat, ejuſque rationem detegero ut ex ejus concluſione patet à nobis relatâ.

Deinde ſi Latini Catalogi auctores ex Euſebio didicerunt Petrum mortuum eſſe *A. C. LXVII.* Et ex hoc principio à ſe adop-

Digitized by Google

adoptato, tempus Anacleti exculpſerint, quî factum ut conſtanter Petrum A. *LXV.* mortuum dicant?

Ex Dodwelli Hypotheſi debuiſſent Lini mortem ad A. *LXV.* Petri ad A. *LXVII.* collocare. Sed inverſo ordine Petrum A. *LXV.* Linum A. *LXVII.* mortuum eſſe ſtatuunt.

Catalogi Latini Auctores, de *II.* annis Anencleto tribuendis, nunquam ſomniarunt, nam ei *XII.* vel *IX.* &c. tribuunt. Alii nonnulli Catalogi, ut Eutychianus, *II.* annos Anencleto tribuunt, ſed illi alia prorſus principia circa Lini & Petri tempus habebant, unde nec ipſi Dodwello favent.

Rationem non reddit Dodwellus, cur nonnunquam *VI.* vel *IX.* anni Anencleto aut Cleto tribuantur.

Quis ſomniavit Petrum toto, quo Romæ fuit, tempore Vicarios habuiſſe, vel annum modo annum Romæ tranſegiſſe, vel annos ejus *XXV.* pro incompletis habendos eſſe, vel *XXIV.* alios æqualiter dividendos eſſe, & quot alia? Sed quis unquam ex tot ſuppoſitionibus coacervatis Syſtema finxit, & ex tali Syſtemate, ut vero, Hiſtoriam aliquam evertere auſus eſt?

§. 3. At ecce rationes! nunc tandem quaſi ex abundanti recurrit Dodwellus ad Irenæum. Dicit Irenæus Apoſtolos θεμελιώσαντας καὶ οἰκοδομήσαντας τὴν ἐκκλησίαν, *fundatâ*, *ædificatâque Eccleſiâ*, ejus miniſterium Lino tradidiſſe. Atqui Eccleſia Romana tunc modo fundata fuit, quando magna multitudo credentium congregata eſt, ita ut Cœtum faceret. Sed Clemens Romanus teſtatur id factum ab Apoſtolis ſub quibus συνηθροίσθη, inquit, πολὺ πλῆθος. E. Eccleſia Romana tunc modo fundata fuit, quando ambo Apoſtoli unà Romæ fuere. Id vero modo anno eorum emortuali contigit. Ergo Linus non prius conſecratus eſt Epiſcopus. §. 3. Eccleſia Romana quando fundata?

Non opus fuiſſet his ambagibus, quarum nimius amator eſt Dodwellus; Etenim ipſe Irenæus diſerte Apoſtolis, ſc. ambobus, Eccleſiæ ædificationem illam tribuit. At vero falſum ſibi conceptum Dodwellus facit hujus ædificationis, quaſi ſimul ſemelque facta fuerit; Statim ubi aliquot Chriſtiani Romæ fuere, qui una convenirent precesque & Euchariſtiam celebrarent, Ante A. LXIV.

Eccleſiam ſine dubio conſtituebant, quæ ſemper magis in dies augeri ædificarique potuit, unde Apoſtoli ambo eam fundarunt, ædificarunt, congregarunt, non ſimul ſed ſucceſſive. Rectius oppoſuiſſet Dodwellus vocem illam Irenæi, Apoſtolos *fundaſſe* Eccleſiam; Non videtur enim idem ædificium bis & ſucceſſive fundari potuiſſe. Sed regero, Petrum aliquam Eccleſiam Romæ fundaſſe, Paulum aliam nempe ex Gentibus collectam, unde Eccleſiam Romanam in genere ſumptam, uterque fundaſſe dicitur. De quo Cap. ſequente agetur.

Dodwelli indicia contraria deſtruuntur.

Indiciola quibus conatur Dodwellus conficere, Eccleſiam Romanam non ante Petri & Pauli annum emortualem, qui ipſi eſt *C. LXIV.* fundatam eſſe, potius pro me militant, ut ex recenſione patebit.

Multitudo illa quam Apoſtolis aggregatam ſcribit Clemens, erat procul dubio ingens ille numerus Chriſtianorum, quos tanquam incendiarios puniiſſe dicitur Nero apud Tacitum. Hoc A. *LXIV.* contigit. E. eo demum anno illa multitudo congregata eſt. Sic Dodwellus. Ego potius concludo. Si jam tam ingens numerus hominum Eccleſiam componebat A. *LXIV.* E. jam diu ante cœperant congregari.

Judæi debuerunt valde exacerbati eſſe de ſeceſſione Chriſtianorum, Ergo eâ contigit A. *LXIV.* quando Judæi excitarunt Perſecutionem contra Chriſtianos. Sed quis ſibi finxit Judæos illam perſequutionem excitaſſe, quam unico Neroni omnes tribuunt.

Linus, Anencletus, Clemens, ex nomine videntur Græci & Romani fuiſſe, non Judæi. Primis vero temporibus, ex gentibus nequidem Proſelyti admittebantur, uſque ad A. *XL.* Deinde procul dubio per aliquot annos non præfecerunt Apoſtoli Ethnicos Eccleſiis, maximam partem è Judæis ortis. Reſpondeo primo, Judæi ſæpe Græca nomina ferebant, cujus rei exempla, quia notiſſima, referre piget; ſecundo, poſito Converſionem Gentium A. *XLV.* cœpiſſe, relinquo *XIII.* vel *XIV.* annos uſque ad A. *LVIII.* quo videtur Cletus ex gentibus Epiſcopus factus, quod tempus ſane ſufficit. Dodwellus modo

do *XVIII.* annos relinquit, quod non multum differt. Tertio, Cletum illum Eccleſiæ è Judæis collectæ præfectum eſſe non dico, ſed potius ex iis qui ex Gentibus converſi erant. Quarto, quoad Linum qui Judæis præfuit, nihil obſtat quin Judæus fuerit. Et ſi de nomine quæſtio ſit, citius Lini nomini originem Hebraicam, quam Græcam Latinamve aſſignaveris.

Claudius Cæſar Edicto expulit Judæos Româ, Suetonio teſte, cum quibus, referente Lucâ, expulſi Aquilas & Priſcilla. Ergo tunc Chriſtiani cum Judæis confundebantur à Romanis. Ergo Eccleſiam ſeparatam non conſtituebant. Reſpondeo, hoc juxta Dodwellum ipſum A. *XLIX.* factum eſſe, quo Eccleſiam Chriſtianam Romæ non fuiſſe utraque manu largior, utpote modo à Petro circa A. *LVI.* fundatam.

Paulus Romanis ſcripſit A. *C. LIV.* In ſuâ autem Epiſtolâ non indicat ullam Eccleſiam Romæ collectam fuiſſe, nec Epiſcopos, aut Presbyteros, aut Diaconos ſalutat, &c. Reſpondeo idem quod ad præcedentem Objectionem.

Quando Paulus Romam venit, nondum erat Eccleſia Chriſtiana à Judæis ſeparata; Nam Judæi Paulum humaniter excipiunt, & dogmate Pauli de Gentilium converſione perculſi videntur. Nec Paulus in carcere Eccleſiam illam fundaverit, quem ingreſſus eſt A. *LVII.* Nec cum biennio elapſo liberaretur, nam tunc iter V. annorum fecit, ex quo reverſus A. *LXIV.* mortuus eſt. Reſpondeo. Judæi Paulum eadem humanitate poterant excipere, quâ defendebant eum multi in Synedrio, Actor. *XXIII.* Nec eum humaniter accepiſſe dicuntur, ſed potius ab eo vocati veniſſe, nec ipſi crediſſe. Imò cum ſeparatim dicantur Chriſtiani obviam iviſſe Paulo, Act. *XXVIII.* 15. & inter primores Judæorum quos accerſivit Paulus, nullus fuerit Chriſtianus, inde potius concludo ſeceſſionem jam factam eſſe. Gentilium Eccleſiam ſeparatam tunc fuiſſe non dico: Multos Gentiles jam Chriſtianos evaſiſſe, neque Dodwellus negaverit. Et hoc ipſum valde pro me facit. Nam quis crediderit Gentiles illos converſos, nullum Cœtum

Digitized by Google

conſtituiſſe? Si vero non ſeparatum, ergo vel cum Judæis omnibus, vel cum Chriſtianis è Judaiſmo converſis. Non prius, ut per ſe eſt. E. poſterius, E. cauſâ vicero. Paulus potuit in Carcere Eccleſiam fundare, cum liber ad eum aditus pateret. Potuit poſt exitum è Carcere, nec enim opus eſt eum ſtatim Româ abiiſſe, & quinquennium illud ſi ab A. *LXIV.* retro computetur A. *LX.* incidit, atqui A. *LIX.* liber erat Romæ Paulus. Falſum eſt Paulum A. *LXIV.* mortuum, ut Cap. ſeq. dicetur. Traditio illa de quinquennio futilis & incerta eſt, reperiturque in fragmento fabuloſo, nulliuſque auctoritatis, ap. Patr. Junium in notis ad Clementem Rom. Et citat quidem fragmenti auctor Irenæum & Juſtinum generatim, nullo indicio addito, ut de fide ejus omnino non conſtet.

Nonnulla alia Dodwelli dubia circa hanc ſucceſſionem illuſtrantur.

Paulus Epiſtolam II. ad Timotheum paulo ante mortem exaravit. Ibi Lini ut viventis mentionem facit. Ergo Anencletus non potuit 2. annos, nedum plures, vivis Apoſtolis ſedere. Conceditur totum Argumentum, non enim Anencletum Lino ſucceſſiſſe ſtatuo.

Irenæus dicit Clementem fuiſſe tertio loco ab Apoſtolis. E. Clemens pertinuit ad tempus tertiæ ſucceſſionis ab Apoſtolis. Reſpondeo, Ambiguam eſſe Irenæi Phraſin, & etiamſi plana foret, non agi de tertiâ Succeſſione ab Apoſtolorum fine vel tempore, ſed de tertio ordine in Epiſcopatu Romano, à fundatâ per Apoſtolos Eccleſiâ.

Idem Irenæus affirmat Clementem Apoſtolos vidiſſe, cum iis egiſſe, eorum doctrinam ante oculos habuiſſe, imo tunc adhuc multos ſuperfuiſſe etiam ab Apoſtolis inſtitutos. Hæc tempus ab Apoſtolis modice diſtans indicant. Reſpondeo, Hæc omnia commodam interpretationem ſuſcipere. Aliàs, & Dodwello dura videri debent, qui modo 2. vel 3. annos inter Apoſtolorum mortem & Clementis ordinationem admittit. Nonne verum eſt, Clementem ab Apoſtolis ordinatum eos videre & cum iis loqui debuiſſe? Eum eorum doctrinam ante oculos habuiſſe? Ejus tempore multos Apoſtolorum diſcipulos

Digitized by Google

los ſuperfuiſſe? Non hæc tanquam mira refert Irenæus ob temporum diſtantiam, ſed hiſtorice narrat ad Traditionum ordinem aſſerendum. Si quid magis Dodwellus hic videt, oculis ſuis imputet & opinionibus præconceptis. Sed vide Dodwelli acumen! *Multos Apoſtolorum diſcipulos*, aſſerit, *fuiſſe ſuperſtites. Multos, non omnes, multos nimirum innuens præ temporis ipſa diuturnitate ſublatos.* Volebat-ne omnes ſuperſtites eſſe? nullos vivis Apoſtolis vel ſtatim poſt eos mortuos? nullos, imo, non plerosque in perſequutione exſtinctos? *temporis diuturnitas* Commentarius eſt Dodwelli.

Hæc ſunt Dodwelli Sophiſmata, quæ, quantum potui, brevibus reſponſionibus confutavi, cum non judicarem ea, ejus ponderis eſſe quæ admodum amplam diſcuſſionem mererentur.

§. 4. Tranſeundum ergo nunc foret ad eorum argumenta, qui Clementis tempus detrudunt, & eum ad finem Sæculi. I. collocant, ita ut anno 3. Trajani mortuus ſit, & ſub Domitiano Eccleſiæ Præſulatum ſuſceperit. Illi præter Euſebii ejusque ſequacium auctoritatem, à nobis dudum profligatam, his fere utuntur Argumentis: I. Quod Clemens A. XCV. velaverit Domitillam virginem. 2. Quod Clemens ſub Trajano Martyrium ſuſtinuerit. 3. Quod Clemens ſub perſequutionis tempore, adeoque ſub Domitiano, ſcripſerit. Quibus reſpondetur. 1. Domitillæ Hiſtoriam nullo auctore vel minimâ fide digno niti, imo rerum ſtatui repugnare. 2. A nemine veterum Clementem Martyrem dici, imo potius contrarium innui; Et ſi concederetur Martyrem fuiſſe, potuiſſe ſub Domitiano eſſe. Quod enim ſub Trajano id contigiſſe dicant ſequiores Chronologi, hoc ideo fecerunt, quia jam, ex Euſebii erroneo computo, hauſerant Clementem Trajanum aduſque vixiſſe. Cæterum liberaliter nimis concedit Dodwellus, Clementem Euſebio martyrem creditum eſſe, argumento tam levi ut nil levius. 3. Clementem ſub Nerone ſcripſiſſe, qui non minus Chriſtianos eſt perſequutus. Hæc ἐν παρόδῳ monuiſſe ſufficiat, cum ſingula fuſe & ad nauſeam uſque excuſſerit Dodwellus ad Pearſon.

§. 4. Clemens ad Trajanum non pervenit.

ſon. Diſſ. II. Cap. VI. de ſucceſſ. quo Lectorem remitto. Quæ dixi cordatis ſufficient.

§. 5. Pearſonius Linum & Anencletum unà ſediſſe negat, Ex Irenæo ſed fruſtrà allegato.

§. 5. Sed majorem curam merentur, quæ objicit Pearſonius, confirmatque Dodwellus, contra eorum ſententiam, qui Linum & Anencletum ſimul eodemque tempore Epiſcopatum adminiſtrâſſe volunt, quod tamen Syſtema amplexus ſum.

Hæc, inquit Pearſonius Diſſ. II. Cap. III. *Hæc à poſterioribus Latinis excogitata ſunt; neque tale quicquam Irenæo notum fuit, ut ex ejus Catalogo patet.* Latini illi Sæculi IVti. auctores, antiquioribus nitebantur, acceditque Epiphanii & Conſtitutionum teſtimonium. Nec tam auctoritatibus quam fide Chronologiæ hæc ſententia nititur. Quæ omnia ſupra expenſa ſunt. Irenæus diſerte pro nobis non facit: Sed ſufficit eum nobis non obſtare. Non obſtat autem, nam hoc modo dicit, *Linum excepit* (διαδέχεται) *Cletus*, *Poſt quem Epiſcopatum ſortitur Clemens.* Verum autem eſt, Cletum ordinatum eſſe, non quidem poſt mortuum Linum, ſed poſt eum conſecratum. Et ſic quoque Clementem. Vel dici poſſet Anacletum, per aliquot ſeptimanas, ſolum Romæ Epiſcopum fuiſſe, priusquam in Eccleſia Judaica, Lini loco, Clemens ordinatus eſſet. Vel aliquam prærogativam aut ætatis, aut Eccleſiæ ratione inter eos fuiſſe, cujus reſpectu dicere potuerit Irenæus, in dignitatem Lini mortui ſucceſſiſſe jam Epiſcopum Anencletum, huicque Clementem. Sed hæc curioſa magis quam utilia ſunt; ſufficit me gravibus rationibus adductum ſtatuiſſe, Linum & Anencletum unà ſediſſe, Irenæum vero cum hâc ſententiâ conciliari poſſe.

Ex aliquot Antiquis male intellectis.

Deinde multo apparatu producit Cl. Pearſonius, Cypriani, Cornelii, Paciani, Optati, aliorumque teſtimonia, qui omnes teſtantur unum modo Epiſcopum in Eccleſiâ quavis eſſe debere, & quorum nonnulli, occaſione Controverſiæ cum Novatianis, id de Eccleſiâ Romanâ in ſpecie agnoſcunt. Sed aliud pro alio ſumit Doctiſſimus vir. Hoc volebant illi & hoc dicunt, unum Epiſcopum in unâ Eccleſiâ & unâ Parœciâ eſſe debere. Contrà hanc regulam peccabat Novatianus, qui præterea Schiſmatis

tis auctor erat. Sed quæſtio eſt, num non in unâ Urbe, temporibus primis, duæ diverſiſſimæ Eccleſiæ eſſe potuerint, una e Judæis, altera ex Græcis collecta? Et hoc nemo negabit. Deinde quæſtio eſt, num in hoc caſu, non potuerint duabus his Eccleſiis duo diverſi Præſules præeſſe, qui ab invicem non penderent? Et quo colore hoc negabitur? Illo præſertim ævo, ubi Epiſcopi Diœceſes non habebant, nec plures plurium Eccleſiarum Presbyteri uni Capiti parebant, ſed quævis Eccleſia ſuum ſummum Caput, Epiſcopum, habebat. Hic forte ſubibit Lectoris animum, cur omnes illi auctores contra Novatianum unitatem Epiſcopatus urgeant, cum Novatianus nunquam duos Epiſcopos ſimul eſſe poſſe ſtatuerit? Reſpondeo, Eos ſic argumentatos eſſe. In eadem Eccleſia duo Epiſcopi eſſe non poſſunt, ſed Cornelius eſt legitimus Romæ Epiſcopus, Ergo tu es Pſeudepiſcopus. Viden' hoc mihi non obſtare.

Iſta omnino ſunt quæ Pearſonius objicit. Quibus repulſis, manifeſtum eſt nihil amplius ſententiæ noſtræ obeſſe. Unde eâ in genere, ut hactenus factum eſt, ſtabilitâ, jam ſupereſt, ut in ſpecie ſinguli primorum Epiſcoporum, usque ad Clementem incluſive, anni expendantur.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT V.

De Annis Petri, Lini, Anencleti & Clementis ſigillatim.

ARGUMENTUM.

Ex præcedentium recapitulatione, §. 1. *Anni duo incompleti, Petri moræ Romæ aſſignantur.* §. 2. *Et quo tempore Paulus Romam venerit demonſtratur.* §. 3. *In tempus mortis Petri & Pauli inquiritur.* §. 4. *Lini anni determinantur.* §. 5. *Nec non Clementis.* §. 6. *De Anacleti Epiſcopatu & tempore diſſeritur.* §. 7.

§. 1.

§. 1. Ex præcedentium recapitulatione.

Conſtat itaque in genere hactenus.

Primo, Petrum Romam veniſſe, idque A. C. LIV.

Secundo, eum biennio ibi moratum uſque A. C. LVI.

Tertio, eum profectum, Linum Epiſcopum Romæ conſtituiſſe.

Quarto, Paulum ſtatim poſt Petri diſceſſum Romam adveniſſe, A. LVI.

Quinto, Lino Collegam acceſſiſſe Anencletum.

Sexto, Linum & Anencletum vivis Apoſtolis deceſſiſſe, vel certe Linum, cui conſtat

Septimo, Clementem vivis adhuc Apoſtolis ſuccedere debuiſſe A. LXVII. medio.

Quæ omnia ita probata ſunt, ut næ ille parum in rebus illius ævi exercitatus ſit, qui aliquid eorum negare velit. Igitur nunc ſingulos hoſce Romanæ Eccleſiæ Doctores, Petrum, Paulum, Linum, Anencletum, Clementem, percurrens, annos quibus ſederint, veramque eorum Epocham ita oſtendam, ut Catalogis variis comparatis, Differentiis, ubi manifeſta menda

Digitized by Google

menda non erunt, conciliatis, præterea ſemper alia Hiſtorica argumenta addam, quæ ſeriem totam extra omne dubium ponant.

§. 2. Petro tribuunt XXV. annos Euſebii catalogus, catalogi Romani omnes codices, & Eutychius Alexandrinus. Ita tamen ut de tempore, quo illi Anni collocandi ſint, inter eos non conſtet. Nam Euſebius Petrum Romam veniſſe dicit Anno Claudii Cæſaris ſecundo labente, Chriſti Vulgari *XLII.*; Mortuum eſſe Anno Neronis *XIV.* Chriſti *LXVIII.* Ut adeo Petrus Romæ *XXV.* annos completos egerit, ſeu, utroque termino incluſo, ad *XXVIImum.* annum ibi manſerit. Quam Euſebii Chronologiam illuſtraturus, mihi turbaſſe videtur, Dodwellus. Sed de hoc non eſt iſthic locus dicendi. Si catalogis Latinis fides habenda, cœpit ſedere Petrus M. Vinitio Quartino, & C. Caſſio Longino Coſſ. qui annus eſt æræ Vulg. *XXX.* Et immediate ſequitur duorum Geminorum Conſulatum, quo paſſum Chriſtum ſtatuebant Antiqui. Petri mortem collocant catalogi Nervâ & Vetere Coſſ., de quo Conſulatu ſupra actum. Sed quæcunque confuſio hos Conſules produxerit, id tamen conſtat, catalogi auctorem, Neronem & Veterem pro oculis habuiſſe, qui A. *LV.* Conſules fuere. Sic enim ſefferit Petrus A. *XXV.* completos, qui ipſi in catalogo tribuuntur. Eutychius eundem annum emortualem Petri cum catalogo Latino aſſumit, ſed cum Chriſti mortem pro ſuis rationibus triennio detrudat, & ad A. æræ Vulg. *XXXII.* collocet, Inde factum ut Petro modo *XXII.* anni apud eum ſuperſint, ex proprio ſcilicet errore.

§. 2. Anni duo incompleti Petri moræ Romae aſſignantur.

Manifeſtum autem eſt illos, qui annos Petri ſtatim à Chriſti paſſione numerabant, non annos ſedis Romanæ intellexiſſe; etenim diu poſt adhuc Petrum in Judæa fuiſſe ex Actis liquet. Intellexerunt igitur illi totum tempus, quo Petrum primatum Apoſtolorum geſſiſſe cenſebant. Et cum omnino falſum ſit Petrum vel *XXV.* annos Romæ egiſſe, vel etiam *XXVto.* ante mortem anno Romam veniſſe, apparet Euſebium erraſſe, & quod alii aliâ mente dixerant, perperam de Epiſcopatu Roma-

 no

no accepiſſe. Ut adeo Catalogi Latini fontem nobis aperiant erroris Euſebiani, jam ſuprà Cap. I. oſtenſum.

Quia igitur nunc non quærimus, quamdiu Petrus poſt Chriſtum vixerit, vel Apoſtolorum primatum geſſerit, ſed quando Romam venerit, apparet huic XXV. annorum computo immorari nos non debere. Ne vero omnino duce hic careamus, occurrit antiquiſſimæ originis Catalogus à Nicephoro nobis ſervatus, ubi Petro duo anni tribuuntur.

Et ſane mirum in modum huic aſſertioni cum Hiſtoriâ convenire ex iis liquet, quæ Capite I. dicta ſunt. Nempe veniſſe Petrum Romam probatum eſt, poſt exaratam à Paulo ad Romanos Epiſtolam, quod A. LIV. ineunte contigit, ſub Nerone, qui A. LIV. regnare cœpit, & quidem primis ejus initiis, vix mortuo Claudio, adeoque A. LIV. labente. Item jam profectum fuiſſe Româ Petrum, cum Paulus eo veniret, quod A. LVI. fere medio contigit. Egregie itaque Hiſtoriæ convenit cum unico Catalogo, qui nobis tempus aperit, quo Petrus Romæ manſerit.

Sedit ergo Petrus annum unum & aliquot menſes; veroſimiliter ſex & ultra; quod tempus pro duobus annis numerari poteſt in Catalogis, ubi fractiones negliguntur. Venit Romam A. LIV. menſe Octobri, cum d. 13. ejus menſis Nero Imperium adeptus eſſet, & menſe Februario antecedente circiter Paulus ad Romanos ſcripſiſſet. Româ abiit A. LVI. menſe Martio vel Aprili ineunte, cum eodem menſe Paulus Romam venturus eſſet.

Quo poſtea Petrus iverit, & quid egerit, nil iſthic ad nos. Nec etiam multum refert quando redierit Romam. Hoc ſaltem ex Auctoribus conſtat, eum nec diu admodum ante Martyrium ſuum Romæ ſubſtitiſſe, nec ſtatim poſt adventum ſuum Cruci affixum eſſe, ſed forte menſes aliquot Romæ egiſſe, quod ex Lactantii, Euſebii, antiquiorisque Clementis Alexandrini, aliorumque Hiſtoriis liquet. Sed hæc dubia non facient, & excuti non merentur. De Martyrii anno infrà dicam.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. Iter Pauli Romanum jam ſupra à nobis expenſum eſt. Unum adhuc ſupereſt exigui quidem momenti: ſed ideo tamen ſolvendum, ne quid neglexiſſe videamur. Argumentum nempe aliquod affert Pearſonius pro ſuâ Hypotheſi, de itinere Pauli in A. LXI. differendo, & Felicis officio uſque ad A. LX. producendo, quam ſententiam ſupra refutavimus. Nempe refert Joſephus, non longe ab initio opuſculi ſui, ſe Romam navigaſſe, ut Sacerdotes quoſdam liberaret, quos Felix captivos Romam miſerat, & qui ante quam abducerentur Joſepho per quadriennium familiares fuerant. Jam, inquit Pearſonius, Joſephus Natus eſt A. C. XXXVII. E. anno LV. Annos natus erat XVIII. Quod ſi tunc Felix è Judæa abierit, ſequitur eum tunc jam miſiſſe Sacerdotes illos Romam. Quomodo, in tantâ Joſephi juventute, per IV. annos familiares ipſi fuiſſent Sacerdotes. Adde quod Joſephus ab A. ætatis XVI. in Solitudine vixerit, unde quadriennium illud prius adhuc collocandum eſſet. §. 3. Tempus quo Paulus Romam venerit determinatur.

Omnino diſſimulavit Pearſonius, cum hoc diceret, Joſephi verba, quæ ipſo illo loco de ſe profert, ubi ſe eo doctrinæ celebritatiſque perveniſſe ait, *ut puer adhuc, cum quatuordecim annorum eſſet, ab omnibus laudaretur, confluentibus indeſinenter Pontificibus & primoribus gentis ad eum, ut eos accuratius de Lege ſuâ edoceret.* Si A. ætatis ſuæ XIV. indeſinenter cum Sacerdotibus verſabatur eoſque inſtituebat adeò, quidni A. ſuo XIII. jam cum nonnullis verſatus fuerit? Cur A. XVII. ætatis non potuerat per quatuor annos familiariter cum iis egiſſe? Imo relicto anno decimo tertio, ſufficit amicitiam à decimo quarto incepiſſe, ut A. XVIImo. medio vel labente, quadriennalis dici poſſit. Vanum ergo eſt Pearſonii argumentum.

Cum itaque Paulus Romam venerit A. LVI. poſſet jam de menſe adventus quæri. Sed libenter fateor nil certi hanc in rem dici poſſe, donec conſtiterit, quod jejunium intelligendum ſit Act. XXVIII. 9. Si de jejunio Thebeth intelligatur, ut vulgo fit, Incidit illud hoc anno, medio Januario, unde ſi aliquot dies variæ navigationis, & 15. dies in Hadriâ actos

 ſu-

numeres, in Februarium incides, & ſi addas tres menſes, circa Majum Melitâ ſolverit Paulus, quod omnino verum credo, & cum eo convenit quod ſuprà aſſumpſimus.

Manſit autem biennium Paulus Romæ, adeoque uſque ad A. *LVIII.* quo libertatem integram adeptus eſt. Quo tempore eum Româ profectum eſſe jam ab aliis probatum eſt, & ſupponit Actorum Liber, qui biennio dicit Paulum ἐν ἰδίῳ μισθώματι manſiſſe, Evangelium omnibus liberrime prædicantem; Additurus ſane eum biennio expleto vel necatum, vel in arctiorem cuſtodiam conſtitutum fuiſſe, niſi tunc Romam deſeruiſſet. Rediit autem ubi tempus appropinquavit, quo ſupplicium paſſurus erat.

§. 4. Tempus martyrii Petri & Pauli.

§. 4. Inveſtigandus itaque nunc eſt annus, quo Martyrium Apoſtolorum contigit. Conſtat enim eodem anno, imo eodem die mortem ſubiiſſe Petrum & Paulum. Nec de menſe perinde dubitandi locus eſt ac de Anno, nam Februarii die 22. id Martyrium contigiſſe negari non poteſt. Quod enim id aliis in menſem Junium differatur, notum eſt, errorem eſſe, ex confuſo die mortis, cum die poſitionis oſſium Apoſtolorum Sæc. *III.* factæ, ortum, ut multis Pearſonius docuit.

Annum Apoſtolorum emortualem varie varii aſſignant; Sed ut illas ſententias omittam, quæ nimium à vero remotæ ſunt, duæ præcipue hodie notæ habentur. Alii A. *LXIV.* Apoſtolorum mortem aſſignant, & cum his ſentit Dodwellus. Alii A. *LXVIII.* & ſic Pearſonius. Poſtremam hanc ſententiam veram eſſe jam ut oſtendam in me ſuſcipio.

Primo, auctoritatem Euſebii pro me adduco, qui Apoſtolos mortuos eſſe aſſerit anno ultimo Neronis, id eſt, æræ Vulg. *LXVIII.* Non ignoro Euſebium circa res Petri Romanas multum erraſſe, & me eum jam recuſaſſe. Sed tunc rationes erant cur eum rejicerem: Hic vero nullæ ſunt. Ergo hactenus ei credendum eſt. Et videtur veroſimile, antiquiores Euſebio auctores tam Celebrem Epocham ſedulo adnotaviſſe, ex quibus

Digitized by Google

quibus deinde Euſebius eam deſumpſerit. Sane plures idem ſtatuentes brevi allegabo. Quibus quid opponas, niſi forſan traditionem, quæ, ut Pagius vult, Apoſtolorum mortem A. *LXV.* collocat. Sed ubi illa eſt?

Secundo, Antiquiſſima illa traditio, de *XXV.* Petri annis, mihi videtur indubitatum eſſe monumentum ſententiæ meæ. Cur *XXV.* annorum numerum præciſe Petro tribuerunt Antiqui? Num credebant annos illos à Paſſione Chriſti deducendos eſſe, & Petrum A. LV. mortuum? Sed quis ipſis tam ſupinum abſurdumque errorem imputare velit? non enim omnino rudes Hiſtoriæ eſſe debuerunt, qui primi hunc annorum numerum excogitarunt. En ergo, ni fallor, traditionis fontem! Concludere hoc numero volebant antiqui, omne illud tempus quo Petrus Apoſtolorum Collegio præfuiſſe creditur. Cœpit autem præfuiſſe, non ſtatim à morte Chriſti; Tunc enim Apoſtolorum primus apparet eſſe, qui primam inter eos dignitatem occupabat, id eſt, Jacobus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ tunc omnium Metropoleωs Epiſcopus. Et ſane Jacobo primas ceſſiſſe Petrum, teſtis eſt Euſebius ex Clemente Alexandrino viro fide digniſſimo. v. Euſeb. H. E. L. II. Cap. I. Sed primatus Petri tunc incipiebat numerari, quando ipſe primus Ethnicis viam ad Chriſtianiſmum aperuit, & inter eos quaſi Primas evaſit, Jacobo in Judæa & inter Judæos hanc dignitatem adepto. Converſio autem Gentium cœpit ex antiquiſſimâ traditione duodecim poſt mortem Chriſti annis, quos ab A. *XXIX.* numerabant, ita ut in A. *XLI.* deſinerent. Unde ab A. *XLII.* Petri annos computabant, quos ſi aſſumas *XXV.* completos, & fere *XXVI.* ut faciebant illi Chronologi, deſinunt cum A. *LXVII.* Unde Petrus recte mortuus erit menſe Februario A. *LXVIII.* Apparet itaque hanc fuiſſe illorum Antiquorum ſententiam. Cæterum ex dictis apparet, cur Petro antiqui *XII.* annos aſſignaverint à morte Chriſti in Epiſcopatu Antiocheno, Judaico & Jacobo tanquam ſubordinato, reliquos *XXV.* Romæ gentium Metropoli. In alia prorſus abit Cel. Pagius ad A. *LXVII.* n. 3. qui Apoſtolos A. *LXV.* mortuos

 tuos

tuos ut efficiat, Chronologos antiquos citat. Metaphraſtes ap. Surium ad d. 29. Jun. ex Cajo, Zephyrino & Dionyſio Corinthio, nec non Hieronymus, Pontificale, Chryſoſtomus, &c. Apoſtolos circa A. 36. à morte Chriſti obiiſſe aſſerunt. At Antiqui Chriſtum A. 29. paſſum credebant. Hæc ille. Ita ſane Antiqui primis Sæculis docebant. Sed quis ignorat Euſebium Paſſionem Chriſti in A. *XXXII.* collocaſſe, quem Hieronymus aliique omnes ſequebantur. Quod mirum Pagium omiſiſſe! Sic quoque Metaphraſtes, qui hic rationes ſuo tempore vulgares ſequitur, ad quas antiquorum, quos citat, ſyſtemata transfert. Ergo cuncti illi ſcriptores non Pagio, ſed mihi omnino favent, eosque pro teſtibus invictis mearum rationum habeo.

Tertio, quamdiu ſtabit antiquiſſima memoria diei, quo paſſi ſunt Apoſtoli, vix aliud poterit tempus aſſignari, quam A. LXVIII. Nam ante A. LXIV. conſtat Neronem Chriſtianos perſequutum non eſſe, ut ex Pauli aliorumque exemplo, & ex hiſtoriæ fide apertum eſt. Sed cœpit perſequutio poſt incendium Romanum, quod Chriſtianis imputabat Nero. Deſiit autem incendium illud A. LXIV. d. 27. Jul. Ergo nec menſe Februario nec Junio ejus anni potuere pati Apoſtoli. Ergo hoc anno paſſi non ſunt. Sed nec A. LXV. Nam ex Taciti narratione apparet perſequutionem non ſtatim poſt incendium cæpiſſe, verum poſtquam diu fruſtra conatus eſſet Nero, ſuâ munificentiâ & pietate, odium populi à ſe avertere. Ex aliâ parte, Paulus diu in carcere debuit eſſe ante Martyrium ſuum, ut ex Ep. II. ad Timotheum patet tunc ſcriptâ. Nam jam ſemel ſe defenderat ſolus, & abſolutus fuerat. Cap. IV. v. 16, 17. Deinde amici multi ad eum confluxerant, qui tamen poſt aliquam moram eum deſeruerunt. v. 10. Oneſiphorus eum quæſiverat, & cum eo egerat. Cap. I. 16, 17. Sed jam in Aſiam redux erat, ibid. & Cap. IV. v. 11. Sperabat Paulus ſe adhuc Timotheum ex Aſia venturum videre poſſe. Cap. IV. v. 9. & Marci miniſterio uti. v. 11. Hæc omnia ſaltem annuum ſpacium exigunt. Ergo non potuit in per-

Digitized by Google

perſequutione illa carceri intrudi, & tamen A. LXV. menſe Februario vel etiam Junio pati. Sed nec A. LXVI. aut LXVII. Nam perſequutio illa Incendii cauſâ inſtituta: non videtur diu duraſſe. Et cum Nero quæreret modo populum ſibi conciliare, his autem Sævitiis, teſte Tacito, magis adhuc averteret; dubium non eſt quin inhibuerit perſequutionem. Nil vero obſtat poſt aliquot annos, aliâ occaſione, Præfectos urbis Chriſtianorum primores corripuiſſe, & morti tradidiſſe, cum populus non haberet amplius cur ipſum eorum misereret.

Quarto, Alia indicia ſuadent Paulum non in illâ perſequutione primâ Neronis periiſſe. Scribebat è carcere Epiſtolam ſuam 2. ad Timotheum æſtate, Cap. IV. v. 21. Non æſtate A. LXIV. per præced. non æſtate A. LXV., alias modo A. LXVI. morti traditus eſſet, quod falſum per præc. Teſtatur Paulus ſe ob Evangelium tunc pati, Cap. I. v. 12. & in defenſione ſuâ Chriſti fidem prædicaſſe Cap. IV. v. 17. &c. Sed in primâ illâ perſequutione de fide quæſtio non erat, ſed de incendii crimine; unde Ethnici ipſi Chriſtianos deflebant, licet eos ob ſuperſtitionem omnia hæc mereri dicebant, referente Tacito. Chriſtiani tunc exquiſitiſſimis & infandis ſuppliciis torquebantur, quis crediderit Paulum, eorum fere principem, capitis modo ſupplicio multatum eſſe. Si Paulus tunc periiſſet, condemnatus ſane fuiſſet tanquam incendiarius; Incendiarii autem graviore ſupplicio quam decollatione puniuntur.

Quinto, Clemens Romanus teſtatur Apoſtolos mortuos eſſe ἐπ' ἀρχόντων. Id duplici modo intelligi debet. Vel de Nerone ſolo. Sed hoc abſurdum, nam nec Nero ἄρχων erat, nec (multo minus) *principes* in plurali. Vel intelligendum eſt de Præfectis Urbi præpoſitis, Nerone aut abſente aut mortuo. Si prius, Mortui erant Apoſtoli A. LXVIII. Nam Nero Româ abiit modo A. LXVI. labente vel LXVII. Si poſterius, etiam A. LXVIII. paſſi fuerint, quo Nero mortuus eſt, cum ſub finem ejuſdem anni Galba Romam intraverit. Dices, Clementem hoc modo velle Apoſtolos coram judicibus

Digitized by Google

bus ordinariis condemnatos eſſe, adeoque hoc non obſtare, quin Nero tunc Romæ fuerit. Reſpondeo, inauditum eſſe id eâ Phraſi exprimi, quâ Clemens utitur, dum Apoſtolos dicit ſub Principibus paſſos. Apparet Epocham quandam ibi notari, quæ ſic nulla foret. Deinde illuſtriores rei, quales Paulus Petrusque erant, non à Judicibus ſolum ordinariis, ſed ipſius Neronis juſſu condemnabantur.

Sexto, Chronologia hæc mea ædificium eſt, cujus omnes partes ita cohærent, ut vel omnes ſtare, vel omnes everti debeant. Quemadmodum itaque ex Hypotheſi illa ſcil. Apoſtolos A. LXVIII. mortuos eſſe, multa probavi: Ita viciſſim cum ſingula illa aliis etiam rationibus confirmaverim, inde iterum concludo, Hypotheſin illam veram eſſe. Verbi gratia. Probatum eſt Linum ſedere cœpiſſe A. LV. vel LVI. Sedit autem XII. annos ut jamjam conſtabit. Mortuus eſt ergo A. LXVII. At mortuus eſt ante Apoſtolos. Ergo Apoſtoli non mortui ſunt ante A. LXVIII. Sed nec ſerius, nam conſtat eos ſub Nerone mortuos, & ne ab eodem argumento diſcedam, Epiſtola Pauli ad Timotheum II. non diu ante Apoſtoli mortem ſcripta eſt. Sed cum ſcriberetur, Linus adhuc in vivis erat. Ergo Apoſtoli non diu poſt Linum vixerunt. Et ſic adſtrui porro poteſt ſententia mea, ex aliis quæ circa Linum, Anencletum, & Clementem dixi.

§. 5. Lini tempus.

§. 5. Jam ad Linum pergo, qui conſtitutus eſt Epiſcopus à Petro, per ea quæ Cap. II. dixi. Sed Petrus Româ abiit A. LVI. ineunte, per Cap. I. Itaque circa illud tempus, initium Lini collocandum eſt, quando nempe Petrus Eccleſiâ fundatâ, & abitum ſuum prævidens, aliquem relinquere voluit, qui pro ſe curam animarum gereret.

Tenuit autem ſedem Linus A. XII. non completos. Nam *A. XII.*, unanimi conſenſu, ei tribuunt Catalogus Latinus Liberianus, cum Catalogis ſub litt. D. & G. item Nicephorus, Syncellus, Eutychius, & Euſebius in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ. At XI. annos ei tribuunt, Catalogi Latini cæteri omnes. Unde probabiliter Linus XI. annos completos, & uſque in XII. ſedit.

Digitized by Google

ſedit. Et ſic ſane habet Euſebius ipſe in Chronico. Communi itaque conſenſu omnes hic catalogi conveniunt, unde indubium eſt veram annorum ſummam Lino aſſignatam eſſe. Librum Pontificalem non moror, qui XV. annos habet, errore manifeſto & pro quo recte Manuſcripti codices bonæ notæ XI. legunt. Minutias menſium, & dierum, quas catalogi nonnulli Latini addunt, ut futiles omitto, prout inter Eruditos conſtat, & alibi dicendum erit.

Si ergo cum A. *LVI.* initium Lini conjungatur, deſinet ejus annus *XImus.* cum A. *LXVI.* Unde apparebit eum ſediſſe uſque ad A. *LXVII.* circiter medium, adeoque inter *XImum.* & *XIImum.* Epiſcopatus annum obiiſſe.

Nec erraſſe nos in iſtis temporibus figendis, ſed omnia Hiſtoriæ accurate reſpondere manifeſtum eſt. Nam primo, ſupra Cap. *III.* ex variis teſtimoniis, & ex ipſis indiciis internis, ab Epiſtolâ Clementis deſumptis, videramus eum *A. LXVII.* medio Lino ſucceſſiſſe. Nam ſcripſit ad Corinthios ante *A. 69.* (per *Cap. III.* §. 2.), cum jam Epiſcopus eſſet, (Cap. eod. §. 3.) & quidem jam ab annuo ſpacio (ibid. arg. 7.) Ergo circa finem vel medium anni *LXVII.* ſucceſſit Lino, quod firmabatur, Cap. eod. §. 3. Arg. 8. Ergo recte conſtitutum eſt Lini tempus.

Secundo, Mortui ſunt Apoſtoli *A. LXVIII.* nondum medio, quod multis indiciis oſtenſum, & ex ipſo Lini tempore conſtat. Unde viciſſim Lini tempus confirmatur. Nam Ep. *II.* ad Timotheum ſcripta eſt à Paulo, non longe ante Martyrium, ſed æſtate tamen præcedente (per Ep. eand. Cap. *IV.* v. *9*, 21.) Ergo æſtate anni *LXVII.* Ergo Linus ad medium annum *LXVII.* vixit. Non diutius, nam mortuus eſt aliquo tempore ante Paulum & Petrum (per Cap. 2. & 3.) Sed Apoſtoli mortui ſunt anno *LXVIII.*

Conſtat itaque Linum ſediſſe annos *XI.* & menſes aliquot, ab *A. LVI.* ineunte ad *A. LXVII.* medium.

§. *6.* Succeſſit autem ipſi Clemens, & quidem immediate, ut ſupra oſtenſum eſt. Sedere ergo cœpit Clemens *A. C. LXVII.* §. 6. Clementis tempus.

 Idque

Idque patet 1.) ex tempore mortis Lini. Linus mortuus eſt *A. LXVII.* medio: Immediate ei ſucceſſit Clemens. Ergo. 2.) ex tempore mortis Apoſtolorum. Ample probatum eſt, Clementem vivis Apoſtolis Epiſcopum factum. Sed Apoſtoli mortui ſunt *A. LXVIII.* Ergo. 3.) ex Epiſtolâ ſuâ propriâ, & Hegeſippi, Irenæi, Hermæ aliorumque auctoritatibus, quæ omnia expenſa ſunt ſupra Cap. 3. & luce meridianâ clarius demonſtrata. Alia indicia non coarcervabo, ne inutilem laborem aggredi videar, cum ea, quæ dixi, ſupra omne dubium ſint.

De tempore quo Clemens Epiſcopatum geſſerit nemo ſanus dubitabit. Adeo communi conſenſu omnes catalogi ei *IX.* annos tribuunt. Sic omnes omnino Latini, ſic Euſebius in Hiſtoriâ & Chronico, ſic Nicephorus, ſic Syncellus, ſic Eutychius. *IX.* itaque anni Clementi maneant, quos, pro incompletis, habere Euſebius in Chronico videtur. Dubia res eſt. Quomodocunque fuerit, deſinit Clementis tempus in *A. LXXVI.* num ineuntem, num medium, num exeuntem, ignoro. Scio Pearſonium æque ac Dodwellum à communi ſententiâ recedere. Ille annos fere *XIV.* Clementi tribuit, non eo nomine refutatione dignus, quia nullâ ratione, auctoritateve hoc Paradoxon firmare dignatur. Iſte, Dodwellus ſc. incertum tempus aſſerit Clementi, forte *VI.* vel *VII.* annorum. Sed ejus commenta jam ſuprà exploſa ſunt. Non omittam tamen eum iſthic novo telo ſe munire, ſed omnibus reliquis obtuſiori. Hegeſippus, inquit, primus Romanorum Epiſcoporum ſucceſſionem ſcripſit. Sed ſcripſit ſub Aniceto, medio Sæc. *II.* Id tempus, ultra memoriam unius ætatis, à tempore Lini, Anencleti & Clementis diſtat. Ergo homines, quos circa eam ſucceſſionem conſuluit Anicetus Romæ, ultra Evareſti tempora eum de nullâ re docere potuerunt. Quaſi vero nulla veſtigia, aut monumenta antiquiorum ſupereſſent! Quaſi omnes Romani adeo ignavi fuiſſent, ut nemo à priori ætate rerum geſtarum notitiam hauriret! Quaſi neceſſum eſſet Hegeſippum omnia è primâ manu & ἀπ' ἀυτόπτων deſumpſiſſe!

Lu-

Digitized by Google

Lubens fateor me nullo indicio proximo finem Clementis firmare poſſe. Nullam enim vel leviſſimam notam Hiſtoricam, & nullum Synchroniſmum producendum habemus, uſque ad finem Sixti Epiſcopi, quem *A. CVII.* alligamus. Sed prætérquam quod indicia illa confirmant quidem, ſed abſolutæ neceſſitatis non ſunt: Præter id, inquam, anni Clementis, Evareſti, & Alexandri, qui indiciis carent, confirmantur ex indiciis ſingulorum ſequentium Epiſcoporum, quæ cum indubia ſint, certa erunt etiam priorum illorum tempora.

§. 7. Supereſt Anencletus, de quo duas propoſitiones aſfero, auctoritatibus indubiis nixas. Primo, ſedit Anacletus annos *XII.* Ita catalogi Latini omnes, ſi Pontificalem excipias librum, & catalogum ſub litt. E. qui *IX.* annos habent, manifeſto mendo è Clemente derivato, cum etiam manuſcripta Pontificalis recte *XII.* habeant. Ita Euſebius. Secundo, ſedit Anacletus *II.* annos. Ita Nicephorus, Ita Syncellus, Ita Eutychius. Æquales ſunt auctoritates, quis falſus? forte neuter, omnino: nam ſi memor ſit Lector eorum quæ ſuprà dicta ſunt, Anencletum ſciet cum Lino ſediſſe. Sedit ergo *XII* annos, ſi totum ejus Epiſcopatus tempus reſpicias, ſed ſedit modo *II.* annos poſt Linum. Initium vero Lini conjunximus cum anno *LVI.* Ergo initium Anencleti coincidet cum *A. LVIII.* Mors Lini erat *A. LXVII.* mors ergo Anencleti *A. LXIX.* §. 7. Anacleti Epiſcopatus.

Adſunt-ne indicia Hiſtorica, quæ hanc Chronologiam firment? Adſunt. Linus & Cletus ſeu Anencletus ſimul Epiſcopi fuerunt. Non ejuſdem Eccleſiæ. Ergo diverſarum. Sed quomodo diverſarum? Alter Gentilibus, alter Judæis converſis præerat. Uter Judæis? Dubio procul Linus à Petro Judæorum Apoſtolo conſtitutus, & primæ Eccleſiæ Epiſcopus, quæ ſolebat Judæa eſſe, cum præterea conſtet primos Judæos Romæ credidiſſe. Sed quis ergo Anencletum Gentilibus præfecit? Si cogites neminem niſi Apoſtolum id facere potuiſſe; Anencletum reverâ ab Apoſtolis ordinatum dici; Paulum Gentilium Doctorem fuiſſe; Paulum juxta Irenæum

Eccleſiam Romæ fundâſſe, non Judæam quæ jam erat, ergo Gentilem; conf. Gal. *II.* 7. Si hæc omnia recolas, ne vel unum momentum hæſitabis, quin affirmes Anencletum à Paulo conſtitutum eſſe. Et quando? Non ſtatim & antequam Paulus Romæ multum egiſſet, non antequam Paulus Eccleſiam fundâſſet, ſed procul dubio antequam abiturus eſſet, quemadmodum & Petrus diſceſſurus Linum conſtituit. Ergo Anencleti initium pertinebit ad *A. LVIII.*, quo Paulus cuſtodiâ ſolutus, Româ abiit. Ergo recte conſtitutum eſt ſuprà.

Quoad finem Anencleti à me *A. LXIX.* conſtitutam, id factum eſt ſupponendo annos completos, & alia, quæ in dubio præſumi ſolent. Interim vero ſimile videtur eum jam *A. LXVIII.* deceſſiſſe, quoniam Hermas, non ei æque ac Clementi, jubetur exemplar viſionum tradere (vid. Cap. *III.*)

Ponatur ergo initium Anencleti *A. LVIII.* ineunte, finis *A. LXVIII.* labente, anni quibus ſedit erunt *XI.* Et ſi velis ejus durationem uſque in *XIImum.* annum extendere, non obſtabo quominus ejus initium ab *A. LVII.* labente ſumas.

Cæterum cum Paulus Anencleto Eccleſiam traderet, potuit ſimul Linum confirmare, vel potius, Diocœſin ejus reſtringendo, eum ſeparatim Epiſcopum circumciſorum ſtatuere. Unde liquet, quamobrem Lini ordinatio Paulo in conſtitutionibus Apoſtolicis tribuatur. Deinde hoc notandum, recte asſeri poſſe Anencleto neminem ſucceſſiſſe in ſuâ Eccleſiâ, cum hiſtoria Eccleſiaſtica nullius mentionem faciat, & videtur Clemens, vir magni nominis ponderisque, facile utramque Eccleſiam ſub Epiſcopatu ſuo uniiſſe. Cogitabam olim num forte Cletus ille celebris revera extitiſſet, & Anencleto in Eccleſiâ illâ ſucceſſiſſet?

§. 8. Recapitulatio dictorum.

§. 8. Itaque ita determinata ſunt tempora primæ ſucceſſionis Romanæ, quæ nunc colligam & in formam Catalogi additis Conſulibus referam. Nempe,

Petrus Apoſtolus primus Romæ ſedit ann. *I.* menſ. *VI.* & ultrà, à menſe Octobri, Marcello & Aviolâ Coſſ. anno *LIV.* ad menſem Aprilem, Saturnino & Scipione Coſſ. *A. LVI.*

Linus

Linus Epiſcopus ſedit ſolus annos *II.*, in Eccleſia Judæorum *A. X.* in genere annos *XI.* & ¼ à Saturnino & Scipione Coſſ. *A. LVI.* ineunte, ad Capitonem & Rufum Coſſ. *A. LXVII.* medio.

Anencletus Epiſcopus Gentium ſedit annos *XI.* & ſupra, ad annum *XIImum.* à Nerone *III.* & Meſſalâ Coſſ. anno *LVIII.* ad Galbam & Vinium *A. LXIX.* Coſſ. vel ab *A. LVII.* Nerone *II.* Piſone Coſſ. ad annum *LXVIII.* Italico & Trachalo Coſſ.

Clemens Epiſcopus ſedit cum Anencleto ann. *II.* fere, ſolus *A. VII.* in genere ann. *IX.* à Capitone & Rufo, Coſſ. ann. *LXVII.* medio, ad Veſpaſianum *VII.* & Titum *V.* Coſſ. anno *LXXVI.*

CAPUT VI.

De Synchroniſmis quibuſdam, ſeu geſtis ad tempus primæ illius ſucceſſionis pertinentibus, Ubi de Jacobi Juſti, & Johannis Apoſtoli morte, aliisque.

ARGUMENTUM.

Nexus hujus Capitis cum præcedentibus. Recognitionum auctor erroris circa Jacobum Juſtum inſimulatus, ex Joſephi loco, ſed male intellecto. Joſephus explicatur, & alio ſuo loco illuſtratur. §. 1. *Hegeſippi, Clementis Alexandrini, Photii, Chronici Alexandrini, & Nicephori pro Recognitionibus teſtimonia. Annus emortualis Symeonis Hieroſolymitani.* §. 2. *Errores Chronologorum: Exemplum in anno* 3. *Trajani. Johannes non ita diu vixit ut creditur Irenæi fide, Contrarium ex Papiâ probatur.* §. 3. *Auctor Epiſtolæ ad Diognetum Juſtino antiquior,* §. 4. *Videtur Clemens Romanus eſſe.* §. 5.

I. 3. §. 1.

§. 1.

§. 1. Præfatio. Videbitur quidem primâ fronte à ſcopo noſtro aliena eſſe hujus capitis rubrica. Interim etſi foret, non inutile ſane occaſione datâ, quædam Chronologiæ Eccleſiaſticæ capita delibare, ubi nova aliqua obſervatio proponenda ſit. Præterea multum cum propoſito meo cohærent, quæ hoc capite dicenda habeo. Ne temporis adfinitatem dicam, ſingula de quibus tractabo partim directe, partim indirecte ad Clementem pertinent, in quo nunc ſubſtitimus, & ad alia, quorum mentionem fecimus.

Recognitionum auctoritas. Clementis non eſſe Recognitionum Libros hodie conſtat. Antiquiſſimos tamen eſſe, & alii dixerunt, & ego paucis Cap. *III.* comprobavi, ubi etiam fidem hiſtoricam omnem Recognitionibus tribuendam aſſerui, utpote Auctoris apoſtolicis temporibus vicini, illiusque adeo ævi hiſtoriæ gnari. Objectio tamen graviſſima ſupererat, imputatus nempe Recognitionum auctori Anachroniſmus putidiſſimus. Hunc me defenſurum promiſi, & ita non modo Recognitionum auctoritas ſarta tectaque manebit, imo multum creſcet, ſed & eo certiores erunt theſes, ad quas confirmandas ejus libri præſidio uſus ſum.

Et ſententia de Jacobo Juſto. Præfecit nempe auctor Recognitionum operi ſuo Epiſtolam, ſub nomine Clementis jam Epiſcopi Romani ad Jacobum, Juſtum & Fratrem Domini dictum, Hieroſolymorum Epiſcopum, in quibus litteris mentio fit mortis Petri Apoſtoli. Sed Jacobus mortuus eſt eo tempore, quo Albinus, Neronis nomine, in Judæam venit, hoc eſt A. C. *LXII.* Petrus vero modo aliquot poſt annis. Ergo turpiter errat Recognitionum auctor. Jacobum autem illo, quo dicebatur, tempore mortuum eſſe, Joſephus diſerte teſtatur, qui ab Anano Pontifice in judicium vocatum, & lapidationis ſupplicio addictum eſſe narrat. Quod cum accepiſſet Albinus, qui tunc in Judæam matu-

Digitized by Google

turbat, ægerrime id tulit, &c. Vid. Joſep. Antiq. Libr. *XX.* Cap. *VIII.*

Agnoſco hæc Joſephum dicere, nec ideo Joſepho mendacium tribuere velim. Agnoſco itaque ſecundo, vera hic dixiſſe Joſephum, ſed nego eum ideo auctori recognitionum contradicere. Qui aliquid aliquo tempore cogitatum dicit, & qui alio tempore factum affirmat, illi ni fallor non pugnant, ſed *diſtribue tempora & concordabit ſcriptura*, inquit Patrum φιλοσοφώτατος Auguſtinus. Et hic eſt hoc loco caſus. Aſſerit Auctor recognitionum Jacobum adhuc vixiſſe cum Petrus moreretur. Aſſerit Joſephus eo tempore, quo Petrus adhuc vivebat, Jacobum ſententia Judicis morti damnatum fuiſſe. Sed Auctor recognitionum non negat Jacobum ſæpe in ultimo vitæ diſcrimine verſatum eſſe, & viciſſim Joſephus non aſſerit ſententiam revera executioni traditam. Quidni ergo ſupponatur, voluiſſe quidem Ananum ſententiam ſuam exſequi, ſed impeditum eſſe, & tandem veniente Albini interdicto, irritum fuiſſe ejus propoſitum? Teſtatur ſane Joſephus, pleroſque Judæorum impatienter Anani ſententiam tuliſſe, ſtatimque Albinum de eâ re certiorem feciſſe. Et quidni etiam Agrippa Rex, qui idcirco Ananum Pontificatu removit, ei obſtitiſſet? Joſepho non oppoſita.

Sed hæc intra meræ ſuppoſitionis limites coercere nolo: Prægnantes rationes verum id omnino eſſe oſtendunt. Et ut indicio quodam ex ipſo Joſepho deſumpto incipiam, citant ex eo Euſebius aliique antiqui locum quendam, ubi de deſolatione Hieroſolymorum agens addidit, *Hæc ideo contigiſſe, quod Judæi Jacobum illum Juſtum interfeciſſent.* Intercidit hodie iſte locus, quo fato dubium. Sed legebatur olim. Inde duo hæc obſervo. *I.* Si Jacobus mortuus ſit 8. vel 9. annis ante excidium Hieroſolymorum, an Joſephus auctor Judæus huic cauſæ, præ aliis, excidium ejus urbis tribuiſſet, cum centenas alias graviores & recentiores habuiſſet afferendas? 2. Si Jacobus tunc interfectus fuerit, quando ab Anano condemnatus fuit, quo jure Genti Judaicæ id crimen imputaſſet Joſephus, & Quod ex alio Joſephi loco confirmatur.

ideo

ideo eam penitus exciſam credidiſſet, cum ipſo referente, optimi præcipuique Judæorum Anani factum improbaverint?

§. 2. Idem ex Hegeſippo probatur.

§. 2. Probabile itaque eſt Anani ſententiam effectu caruiſſe, & Jacobi mortem alio tempore contigiſſe. Sed plura ſunt quæ id probant. Nempe Hegeſippus auctor antiquiſſimus, & qui pro docto & judicioſo ab iis habitus fuit, qui ſcripta ejus legerunt. Et etiamſi non fuerit, potueratne ignorare, quod non ita multis ante eum annis, forte 20. ad ſummum, geſtum erat? Atque ſi non ignorabat, intereratne ejus factum falſare & Hiſtoriæ veritatem mutare? Is autem ita Jacobi mortem refert, ut manifeſtum ſit martyrem illum alio tempore interfectum fuiſſe, quam quo id creditur, ex fide Joſephi, geſtum eſſe. Nam primo, eo tempore de quo Joſephus ſcribit, ſententiâ Pontificis necatus eſt Jacobus, ſi necatum eſſe tunc verum eſſet. Hegeſippus autem in ſeditione populari occiſum narrat. Secundo, Jacobus ab Anano lapidationis ſupplicio addictus eſt. Juxta Hegeſippum, de templo præcipitatus, aliquot ſaxis obrutus, & ad ultimum fuſte percuſſus, & necatus. Tertio, apud Joſephum citabatur Jacobus ad Synedrium, apud Hegeſippum Judæorum primores eum inviſunt. Quarto, apud Joſephum accuſatur impietatis à Pontifice, apud Hegeſippum non accuſatur, ſed honeſte ab eo rogant Judæi, publice Jeſum impoſtorem vocet. Quinto, apud Joſephum, præmeditato facinore Jacobum interficere decreverant ejus hoſtes, apud Hegeſippum repente id conſtituunt, licet antea eam intentionem non habuiſſent. Et quæ aliæ inter Joſephum & Hegeſippum differentiæ ſunt. Niſi ergo credamus, Hegeſippum ſine ratione, & ideo modo ut mentiretur, mentitum eſſe de facto recenti & notiſſimo, quod ſane abſurdum eſt; dicendum erit omnino, Jacobum non tunc morti traditum eſſe, quando ab Anano condemnatus eſt, ſed poſtea, temporis aliquo ſpacio interjecto.

Et iterum alio modo.

Et ſane miror viros doctos hæc non obſervaſſe, & conſtanter Hegeſippo fidem denegaſſe, cum vel ex ipſo illo Auctore ap-

Digitized by Google

appareat diverſam ab eo, quam à Joſepho, Hiſtoriam narrari. Nam Joſephi hiſtoria contigit *A. LXII.* ſi ſerius, vel ut rectè Valeſius aſſerit *A. LVIII.* aut *LIX.* adeoque multis ante excidium Hieroſolymitanum annis. Sed Hegeſippus ſuam narrationem immediate ante illud excidium collocat. Relatâ enim Jacobi morte confeſtim addit, καὶ εὐθὺς Οὐεσπασιανὸς πολιορκεῖ Ἰουδαίαν, αἰχμαλωτίσας αὐτούς. *Et ſtatim Veſpaſianus, captâ Judæâ, captivos abducit incolas.* Et hoc ſane ſyſtema meum invictè probat.

Cur Hegeſippo credere nollemus, cum non ſolus eâ de re nobis teſtis ſuperſit. Nihiline faciendus Clemens Alexandrinus, auctor ſine dubio ſupra omnem exceptionem collocatus? Is tamen, Libro *VII.* Hypothypoſeon, diſerte aſſerit Jacobum de Templo præcipitatum, & fullonis fuſte necatum, adeoque teſtimonium Hegeſippi confirmat, Joſephum vero explicat. Et ex Clemente Alexandrino.

Et ſane Joſephum ita intellexiſſe videtur Photius, qui eum excerpens ait, *Ananum conatum eſſe Jacobum lapidandum tradere.* παρασκευάζεσθαι. Ex Photio.

Cæterum locus Hegeſippi reperitur apud Euſebium *L. II. Cap. XXIII.* locus vero Clementis apud eundem *L.* eod. *Cap. I.*

Tandem firmat ſententiam meam Chronicon Alexandrinum, quod per ſe quidem auctoritatem non habet, ſed ex centonibus optimorum auctorum collectum eſt. Illud mortem Jacobi Galbâ & T. Rufino Coſſ. contigiſſe dicit, id eſt, *A. LXIX.* Addi poſſet forſitan Nicephori Catalogus, qui Simeonem ejus ſucceſſorem 23. annos ſediſſe vult, mendo manifeſto, pro quo ſi legatur 33. evaſerit Simeon Epiſcopus *A. LXX.* circiter, cum juxta Chron. Alex. mortuus ſit Surano *II.* & Marcello Coſſ. *A. CIV.* Et rectè omnino, nam errat Euſebius, qui mortem illam ad *A. CVII.* refert. Præerat enim Syriæ Atticus, cum Simeon moreretur, referente Hegeſippo, ſed è Dione liquet, inter bellum Dacicum & Parthicum Trajani circa *A. CV. CVI. CVII.*, Palmam id muneris habuiſſe, qui tunc Arabas Ex Chronico Alex. & Nicephoro.

 vicit.

Digitized by Google

vicit. Quod ὡς ἐν παρόδῳ dictum ſit.

§. 3. Errores Chronologorum. Exemplum in a. 3. Trajani. §. 3. Errarunt itaque Chronologi in collocandâ Jacobi morte, quotquot Joſephum male intellectum ſequuti ſunt. Quod mirum non eſt, adeo tenebris plenæ ſunt Sæc. *I.* res, non tam antiquorum culpâ, quam Chronologorum qui omnia turbaverunt. Illuſtre ejus rei dederunt exemplum Pearſonius & Dodwellus, in anno 3. Trajani, Chriſti C. Chronologis fatali, cum omnia labentis ſæculi primi, ineuntisque ſecundi geſta illuc corraſerunt, atque adeo Clementis Romani mortem, quam multo priorem fuiſſe oſtendimus. Ita quoque Johannis mortem ad hunc annum ſolent referre, nullà, ut Dodwellus oſtendit, ratione. Et ſane jam idem Dodwellus conjecit antiquos, ipſumque adeo Irenæum, Johannem Apoſtolum cum alio Presbytero confudiſſe. Quæ conjectura à me expenſa eſt, & ita corroborata, ut locus non amplius ſit fabulæ de prolixâ Johannis ætate, quam primus Irenæus induxit, eum uſque ad Trajanum vixiſſe aſſeverans. Sed cum iſta hujus loci non ſint, ſuffecerit unum Argumentum afferre, quod mihi ſupra omnem exceptionem videtur.

Johannis provecta ætas ex Papiâ refutatur. Papias Johannem aliquem audivit Presbyterum, diſcipulum Domini; ut ipſe refert ap. Euſeb. *L. III. Cap. ult.* Aliæ notæ poſſent Apoſtolo convenire, Presbyteri titulus difficulter ſatis, cum Hiſtorici alium Johannem Presbyterum fuiſſe dictum affirment. Sed Papias Johannem hunc ſuum ſemper cum Ariſtione quodam nominat, eique poſtponit, & utroſque diſcipulos Domini conjunctim vocat. Ariſtion autem modo ex *LXX.* diſcipulis eſſe potuit; adeoque & iſte Johannes. Hæc ſane Apoſtolo non conveniunt. Deinde Papias ibidem alium Johannem inter Apoſtolos nominat, quem Apoſtolum fuiſſe indubium eſt: Illum ſe audiviſſe non dicit, ſed dicta ejus ab aliis ſenioribus accepta referre dicit. Apertum eſt ergo Papiam Johannis, ſed non Apoſtoli, Diſcipulum fuiſſe. Unde duo concludo. 1. Irenæum duos Johannes confudiſſe, cum Papiam Apoſtoli auditorem faciat, unde & alibi

Digitized by Google

alibi confundere potuit. 2. Papiam dicta Apoſtoli Johannis *olim à Senioribus* accepiſſe, unde probabile eſt dudum jam Johannem mortuum fuiſſe.

Sed non ibi ſubſiſto: Videndum eſt quo tempore Papias Johannis Presbyteri auditor fuerit. Id duobus modis indagari poteſt. Primo ex Johannis illius, deinde ex Papiæ ætate. Et quidem cum Johannes iſte diſcipulus Domini fuerit, nec veroſimile ſit Chriſtum Diſcipulos ſe juniores & imberbes elegisſe, ſequetur eum, quantumvis longa ipſi ætas tribuatur, ultra Sæc. *I.* vivere non potuiſſe. Atque ſi de iſto Johanne intelligamus, quæ de Apoſtoli longâ vitâ prodidere veteres, dicendum erit eum uſque ad Trajanum, i. e. uſque ad *A. C. XCVIII.* vixiſſe. Quoad Papiæ ætatem, Irenæus ap. Euſeb. *L. III.* Cap. 39. (ubi Papiæ loca exſtant, quibus hic utor) ipſum ſcriptorem antiquum vocat ἀρχαῖον ἄνδρα, quod certe de homine dici non poteſt, qui non ante multos annos ſcripſerit, & multis annis Irenæum ætate præcedat. Scribebat Irenæus jam ſenex circa *A. CLXXV.* & natus erat ſub initia Trajani, unde veroſimile eſt Papiam jam ſaltem *XXX.* annorum fuiſſe, cum naſceretur Irenæus, & fere *L.* annis ante Irenæum ſcripſiſſe circa *A. CXXV.* Deinde Papiam juvenem admodum, Johannis auditorem fuiſſe inde liquet, quod ſe eum jam ſenem, aliosque ſenes olim audiviſſe dicit, id eſt omnino juvenem ſenes. Itaque ſub finem Sæc. *I.* audivit Johannem Papias, forte ab *A. XC.* uſque ad *C.*

Jam infero: Johannes ille in Aſiâ docebat & quidem Epheſi, ut aliunde conſtat, & ut ex ipſo Papiâ apparet, qui ex illis oris oriundus erat, & vicinum ſenem audivit. Itaque eodem loco verſabatur his annis Papias, quo Johannes Apoſtolus, ſi verum ſit eum tam diu vixiſſe, vel certe in viciniâ, e quâ nunquam receſſit. Erat autem curioſiſſimus Papias rerum Apoſtolorum, & dictorum doctrinarumve eorum, ut ex ejus narratione eluceſcit. Nullas prætermittebat occaſiones aliquid de eis addiſcendi. Quis crediderit igitur Papiam occaſionem neglexiſſe, ſine labore Johannem Apoſtolum conveniendi & au-

 diendi.

Digitized by Google

diendi. Habebat vero, & quidem proximam, ſi quidem Apoſtolus ad ea usque tempora Epheſi vivebat, imo Aſiam totam circuibat, quod de eo iidem Antiqui referunt. Attamen non uſus eſt hac felicitate Papias. Ergo non potuit uti: Ergo falſum eſt Johannem tum adhuc vixiſſe. Quid huic ratiocinio, quod ni fallor Demonſtrationem Criticam conſtituit, regeri poſſit, ego ſane neſcio. Hæc obiter dicta ſunt, & ſpeciminis gratia.

§. 4. Auctor Epiſtolæ ad Diognetum Juſtino antiquior.

§. 4. Priusquam ab hoc Capite diſcedam, è re eſſe opinor, Conjecturam Lectoribus proponere, niſi quidem fallor, ſumme probabilem. Reperitur nempe in Juſtini Martyris operibus Epiſtola Diogneto inſcripta, quam Juſtini eſſe jam multi dubitarunt, & antiquiorem crediderunt. Aliis viſæ ſunt rationes, hanc in rem allatæ, non ſatis magni eſſe ponderis, & loca aliam interpretationem ſuſcipere poſſe. Concedo loca illa omnia aliter intelligi poſſe, ſed cur ſenſus difficilior, ſenſui præferatur faciliori & proniori? Deinde ſi unus locus talis eſſet, fieri poſſet caſu adeſſe, ſed plures ſunt: Nec alia ſuppetunt indicia temporis ſcriptæ Epiſtolæ. Quis credat Juſtinum adſectaſſe ſemper, contra morem ſuum, iis Phraſibus uti, quæ Antiquitatem ultimam indicarent? Colligamus itaque loca illa, quoniam ſane *vis unita fortior*.

Primo. Religionem Chriſtianam *novam* vocat Auctor, & ita *novam*, ut adhuc admiratione pleni fuerint homines quid illud monſtri foret, Τί δή ποτε καινὸν τοῦτο γένος.

Secundo. Religionem dicit *nunc & non prius* in mundo exortam, cur, inquit, hoc inſtitutum, νῦν καὶ οὐ πρότερον, mundum ingreſſum eſt?

Tertio. Paulo poſt, Doctrinam Chriſtianam iterum *verbum novum*, λόγον καινὸν, vocat.

Quarto. Modus controvertendi & Gentiles refutandi, in hâc Epiſtolâ, ſimplicitatis eſt Apoſtolicæ. Unicum Argumentum premitur. Gentiles lapidem & lignum &c. adorare. Quod ſane primum erat quo uſi ſunt Chriſtiani. Sed brevi methodum mutare cogebantur. Et illico Sæculo *II.* videmus Ju-

Sti-

ſtinum, Athenagoram, aliosque Deorum Gentilium vitam & originem, & Philoſophorum placita excutere.

Quinto. Judæos ita refutat, ut tunc, cum ſcriberet, Deum Sacrificiis placantes, quod ſæpius inculcat, τὴν θρησκείαν αὐ-τῶν (ſacrificiorum) προσάγουσι ... μαρτυροῦσι ... προσέχουσι ... δο-κοῦσι, &c. Vides omnia in præſenti tempore dici. Sed Judæi poſt excidium Hieroſolymorum *A. LXX.* non amplius Sacrificia offerebant.

Sexto. De Dogmatibus Chriſtianorum ita ſobrie & ſimpliciter loquitur hic Auctor, ut Apoſtolorum tempus ſapiat.

Septimo. *Non peregrina*, inquit auctor, *vel rationi contraria loquor, ſed Apoſtolorum diſcipulus cum fuerim, gentium doctor fio, quæ tradita ſunt mihi iis ſubminiſtro, qui veritate digni diſcipuli evadunt.* Vide & quæ ſequuntur, ex quibus concludi debet à primâ manu Auctorem doctrinam ſuam haurire.

Hæc omnia, ni fallor, indicant Auctorem brevi poſt initium prædicationis Apoſtolicæ, ante bellum Judaicum floruiſſe, Et Apoſtolorum diſcipulum fuiſſe.

§. 5. Jam quæri poſſet, quis Auctor ille fuerit? Et opinor non improbabili ratione id elici poſſe, hiſce notatis. §. 5. Videturque Clemens Romanus eſſe.

Primo: Tota Epiſtola ſtilum Paulinum ita ſapit, ut Pauli videatur eſſe, eadem verba, eædem phraſes, eædem conſtructiones, idem cogitandi modus &c. apparent. Exempla referre prolixum eſſet. Lectio Epiſtolæ ſufficiet, & quævis linea cum aliquo Paulino loco comparari poteſt.

Secundo: In ſpecie ſtilus non multum diſtat ab Epiſtolâ ad Hebræos, i. e. purior eſt & intricatior quam in cæteris N. T. Libris, & ſimiles loquendi modos habet &c.

Tertio: Conſtat autem Clementis Romani ſtilum cum Paulino magnam affinitatem habere, & maximam cum Epiſtolâ ad Hebræos.

Quarto: Imo etiam valde convenit Clementis ſtilus cum ſtilo Epiſtolæ ad Diognetum. Hæc omnia brevitatis cauſa non probabo, ſed Lectori inveſtiganda relinquo.

Quinto: Clemens Romanus eo tempore vivebat, quo Auc-

 ctο-

ctorem Epiſtolæ vixiſſe diximus, & in iisdem Circumſtantiis verſabatur.

Sexto: Clemens Romanus nexum peculiarem cum Paulo habebat. Et Auctor noſter non modo ſedulo Paulum imitatur, ſed & eum ſolum expreſſis verbis & cum elogio citat.

Ex quibus naſcitur illa mea conjectura de Clemente Romano, Epiſtolæ ad Diognetum auctore, quam Lectorum judicio relinquo.

CAPUT VII.

De Evareſti, Alexandri, Sixti, Telesphori atque Hygini annis.

ARGUMENTUM.

Evariſti anni. §. 1. *Alexandri anni. Catalogi Liberiani error unde ortus.* §. 2. *Sixti anni, ex Ignatio firmantur.* §. 3. *Annus verus mortis Ignatii contra Pearſonium vindicatur. Trajani Iter Antiochenum.* §. 4. *Belli Armeniaci, & Parthici tempus, Terræmotus Antiocheni annus, aliique multi in Hiſtoriâ Romanâ Synchroniſmi illuſtrantur.* §. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Verus mortis Ignatii annus.* §. 10 *Anni Teleſphori.* §. 11. *Anni Hygini. Catalogi Liberiani error ejusque origo.* §. 12.

§. 1.

§. 1. Evariſti anni.

Tranſeo ad ſequentes Epiſcopos Romanos. Clementi, anno LXXVI. mortuo ſucceſſit Evariſtus. Huic tribuunt,

Catalogus antiquiſſimus Liberianæ ætatis, A. XIII.
Catalogus Juſtinianeæ ætatis, ſub Litt. J. A. IX.

Ca-

Catalogus A. ejuſdem temporis	A. VIII.
Liber Pontificalis	A. XIII.
Quædam Manuſcripta Libri Pontificalis	A. IX. al. X.
Catalogus ſub litt. B. A. 600.	A. IX.
Catalogus ſub litt. C. Sæculi VII.	A. IX.
Catalogus ſub litt. D. Sæc. VIII.	A. XIV.
Catalogus ſub litt. E. A. 825.	A. IX.
Catalogus ſub litt. F. A. 900.	A. XIII.
Catalogus ſub litt. G.	A. IX.
Et ſic Catalogi Latini. Inter Orientales,	
Catalogus Euſebii in Hiſt. Eccleſiaſtica,	A. VIII.
Catalogus ejuſdem in Chronico,	A. IX.
Dodwello tamen corrigente & numerante,	A. VIII.
Catalogus Nicephori Græcus & Latinus,	A. IX.
Catalogus Syncelli, deeſt.	
Catalogus Eutychii,	A. IX.

Convenit itaque inter omnes Catalogos Orientales, & Latinos ſeptem, Evareſtum circa IX. annos ſediſſe & quidem quoniam alii 8. alii 9. ponunt, per regulam generalem erunt IX. anni non completi. determinantur,

Obſtant Catalogi quatuor Latini, quorum tamen unus, nempe Liber Pontificalis, ceſſat, ex Manuſcriptis nempe corrigendus; Trium aliorum duo poſteriores ſequioris ævi ſunt, & ex Liberiano deſumpti, unde redit res ad Liberianum; ſed quid unus ille contra nubem teſtium optimorum, qui ei obſtant?

Cæterum Catalogus ille Liberii, licet hic IV. annos veræ Chronologiæ addat, non tamen ab ea recedit, ſed ſtatim in Alexandro, qui ſequitur, eos annos compenſat, ubi de eâ re dicendum erit.

Sedit ergo Evareſtus annos VIII. & menſes aliquot. Sed cum præſumptio de medio tempore aſſumendo, ubi diverſi Catalogi annuo ſpatio differunt, nil niſi præſumptio ſit, quæ veritati facile cedat, omnino IX. anni integri Evareſto dandi ſunt;

Digitized by Google

ſunt, alias Sixti finis non in A. CVII. incurreret, quod tamen oportet,

Initium ergo Evareſti eſt A. C. LXXVI. Veſpaſiano VII. & Tito V. Coſſ. & quidem dubio procul labente. Finis A. C. LXXXV. Domitiano XI. & T. Aurelio Fulvio Coſſ. etiam exeunte. Tempus Epiſcopatus, Anni IX.

§. 2. Alexandri anni. §. 2. Evareſto ſucceſſit Alexander, cujus annos ſic recenſent. Tribuit nempe ipſi.

Catalogus Liberianæ ætatis	A. VII.
Catalogus Juſtinianei temporis	A. X.
Catalogi A. & D. ceſſant hic & in poſterum.	
Catalogus B.	A. X.
Catalogus C.	A. X.
Catalogus E.	A. X.
Catalogus F.	A. X.
Catalogus G.	A. XI.
Et inter Orientales	
Catalogus Euſebii	A. X.
Catalogus Nicephori	A. XII.
Catalogus Syncelli	A. XII.
Catalogus Eutychii	A. X.

Itaque Catalogi Latini codices quinque, & Euſebius, & Eutychius annos X. Alexandro aſſignant. Nicephorus & Syncellus annos XII. Medium tenet unus Latinus & XI. aſſignat. Et hoc medium recte ſequemur, tum ob generalem præſumptionem, tum ob finem Sixti, qui hoc exigit.

Catalogi Liberiani error. Nimium quantum ab hiſce rationibus diſcedit Catalogus Liberianus VII. modo Annos Alexandro aſſignans. Sed ſolus in ſuâ ſententiâ eſt, adeoque merito ſuo negligendus. Interim non ſine ratione quadriennium hic abſtulit Catalogi hujus auctor, cum quadriennium inepte Evariſto addidiſſet. Compenſantur itaque hoc modo errores, & redit Catalogus iſte in viam rectam.

Quæ-

Digitized by Google

Quæres forſitan unde errores illi orti ſint? Et cur in Evariſto diſceſſerit à recto tramite Catalogi auctor. En probabilem admodum rationem quam ejus rei excogitavi? Catalogus ille Conſules ſemper adſcriptos habet, quibus anni Pontificum alligandi ſunt. Iſthic dicit Alexandrum ſediſſe à Valente, & Vetere ad Gallum & Braduam: Id eſt ab *A. XCVI.* ad *A. CVII.* ut ſederit *XIII.* annos. Et notandum Catalogum J. antiquitate ſecundum, eosdem Conſules referre, licet modo *IX.* annos Evariſto det. Ut itaque fons Erroris appareat, ecce Conſules illorum annorum, ex recenſione Pagii. Cujus origo eruitur.

A. XCVI. C. Fulvius Valens, C. Antiſtius Vetus.
A. XCVII. Imp. Coccejus Nerva *III.* L. Virginius Rufus *III.*
A. XCVIII. Imp. Coccejus Nerva *IV.* Cæſ. Ulpius Trajanus *II.*
A. XCIX. C. Soſius Senecio *II.* Cornelius Palma.
A. C. Imp. Ulp. Trajanus *III.* M. Julius Fronto *III.*
A. CI. Imp. Ulp. Trajanus *IV.* Sex. Articulejus Pætus.
A. CII. C. Soſius Senecio III. L. Licinius Sura II.
A. CIII. Imp. Nerva Trajanus V. L. Appius Maximus II.
A. CIV. Sura II. P. Marcellus.
A. CV. Tib. Julius Candidus II. A. Julius Quadratus.
A. CVI. L. Cejonius Commodus Verus, L. Tutius Cerealis.
A. CVII. C. Soſius Senecio IV. L. Licinius Sura III.
A. CVIII. A. Annius Trebonianus Gallus, M. Atilius Metilius Bradua.
A. CIX. A. Cornelius Palma *II.* C. Calviſius Tullus *II.*

Notandum præterea Catalogi Liberii eam Methodum eſſe, ut Conſulum tempora ſemper completa aſſumat, v. g. Si Epiſcopus mortuus foret A. C. ineunte, tunc totum A. C. ipſi imputaret, & ſequentem ab A. CI. incipere diceret.

Itaque cœperit Evariſtus pro computo Catalogi A. XCV. dicetur A. XCVI. primus ejus annus, & revera continebit pri-

mi & ſecundi partem. Aſſumptis itaque Faſtis Conſularibus, aliquis Auctor Liberiano antiquior, voluerit IX. fere Evariſti annos, ad Conſules applicare, & numeraverit prout in margine ſiniſtro ad Annos Chriſti addidimus. Erat nempe A. C. XCVI. Evariſti 1. XCVII. 2. XCVIII. 3. XCIX. 4. C. 5. CI. 6. CII. 7. Ibi Senecio & Sura ſunt Conſules. Jam aliquo diſtractus auctoris animus fecerit ut numerum ſuum interrumperet. Tunc iterum incepturus à Senecione & Surâ ubi ſubſtiterat, incaute pro anno CII. ad CVII. venerit, ubi iidem Conſules iterum apparent. Et ſic fuerit ei A. C. CVII. Evariſti 7. ut ſuprà, A. CVIII. 8. A. CIX. continuerit reliquum Evariſti, ſi adhuc aliquod fuerit, & primum Alexandri. Itaque aſſumpſerit auctor A. CIX. pro ultimo Evariſti, & ſcripſerit Evariſtum ſediſſe annos IX. à Valente & Vetere (A. XCVI.) ad Gallum & Braduam incluſive, id eſt revera ad A. CVIII. ut autem ipſe putabat ad A. CIII.

Deinde auctor Catalogi Liberiani hunc antiquiorem ſequutus, Conſules ſemper cum faſtis contulerit, ut errorem, ſi quis foret, emendaret. Itaque repererit Valentem & Veterem, atque Gallum & Braduam XIII. annis diſtare. Unde, correcto auctore ſuo, annorum numerum, utpote ubi facilius errari poſſe credebat, emendaverit.

Et hoc ita geſtum eſſe oſtendit Catalogus Juſtinianæus, qui, ut jam monui, annos IX. & eoſdem Coſſ. Evariſto tribuit, antiquiorem illum ſine correctione ſequutus. Nec enim Liberianum ſequutus eſſe poteſt, aliàs vel annorum numerum non mutaturus, vel Conſules unà emendaturus. Indubia ergo eſt mea ſententia.

Cæterum hujus Alexandri circumferuntur Acta, quibus Martyrium ejus deſcribitur. Quæ conficta eſſe jam dudum viri docti oſtenderunt, & deturpata mirum in modum nemo negat. Unde patet cur veris Chronologiæ rationibus adverſentur.

Sedit ergo Alexander ab A. LXXXV. exeunte, Domitiano XI. & T. Aurelio Fulvo Coſſ. uſque ad A. XCVII. ineun-

Digitized by Google

ineuntem Nerva III. & Ruſo III. Coſſ. vel etiam modo ad A. XCVI. deſinentem, Valente & Vetere ordinariis, ſed Sabino & Antonio ſuffectis Coſſ. Tempus Epiſcopatus anni XI. circiter.

§. 3. Poſt Alexandrum recendus venit Sixtus vel Xyſtus, cui dant: §. 3. Sixti Anni.

Catalogus Liberianus	A. X.
Juſtinianæus	A. X.
Sub litt. B.	A. X.
Sub litt. C.	A. X.
Sub litt. E.	A. X.
Sub litt. F.	A. X.
Sub litt. G.	A. X.
Libri Pontificalis	A. X.
Orientales:	
Euſebii	A. X.
Eutychii	A. X.
Nicephori	A. IX.
Syncelli	A. IX.

In tanto conſenſu abſurdum eſſet dubitare. Dentur igitur anni X. Sixto, iique completi, licet pro incompletis habuerint Nicephorus & Syncellus. Atque deſinet Sixti Epiſcopatus verſus initium Anni CVII.

Tempus erat illud Perſequutionis contra Chriſtianos, ejusque publicæ & generalis, Trajano auctore. Unde eo ipſo anno, certe ſequente Ignatius Romæ paſſus eſt. Non itaque mirum eſt vacaſſe Romæ ſedem aliquandiu, & per totum fere annum CVII. quod & alias in calamitoſis temporibus contigit, ut vel ex Cypriano apparet, qui diu vacaſſe Eccleſiam Romanam, capite poſt Fabiani martyrium, in perſequutione Decianâ, narrat. Notâ Hiſtoricâ firmantur.

Et ſane vacaſſe ſedem Romanam illo anno, egregie ex Ignatio Ex Epiſtolis Ignatii.

tio elici poteſt. Quod indicium, prout nemini notatum, ita auro contra mihi carius eſt, adeo pulchre Chronologiam meam firmat.

In omnibus ſuis Epiſtolis, nullam priorem, nullam majorem habet curam Ignatius, quam ut Epiſcopi erga Eccleſiam, & præcipue Eccleſiæ erga Epiſcopum officia inculcet. Nulla periodus fere ſine Epiſcopi mentione, ſalutatione, laudibus, &c. Nullæ rigidiores minæ quam, iis qui Epiſcopum contemnerent, & quæ cætera ejus generis ſunt. Quis igitur crediderit Ignatium, Romanis ſcribentem, Epiſcopi ne vel uno verbulo mentionem facturum, ne ſalutaturum quidem? Id tamen revera fecit. Dubiumne ergo amplius erit, viduam tunc fuiſſe Eccleſiam Romanam, & Epiſcopo caruiſſe. Scribebat vero Ignatius A. CVII. d. 9. Cal. Septemb. Cum ergo tunc ſciverit jam aliquamdiu vacaſſe ſedem Romæ, nec ſpem eſſe cito alium Epiſcopum ſurrogandi, oportet jam ineunte anno mortuus ſit Sixtus. Degebat enim Ignatius Antiochiæ. Ubinam aliud Syſtema eſt, quod tam belle cum Hiſtoriâ concordet?

§. 4. Annus mortis Ignatii contra Pearſonium vindicatur.

§. 4. Sed ecce Pearſonium ejusque ſequaces, qui Ignatii annum emortualem mutant! Volunt nempe Ignatium modo circa A. CXV. à Trajano condemnatum & paſſum.

Attamen perſuaſus ſum falſiſſimam eſſe Pearſonii Hypotheſin, & id probatu difficile non eſt. Affectu abreptus Vir doctiſſimus, in eam ſententiam migravit, quam alias ſane approbaturus non fuiſſet. Unde mirum eum ſectatores inveniſſe, & ſerio refutatum non eſſe. Conſtat omnes antiquos ad A. CVII. mortem Ignatii referre. Conſtat Acta Martyrii Ignatii antiquiſſima, imo coæva, quod nec Pearſonius negat, eum annum diſerte & characteribus apertiſſimis notare. Verum itaque eſt Ignatium eo anno mortuum eſſe, niſi demonſtratio in contrarium afferatur.

Trajani Iter Antiochenum.

Eſt hoc eſt quod Pearſonius facere conatur. Ait nempe, Ignatium ex Actorum relatione coram Traiano ſtetiſſe Antiochiæ. Trajanum autem Antiochiæ fuiſſe modo A. CXV. Verum infirmo admodum talo hæc nituntur. Ajebat Pearſonius

ex

Digitized by Google

ex nummis, ex Inſcriptionibus, ſe probaturum hanc Theſin, determinando accurate finem Dacici, & initium Parthici belli. Cum non produxerit haſce ſuas probationes, refutari ſane non poſſunt; ſed manifeſtum eſt veritates veritatibus, Inſcriptiones Inſcriptionibus contrarias non eſſe futuras. Si probem itaque contrarium, cauſâ victoriáque ceciderit Pearſonius.

Dubium eſſe non poteſt Trajanum Antiochiæ fuiſſe, cum Armeniacum Parthicumque bellum geſturus eſſet. Nulla alia via erat exercitum ducendi. Nulla urbs aptior ad milites colligendos, iisque omnia ſuppeditanda. Unde hyberna ibi habebat Trajanus belli illius tempore. Jam, dico Trajanum anno CVII. Armeniis bellum intuliſſe. Ergo eo anno Antiochiæ fuit. Probo autem ſic.

Cum bellum inferret Armeniis, ſtatim ubi in fines hoſtium perveniſſet, ſatrapæ, regesque vicini ei ſeſe ſubmiſerunt, & cum muneribus obviam venerunt; dein cuncta cepit nullo facto prælio; dein Satala & Elegiam Armeniorum urbes profectus, Heniochorum Regem honore affecit, & Parthamaſirem regem Armeniorum punivit: Captâque Armeniâ, reges, qui deditionem fecerant in amicorum numerum recepit, cæteros absque pugnâ intercepit. Tum ei multa decreta ſunt à ſenatu, ſed in primis Optimus cognominatus eſt. Hæc Dio. Quæ ſane anni ſpatium exigunt. Ita ut ſi A. CVII. ad bellum ſe accinxerit, & æſtate ejus anni geſſerit, modo fine ejusdem anni vel initio ſequentis, titulis à ſenatu honorari potuerit. Belli Armeniaci & Parthici ordo.

Deinde (pergit Dio) Niſibin Batnasque cepit, & tunc Parthicus à ſenatu cognominatus eſt. Hoc anno ſequente geſtum omnino, nam alias in unum annum nimias expeditiones accumularemus, & deinde ſequente nihil egiſſet Trajanus, nam ſtatim poſt Niſibin Batnasque captas ſequitur terræmotus Antiochenus, qui anno CXI. contigit, de quo infra.

§. 5. Jam ſi Trajanus Parthicus jam dictus fuerit anno CXI. ſequitur eum Parthos jam certe anno CX. viciſſe, unde Armenii anno CIX. victi fuiſſent, & facile jam anno CVII. Antiochiam veniſſet Trajanus, omnia ad bellum paraturus. Sed §. 5 Quando Trajanus Parthicus dictus?

 verum

Digitized by Google

verum eſt Trajanum anno CXI. jam Parthicum dictum fuiſſe. Inſcriptio ap. Gruter. CCXLVII. 3.

Imp. Cæſ. Ner. Trajano. Aug. Germ. Dac. Parth. Pon. Max. Tr. P. XV. Coſ. VI. P. P. De. Rom. Imperio. De. Paterna. Et. Avita. Hiſp. Patria. Et. De. Omni. Homin. Gen. Meritiſſ. Populares. Provinc. Arevatum. Optimo. Princ.	In Hiſpania, in ruinis pagi Marquetiæ.

En titulum Parthici cum Tribunitiâ poteſtate XV. ſed illa concurrit cum parte ultimâ anni CXI. & primâ anni CXII. En aliam ſimilem Inſcriptionem ex Grutero CXCIX. 1.

Ex. Auctoritate. Imp. Cæſ. Divi. Nervæ. Fil. Nervæ. Trajani. Aug. Germanici. Dacici. Parthici. Pontificis. Maximi. Tribunic. Poteſt. V. Coſ. V. P. P. &c. &c.	Romæ

Ibi iterum Parthici titulus cum Trib. Pot. XV. cernitur; nam V. erratum eſt manifeſtum, ut vel ex Conſulatu addito apparet. Facta autem eſt hæc inſcriptio adhuc A. CXI. nam A. CXII. Trajanus erat conſul. VI.

Quando Armeniacus? Sed hæc nondum ſufficiunt, manifeſtius probandum eſt bellum Armeniacum ad A. CVII. pertinere. Et hoc nullo negotio fiet, ope Inſcript. ap. Gruter. MLXXXIV. 9.

Ao-

Digitized by Google

Αυτοκρατορι. Καισαρι. Θεου. Νερβα. Υιου. Νερουα. Τρα- ιανω. Σεβαςω. Αριςω. Αρμε- νικω. Δακικω. Αρχιερει. Μεγιςω. Δημαρχικης. Ε- ξουσιας. το. ια. Υπατω. το. γ. πατρι. πατριδ☉ &c.	In ruinis Lytti civitatis Cretæ.

En Trajanum jam Armeniacum cum Trib. Pot. *XI.* Concurrit autem illa cum parte anni *CVII.* & aliâ anni *CVIII.* Si ergo tunc Trajanus hoc Epitheto ornatus fuit, certe præcedenti æſtate bellum Armeniis intulerat, & deinde à Senatu titulis ornatus fuerat. Geſſit ergo bellum Armeniacum A. *CVII.* Ergo ineunte illo anno Antiochiam venit. Hæc ſupra omnem exceptionem poſita ſunt.

§. *6.* Video equidem quid Chronologos nonnullos remoretur, quo minus tam cito belli Armeniaci initium ponant. Nempe L. Licinius Sura à Trajano magnificâ ſepulturâ affectus eſt, priuſquam bellum inciperet, fuit autem Sura Conſul A. *CVII.* Nec in Magiſtratu defunctus eſt. Ergo nonniſi poſt annum *CVII.* bellum cœpit. Reſpondeo, hoc quidem de Surâ narrare Dionem: Sed multa iſthic ſupponi. Primo. Non certum eſſe, an Licinius Sura Dionis fuerit idem ille qui Conſul. Secundo. Non dicere Dionem, quod Trajanus præſens Romæ funus ordinaverit. Potuiſſe igitur Trajanum ex Armeniâ vel Parthorum regione, decreto Romam miſſo, id præſtitiſſe. Tertio. Dionem hic omnia munificentiæ Trajani exempla corradere, adeoque multa per anticipationem narrare potuiſſe. Unde potuerit Sura durante bello mori. Et ſane, quid multis? Suram, durante Bello Parthico, mortuum eſſe invicta ſuppetit demonſtratio. Nam mentio ejus, viventis adhuc, fit in Inſcriptione, ſuprà ex parte relatâ, è Grutero *CXCIX.* 1. quæ anni *CXI.* eſt, & ubi Trajanus Parthicus vocatur. Conf. Inſcript. ap. Gruter. *CCCCXXIX.* 3. & *CCCCXXX.* 5.

§. *6.* Suræ mors, quando contigerit?

5. ubi de eodem Surâ agitur. Itaque mortuus eſt Sura abſente Trajano.

Malela explicatur. Confirmat ſententiam meam Joh. Malela, quem pro Pearſonio citat Dodwellus de ſucceſſ. p. 2. & 3. Is terræmotum Antiochenum dicit poſt duos annos contigiſſe adventus Trajani. Quod quomodocunque interpreteris mihi favet. Si ſenſus ſit duos annos variis temporibus, id eſt quatuor hiemes, moratum eſſe Trajanum Antiochiæ, erunt illæ annorum *CVII. CVIII. CIX. CX.* nam anno *CX.* fuit terræmotus. Si ſenſus ſit tertium fuiſſe annum ab eo anno, quo Trajanus primum Antiochiam venit: Tunc anno *CVII.* venit, Ergo annus *CVIII.* primus, *CIX.* ſecundus, *CX.* tertius currens. Tandem ſi ſenſus ſit, quod verius & planius, duos annos continuos Antiochiæ quieviſſe Trajanum, geſto Ameniaco, & primo Parthico bellis: Tunc A. CVII. fuerit Armeniacum, Anno CVIII. Parthicum, anno CVIII. labente Antiochiam venerit Trajanus, ibique manſerit uſque CX. labentem quo terræ motus erat.

§. 7. Terræmotus Antiocheni tempus. §. 7. Sed intereſt multum ſcire, quo tandem anno iſte terræmotus fuerit. Nam & hoc mihi objici poſſet. Conſenſu enim communi hodie Chronologi id prodigium anno CXV. collocant. Si itaque A. CVII. bellum Armeniacum, A. CVIII. Parthicum fuerit, & deinde terræmotus ſequutus fuerit, Trajanus hoc modo per VII. vel VIII. integros annos nihil geſſerit, quod incredibile, nec ejus moribus congruum.

Eruitur ex Evagrio. Facile reſpondebo, Terræmotum citius contigiſſe affirmando. Evagrius cui res Antiochenæ notiſſimæ erant, dicit eum anno Antiocheno CLIX. contigiſſe. Cœpit vero annus Antiochenus CLIX. menſe Octobri anni Chriſti CX. & occupat magnam partem anni CXI. Caſſiodorus terræmotum refert ad annum XIV. Trajani, qui cum anno CXI. concurrit. Quâ in re errat paucis diebus. Nam contigit terræmotus ultimis anni CX. Trajani XIII. diebus, ut videbimus. Erroris fons vel annus Antiochenus eſt, cujus ultimam partem pro primâ ſumpſit Caſſiodorus, vel annus Tribuniciæ Poteſta-

Caſſiodo. do, cujus error notatur;

tis

Digitized by Google

tis Trajani, qui *XIV.* erat cum Imperii Trajani revera eſſet *XIII.* Interim tamen patet Auctores quibus Caſſiodorus utebatur nobiſcum convenire.

Notam longe manifeſtiſſimam habet Joh. Malela ap. Dodwellum. Is quidem terræ-motum in annum *CXV.* refert, ſed è Caracteribus à ſe ipſo allatis refellitur, & nobis invictum argumentum ſuppeditat. Ait contigiſſe terræmotum d. 13. menſis Apellæi qui Decembri reſpondet, feriâ 1. Menſes Macedonici Julianos quinque diebus præcedunt, de quo nullum amplius dubium eſt. Erat ergo Apellæi 1. Novembris 26. Ergo Apellæi 6. Dec. 1. Et Apellæi 13. Dec. 8. Fuit ergo anno illo Decembris 8va. feria prima. Igitur Littera Dominicalis ejus anni fuit F. vel GF. quod Anno *CX.* convenit, alii vero nulli, ab anno *CV.* ad annum *CXX.* Ergo anno *CX.* Dec. 8. feriâ primâ fuit terræmotus. Nil excipi poteſt, niſi nonnunquam menſes Macedonicos Julianis accommodari ſolitos fuiſſe, ut eadem die inciperent, & 13. Apellæi eſſet 13. Dec. Sed hanc Malelæ vel Auctorum potius quos ſequebatur mentem non fuiſſe apertum eſt; Etenim ſi 13. Dec. feria prima fuiſſet, tunc Litt. Dominicalis fuiſſet D. vel ED. quod modo *A. CVI.* & *CXVII.* convenit, quibus terræmotum contigiſſe impoſſibile eſt. Atque ita amplius dubitari non poteſt de genuino terræmotus illius celebratiſſimi tempore. Et notis indubiis à Malelâ ſervatis.

§. 8. Adverſus has notas objici poſſit locus Dionis, qui Pedonem Conſulem in hoc terræmotu periiſſe dicit. Fuit autem is Coſ. *A. CXV.* Jam nonnulli cogitarunt pro Pedone *Piſone* legendum eſſe, qui *A. CXI.* Coſ. fuit, quod tamen mihi non placet cum terræmotus ad *A. CX.* pertineat. At quum tot quotannis fuerint Coſſ. ſuffecti; quid obſtat aliquem eorum Pedonem hunc eſſe. Sane plures familiæ erant Pedonum, quæ ad Conſulatus honores pervenerunt. Præter *A. CXV.* Coſ. M. Vergilianum Pedonem, aliquem C. Popilium C. F. Carum, non longe ab his temporibus, offert Gr. *CCCCLVII. 6.* Tamdiu igitur, quamdiu ſtabunt argumenta mea §. §. præc. expreſſa, Dio de alio Cos. quam illo anni *CXV.*

Digitized by Google

explicandus erit, ne veritati contrarius eſſe videatur.

Alius quoque hic nodus occurrit, qui meæ ſententiæ obſtare videtur. Nimirum ratio quædam Chronologos movit, ut bellum ad *A. CXIV.* & terræmotum ad *A. CXV.* differrent, quæ talis eſt. Trajanus Imperator *VI.* dictus eſt receptâ Armeniâ. Anno demum *XVII.* Imperii ſui dictus eſt Imp. *VII.* Anno *XVIII.* Imp. *VIII.* &c. Jam Dio refert Trajanum, Niſibe Batniſque captis, Parthicum dictum eſſe. Proculdubio vero tunc etiam Imp. dictus fuerit. Ergo eæ Urbes captæ non ſunt, nec bellum Parthicum cœptum ante *A. XVII.* Trajani, Chriſti *CXIV.*

Reſpondeo, fieri quidem poſſe, Imp. dictus fuerit ſimul quum Parthicus, fieri vero poſſe quoque, non id factum ſit. Ex Conjecturis autem, adverſus monumenta certiſſima quæ attuli, pugnare, abſonum eſt. Imo quum Dio, qui ſedulo notat Trajanum captâ Cteſiphonte Imp. dictum; Captâ Niſibe eum Parthicum vocatum, tantum referat, de Imp. titulo ſileat, potius inde concludo titulum Imp. eâ occaſione multiplicatum haud fuiſſe. Tandem nodum omnem ſolvunt Lapides, qui Parthicum Trajanum vocant jam *A. XIV.* Trib. Pot. *XV.* ut ſuprà §. 5. vidimus; Et qui tamen eo, & ſequentibus annis eum ſolum Imp. *VI.* appellant. Adeo ut pateat Trajanum Armeniâ Captâ Imp. *VI.* vocatum, Niſibe occupatâ Parthicum, at non Imp. *VII.*

§. 9. Sed quid multis hic immoror? Nimium ſane à propoſito hujus operis digrederer, ſi vellem adhuc prolixe expendere quæ magno conatu collegere Lloyd, Fabrettus & Pagius, probaturi Trajanum ante *A. CXII.* in Orientem profectum non eſſe, nec terræmotum Antiochenum ante *A. CXV.* contigiſſe. Sufficit rationes meas ſupra omnem exceptionem poſitas eſſe. Miſera ſane conditio eſt adverſariorum, qui ut ſe objectionibus extricent, audacter pronunciant Auctores ſibi contrarios mendoſos eſſe, Inſcriptiones ſuppoſitas, &c. Iſta autem cuncta nullo prolato indicio. Si quid pro ſe afferunt, negativa mere ſunt Argumenta, quæ affirmativis meis cedunt. Eſto titulum

Digitized by Google

titulum Parthici in nummis Trajano non dari ante *A. CXIII.* Ad hoc reſpondeant omnes periti ipſeque Pagius ad *A. CV.* n. 2. qui norunt titulos Impp. datos, ſæpe per multos annos, in nummis & Inſcriptionibus non apparere. Eſto Trajanum Romæ fuiſſe, cum Plinius in Bithynia foret: Sed ipſe Pagius a. CII. n. 8. in medio relinquit, quo anno hoc fuerit, parvique ſunt momenti indicia quibus utitur, Eſto Hadrianum *A. CXII.* Archontem Athenis creatum fuiſſe. Sed quomodo certo inde concludas Trajanum tunc Athenis tranſiiſſe? Concedo Dionem inter ea, quæ Trajani Iter Orientale præceſſerint, de Columnâ agere in ejus honorem *A. CXIII.* erectâ. At Pagius ipſe agnoſcit Trajanum profectum eſſe priusquam erigeretur. Dio enim illic omnia colligit geſta Trajani ad Urbem pertinentia, ſeu præſens peregerit, ſeu abſentis juſſu facta ſint. Unde inter ea mortem Suræ, & ſepulturam collocat, quam abſente Trajano contigiſſe oſtendi. Tandem nondum probatum eſt Trajanum anno demum *CVIII.* è Daciâ rediiſſe. Pagius ipſe hæſitat an *A. CVII. A. CVIII.* Et Si *A. CVII.* tunc facile eodem anno in Orientem abire potuit. Tam levia ſunt adverſariorum argumenta! Quæ ſi aliquando liceat, fuſius libenter expendam, & res Trajani mire turbatas reſtituere conabor. Mihi hæc dixiſſe nunc ſufficiat, ad vindicandum Ignatii emortualem annum.

Quod ſi vero adhuc unum addere opus ſit, quid unquam adverſarii opponere poterunt nummorum teſtimoniis diſertis pro me facientibus? Videas & alibi & ap. Mediob. p. 157. nummos Trajani, ubi ejus Coſ. V. notatur, unde eos ante *A. CXII.* cuſos ſequitur, in quorum averſâ parte, pontem flumini impoſitum cum Epigraphe *VIRTUS AUGUSTI TIGRIS* vel flumen cum voce *TIGRIS* videas. Quæ manifeſto ad celebrem illum pontem Tigridi à Trajano impoſitum reſpiciunt. At hoc factum poſt terræmotum. Igitur cum nummi illi *A. CXI.* non ſerius cuſi ſint, terræmotus *A. CX.* poſterior non eſt. Iterum, ſeries geſtorum Trajani docent eum Tigridem trajeciſſe non niſi *III.* vel *IV.* annis, poſt primi belli Parthici

Digitized by Google

initia. Ergo recte bellum Parthicum *A. CVIII.* Armeniacum *A. CXII.* collocavi.

§. 10. Verus mortis Ignatii annus.

§. 10. Nulla eſt igitur ratio, cur erroris inſimulentur Acta Ignatii, eaque ſequuti antiqui, & cur Ignatii Martyrium infra annum *CXII.* detrudatur. Etenim eo anno Trajanum Antiochiæ fuiſſe probatum eſt. Nec ſerius poteſt ullo modo id referri. Nam à terræmotûs tempore Trajanus Antiochiam non rediit, niſi *A. CXVII.* quo Romam ire voluit, ſed in itinere morte correptus eſt. Jam autem *A. CXV.* vel citius perſequutio ceſſaverat in Syria, ob relationem Tiberiani Syriæ præſidis, de quâ re Suidas. Et neſcio quomodo potuerit Pearſonius Ignatium *A. CXV.* paſſum credere, adeoque poſt terræmotum, ex propriâ etiam ſuâ Chronologiâ; Etenim mirum foret, in Epiſtolis Martyris de tantâ Calamitate mentionem nullam fieri. Præterea Acta Ignatii ab iis ſcripta ſunt, qui cum ipſo Romæ fuerant, & deinde ſtatim fratribus miſſa. Additum vero habent tempus, quo omnia geſta ſunt, annum ſc. 107. unde ſequitur edita eſſe *A. CVIII.* Mirum ergo iterum foret, relationem Martyrii Ignatii octo annis prius prodiiſſe quam moreretur. Sed ſatis his rebus immoratum eſt. Conſtat itaque Ignatium *A. CVII.* labente paſſum, & tunc aliquot menſium tempore vacaviſſe Sedem Romanam.

Epiſcopus ergo factus eſt Sixtus, cujus in gratiam cuncta hæc diximus, anno *XCVII.* ineunte, Nervâ *III.* & Ruſo *III.* Coſſ. & ſedit uſque ad initium *A. CVII.* C. Soſio Senecione *IV.* & L. Licinio Surâ *III.* Coſſ. Tempus totum, anni *X.*

§. 11. Anni Teleſphori.

§. 11. Sequitur Teleſphorus, cui tribuunt,
Catalogus Liberianus, annos *XI.* ſic quoque Liber Pontificalis.

Juſtinianæus	*A. XI.*	
Sub litt. B.	*A. II.*	
Sub litt. C.	*A. XI.*	

Sub

Sub litt. E.	*A. XXI.*
Sub litt. F.	*A. XI.*
Sub litt. G.	*A. XI.*
Orientales,	
Euſebii,	*A. XI.*
Nicephori	*A. X.*
Syncelli	*A. X.*
Eutychii	*A. XI.*

Ex hiſce Catalogis removendus eſt ſtatim is ſub litt. B. qui annos *II.* & ſub litt. E. qui *XXI.* habet, errore aperto. Tribuendi ergo ſunt Teleſphoro anni *X.* aut *XI.* id eſt, *X.* completi & fere *XI.* qui deſinent adeoque in *A. CXVIII.* cum Hadrianus inciperet Romæ imperare.

Et iſthic iterum Chronologiæ noſtræ cum notis Hiſtoricis convenit. Nam ex Irenæo conſtat Teleſphorum Martyrem fuiſſe. Ultimis autem Trajani annis pacem Eccleſiæ redditam eſſe notum eſt, permoto ſc. Imperatore Plinii & Tiberiani Litteris. Hadrianum autem Initio Imperii in Chriſtianos ſæviiſſe nemo ignorat, brevi tamen Ariſtidis & Quadrati apologiis, & Serenii litteris mutatum. Unde egregie Teleſphori ſupplicium in ipſum primum annum Hadriani incurrit, quo acerrime puniebantur Chriſtiani, Romæ præcipue, ſub Imperatoris oculis. Ejus martyrium.

Fuit igitur Epiſcopus Teleſphorus ab *A. CVIII.* incipiente, Ap. Annio Treboniano Gallo, & M. Atilio Metilio Braduâ Coſſ. uſque ad *A. CXVIII.* & Imp. Hadriano *II.* Fuſco Salinatore Coſſ. Annis fere *XI.*

§. 12. Tandem ſequitur Hyginus in cujus annorum numero enormem in modum Catalogi differunt, ab unico Liberiano. Tribuunt enim, §. 12. Anni Hygini.

Catalogus Liberianus,	A. *XII.*
Catalogus Juſtinianæus,	A. *IV.*
Catalogi ſub litt. B. C. E. F. G.	A. *IV.*

Digitized by Google

Liber Pontificalis,	A. *IV.*
Orientales,	
Euſebius	A. *IV.*
Nicephorus	A. *IV.*
Syncellus	A. *IV.*
Eutychius	A. *IV.*

Error Catalogi Liberiani, unde? Ineptum foret etiam momentum dubitare uter numerus eligendus ſit, adeo Auctoritate & Hiſtoriâ de *IV.* annis conſtat. Sed quæri poſſit, unde XII. anni in catalogum antiquiſſimum irrepſerint? Id facile determinari poteſt. Primus auctor ex quo Catalogus Latinus deſumptus eſt, ſic ſcripſerat, *Hyginus ſedit annos* IV. *Anicetus ſedit annos* XII. Sed caſu tranſpoſitio facta eſt. Ita Hygino XII. anni tribuebantur, qui Aniceto dandi erant. Et deinde conſules additi ſunt quales falſæ huic ſuppoſitioni conveniebant. Hoc eo modo contigiſſe nemo dubitabit, cum hodie revera in illo catalogo non ſolum Hygino XII. anni tribuantur, ſed & Aniceto IV. dentur, qui revera Hygino competebant. Deeſt quidem in Catalogo numerus annorum Aniceti, ſed ex Conſulatibus qui ſuperſunt, liquet quadriennium ei datum eſſe. Sic ſumma annorum Hygini & Aniceti in catalogis omnibus eadem eſt, nempe XVI. annorum. Horum IV. erant Hygini, XII. Aniceti, ſed in Liberiano catalogo XII. dantur Hygino, IV. Aniceto. Manifeſtâ ſane tranſpoſitione.

Sedit ergo Hyginus ab A. CXVIII. Hadriano II. & Salinatore Coſſ. Uſque ad A. CXXI. vel CXXII. ineuntem, Acilio Avolâ, & Corellio Panſâ Coſſ. annis IV.

Indicia Hiſtorica clariſſima quibus firmantur hæ Epochæ, capita ſequentia ſuppeditabunt.

Cap.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De præcipuis Epochis vitæ Juſtini Martyrii, aliiſque eum ſpectantibus.

ARGUMENTUM.

Nexus hujus Cap. cum hoc opere. §. 1. *Apologia Juſtini minor ſub Antonino Pio ſcripta.* §. 2. *Urbicus, Præfectus non Urbi ſed Prætorio*, §. 3. *Urbicus quis? & quando Præfectus?* §. 4. *Idem ex Apulejo inveſtigatur.* §. 5. *Major Apologia quando ſcripta? obiter de ætate Lucii Veri Imperatoris.* §. 6. *Quis verus Apologiarum ordo? Sententia communis convellitur.* §. 7. *Juſtini mors ſub Ruſtico. Annus ejus conjicitur.* §. 8.

§. 1.

Ecce tempus ubi tenebris prioribus diſpulſis, nova lux affulget & Chronologiam noſtram confirmatura adeſt. Hygini Epiſcopatus Epocha eſt celeberrima, quâ Hæreſes pleræque Eccleſiam Chriſtianam diſcindere cœperunt. Ad hæc tempora Valentinianorum, Cerdonianorum, Marcionitarum, aliorumque, initia referuntur. Quæ ſi probe expendantur & ad oculum demonſtrentur, dubium nullum amplius ſupereſſe poterit. Cum enim detur tempus, quo orti ſunt Hæretici, & Epiſcopus Romanus, ſub quo orti ſunt: Dabitur niſi fallor, Epocha tutiſſima alligandorum Epiſcoporum Romanorum ad annos æræ noſtræ. Jam aliquid hâc in re præ cæteris præſtitit Cel. Pearſonius, præcipue in Marcionitarum, & Montaniſtarum ſectis, quas citius incœpiſſe, ac quidem vulgo credebatur, oſtendit. Sed pauca, eaque non ſemper firma ſatis, attuliſſe viſus eſt, unde totum opus de novo incipere decrevi, & quotquot potui viis, indicia certiſſima coacervare, quibus quæſtio-

§. 1. Neceſſitas hujus diſquiſitio-nis.

Digitized by Google

ſtio hæc ſolveretur. Hoc autem non ſine multis digreſſionibus fieri poteſt. Quas Lector æqui bonique conſulat rogo, præcipue cum in ſe magni momenti diſcuſſiones contineant. Si quem tamen ejus pœniteat, per me licet, ſtatim ad Cap. ſeq. tranſeat, & digreſſiones deinde otioſe legat.

Primo, ſumme neceſſarium eſt, Juſtini Martyris Hiſtoriam, quoad præcipua Capita, excutere, quæ nobis præcipuum fere indicium originis Hæreſium ſuppeditabit. Quod eo lubentius facio extendoque, quia & alias id nobis uſui erit, & in ſpecie ubi arduam quæſtionem de anno Martyrii Polycarpi ſolvere oportebit.

Tres Epochæ præcipuæ hic excutiendæ ſunt. Prima, Tempus Apologiæ primæ Juſtino Martyri ſcriptæ. Secunda, Tempus Apologiæ ſecundæ. Tertia, Tempus martyrii Juſtini. Operæ pretium autem duxi à ſecundâ incipere, utpote quæ baſεως inſtar reliquis eſſe debeat.

§. 2. Apologia Juſtini minor.

§. 2. Apologia Juſtini minor ſecunda dupliciter intelligi poteſt, ordine temporis, minor eſſe ſecunda creditur, ordine editionum vulgatarum, major ſecundo loco eſt. De primo ſenſu hic agitur, adeoque de illâ Apologiâ minore, quæ Imperatori inſcripta non eſt, & hiſtoriam Martyrum ſub Urbico continet, atque in libris prima eſt.

Sub Antonino Pio ſcripta.

Statim pono Apologiam hanc Imperante Antonino Pio ſcriptam eſſe. Nam Urbici Præfecti ſeveritas, proxima ejus offerendæ occaſio fuit. Et brevi poſt iniquam Urbici ſententiam Juſtinum apud Senatum queſtum eſſe, ex eo patet quod à fronte Apologiæ *Heri nudiusque tertius* χθὲς ϰ̀ πρώην factam hanc perſequutionem dicat. At vero Urbici hiſtoria ſub Antonino Pio contigit; Id facile patet ex dicto Lucii ad Urbicum, *Hæc quæ agis nec Pio imperatore, nec Philoſopho, Cæſaris filio digna ſunt.* ὐ πρέποντα ἐυσεβεῖς αὐτοκράτορι ὐδὲ φιλοσόφυ Καίσαρ☉ παιδὶ ... κρίνεις. Lege ut ſenſus aliquis ſit ὐ πρέποντα ἐυσεβεῖ αὐτοκράτορι, ὐδὲ φιλοσόφῳ Καίσαρ☉ παιδὶ ... κρίνεις. Sic legit Euſeb. L. IV, Cap. XVII. Ut mirum ſit dari, qui Apo-

Apologiam hanc M. Philoſopho, & Vero oblatam ſtatuant, quos ſic refuto.

1.) Solent illi verba citata de Vero intelligere, atque legunt εὐσεβοῦς αὐτοκράτορος, ut Verus ibi Pii & Philoſophi Imperatorum filius vocetur. Quæ mutatio nimium audax eſt. Mea enim & facilis eſt, & (quod præcipuum) Euſebii auctoritate nititur, ſic legentis.

2.) Juxta hanc interpretationem, nonniſi Veri mentio fit in his verbis, Philoſophi vero nulla, qui tamen præcipuus Imperator erat, atque ſapientiſſimus. Dixiſſet ſane Lucius Urbicum indigna Philoſopho & Vero facere. Nam quod indicium ſapientiæ Verus dedit, ut ſolus hic nominetur?

3.) Ajunt quidem notari hic factum Veri, nec Pio avo nec Philoſopho Patre dignum. At nullum eſt hic Veri factum. De Urbici facto agitur, & ad eum verba fiunt, Veri nullæ hic partes, niſi quatenus Imperator cum foret, talia tamen iniqua judicia toleraret. Sed hoc Philoſopho perinde conveniebat, imo magis multo, ſolus enim fere Rempublicam curabat, Vero vel abſente, vel negotia ſeria refugiente.

4.) Alii hæc abſurda vitaturi reddunt, *Non facis Pio Imperatore, nec Philoſophi Cæſaris filio digna*, ut Pius hic ſit ipſe Marcus; Philoſophi filius Verus. Sed Marcus nunquam Pius dictus eſt, niſi quatenus is titulus omnibus Impp. dabatur. Cur ergo, proprio Marci titulo neglecto, minus proprium ei Juſtinus dediſſet? objicit vir ſummus Pagius ad A. 162. n. 3. nonnulla M. Aurelii facta *Antonino Pio* tribui, v. g. à Themiſtio pluviam miraculoſam in bello Marcomannico. Sed apertum eſt illos Auctores ſequiores imperitioreſque duos Antoninos confudiſſe, quod nunquam in συγχρόνοις doctioribusque videas. Addit Pagius ſæpe Marcum in nummis, & inſcriptionibus Pium vocari. Sane quo ſenſu omnes Impp. Pii dicebantur. Sed Juſtino ad proprium Marci titulum alludendum erat, præcipue cum apprime ſcopo ſuo conveniret. Idcirco videas eum in Apologiâ Majore continuo ad Philoſophi nomen reſpicere, & inde Marcum urgere. Poſtea quam inepte

hic Juſtinus loqueretur, in eadem Phraſi eundem Imperatorem, Pium & Philoſophum ſeparatim vocare, & quaſi dividere.

5.) L. Verus M. Philoſophi non filius erat, ut hæ interpretationes ſupponebant, ſed ex adoptione frater. Excipit Pagius l. c. Verum hic non Philoſophi Cæſaris Marci filium dici, ſed abſolute, Cæſaris filium nempe L. Ælii patris ſui. Mirum inventum! Cæſaris nomen abſolute poſitum, non poteſt ſignificare niſi Cæſarem nunc viventem, non vero aliquem defunctum arbitrarie intelligendum. Nec obſtat locus Capitolini in Vero ad fin. ubi Cæſaris perſona ita determinatur, ut nulla ſubſit ambiguitas. Verba ſunt, *mortuoque Lucio Cæſare illatum ejus corpus eſt Hadriani ſepulcro, in quo & Cæſar pater ejus naturalis ſepultus erat.* Quis non videt quantum hæ phraſes differant *Cæſar Pater Lucii* & *Lucius filius Cæſaris!*

6.) Manifeſta in verbis Juſtini eſt ſubordinatio. Alter Imperator abſolute vocatur, alter Cæſaris filius. Sed Marcus & Lucius erant æquali dignitate præditi.

7.) Juſtinus, non longe ab initio, mulierem illam Chriſtianam Imperatori obtuliſſe libellum dicit, σοὶ τῷ αὐτοκράτορι. Cur non ὑμῖν τοῖς αὐτοκράτορσι? Scilicet unus tunc Imperator ſummus erat, Ergo ſub Pio hæc ſcribebantur. Ait Pagius ſæpe, duo licet fuerint Impp. unius tantum mentionem factam eſſe in occaſionibus publicis. Sane, ubi negotium ad unum tantum ſpectabat, non alias. Polycarpi exemplum ἀπροσδιόνυσον eſt, æque ac Martyrum Lugdunenſium. Nondum enim conſtat quo anno Martyria hæc contigerint, & infra probabiliter oſtendetur, uno Imperatore regnante contigiſſe. Addit Pagius nummos, qui, imperantibus Marco & Vero, unius tantum Auguſti mentionem faciunt. Sed diſpar eſt ratio. Ubi in Veri nummo PAX AUG. legitur, de facto peculiari Veri agitur, qui Pacem cum Parthis fecerit. Quæ licet utrique communis fuerit, cum tamen Vero deberetur, ipſi ſoli aliquoties tribui poterat, in ejus honorem. Deinde non deſunt rationes, quæ ſuadent PAX AUG. reddi debere *Pax Auguſta* non *Pax Auguſti.*

Digitized by Google

guſti. Tandem dantur exempla vocem AUG. & ſimiles abbreviatas, in plurali interpretandas eſſe, licet duplicatio ultimæ litteræ (v. g. AUGG.) neglecta fuerit. Sed inutile eſt his immorari.

Nihil itaque opponi poteſt meæ ſententiæ, niſi Euſebii auctoritas, quem Antoninos duos tamen ſæpe confudiſſe conſtat. Et cur non confudiſſet, cum ſuo tempore Maximinum & Maximianum confundat? Sane errare Euſebium certiſſimum eſt, cum verba Juſtini prout ab eo leguntur, ut ſuprà retulimus, ad Verum pertinere non poſſint. Igitur conſtat Pio oblatam eſſe iſtam Apologiam.

§. 3. Nihil aptius ad hunc noſtrum ſcopum erit, quam ſi tempus inveſtigemus, quo Urbicus ille Præfectus fuit, ſub quo cuncta contigerunt de quibus queritur Juſtinus. Et primo videndum qualis Præfectus fuerit? Ad unum omnes eum Urbi Præfectum fuiſſe credunt. Sed id falſum eſſe multa ſunt quæ mihi demonſtrant, quæ huc referam. §. 3. Urbicus Præfectus fuit non Urbi ſed Prætorio.

Primo: Urbicus apud Juſtinum de Chriſtianis tanquam talibus cognoſcit. Sed Præfectus urbi cognitionem collegiorum illicitorum nonniſi Severi tempore obtinuit. Severum enim id officium maximum in modum ampliaſſe notum eſt, & ex toto tit. ff. *de officio Præfecti urbis*, liquet. Et hoc Privilegium in ſpecie tunc Præfectis urbis tributum eſſe, teſtis eſt mihi Ulpianus, qui, *Divus Severus reſcripſit*, inquit, *eos etiam, qui illicitum collegium coiſſe dicuntur, apud præfectum urbis accuſandos.* l. 1. §. 14. ff. de Off. Præt. Urb. Chriſtiana vero Eccleſia inter collegia illicita pertinebat, adeoque nonniſi à Severi temporibus, id eſt, ineunte Sæc. *III.* à Præfecto urbis judicati poterat.

Secundo: Urbicus Juſtini Chriſtianos ad mortem damnabat. Id vero juris urbis Præfecto nequidem poſt Divi Severi reſcriptum, competebat. Nam in Tit. ff. ſæpe citato, λειτουργιῶν omnia Præfecti jura recenſentur, ſed nulla alia puniendi poteſtas ei tribuitur quam non capitalis. *Relegandi, deportandique in inſulam, quam Imperator adſignaverit, licentiam habet.*

N 2 De

Digitized by Google

De mortis ſupplicio altum ſilentium. Imo deportandi jus ei modo à Severo conceſſum, l. 1. §. 4. ff. de Legatis 3.

Tertio: Ptolemæus ab Urbico contra omne jus ſupplicio addictus, & Lucius qui id graviter Urbico exprobrat, ad Imperatorem non appellant, quod ſane, ſi potuiſſent, feciſſent cum Romæ eſſent, nec Imperator iniquus Chriſtianis crederetur, &c. A Præfecto autem urbis appellari poterat *l.* 38. *pr. D. de Min. l.* 122. §. 5. *D. de Verb. oblig. l.* 23. *C. Theod. de Adpell.* Non à Præfecto Prætorio, *l. un. C. de Sent. Præf. l.* 19. *C. de Appell.* quod aſſerit quoque, ſed deinde mutatum (nempe poſt Conſtantini tempora ut ex ll. citt. patet) dicit Chariſius l. un. §. 1. D. de Off. Præf. Præt.

Non igitur Præfecto urbis conveniunt, quæ Urbico ſuo tribuit Juſtinus. Quod cum ita ſit, omnino Præfectus Prætorio fuit ille Urbicus. Et ſane quæcunque hactenus recenſita, & Præf. urbis non convenire dicta ſunt, cuncta Præf. Prætorio conveniunt, quem notum eſt illimitatam auctoritatem habuiſſe, & vice Imperatoris omnia egiſſe. Utpote cum Imperator tanquam Dictator haberetur, Præfectus Prætorio tanquam Magiſter Equitum, teſte Chariſio l. un. pr. D. de Off. Pr. Præt. Unde ne longius abeam, in hoc ipſo tractatu, ſævitiarum & ſummæ auctoritatis Tigellini mentionem fecimus, ſub quo Apoſtoli paſſi ſunt. Inde factum, ut Imperatores ipſi hoſce Præfectos timerent, ideoque nonnunquam eorum poteſtatem in duos dividerent, quod inter alios de Severo teſtantur Hiſtorici, necato quem timebat Plautiano. Nec dubito, non aliam ob rationem Præfectorum urbis auctoritatem ampliaſſe Severum: Adeo ut iis quædam Præfectis Prætorio detracta tribuerit, vel certe Juriſdictionem in quibusdam concurrentem dederit. Quod ἐν παρέδῳ dixi.

§. 4. Urbicus quando Prætorio Præfectus.

§. 4. Hactenus de Officio Urbici, jam de Perſonâ. Fuerunt qui Urbici nomen in Juſtino non proprium ſed appellativum crediderunt, quia Præfectus Urbis etiam Urbicus Præfectus dicebatur. Sed ne dicam hujus exempla præter unum aut alterum non dari, nec id in Græco ſermone fieri potuiſſe; ſufficit

Digitized by Google

ſufficit Urbicum non Urbi ſed Prætorio Præfectum fuiſſe. Fuit itaque Urbici nomen proprium. Mentionem autem Urbici ſub Antonino Pio facit Jul. Capitolinus cap. 3. *Nam & Britannos per Lollium Urbicum legatum vicit.* Et hunc ipſum Lollium Urbicum Præfecturam urbis geſſiſſe Lapis teſtatur apud Gruterum XXXVI. 13. Inveſtigatur ex Jul. Capitolino.

Apollini
Q. Lollius
Urbicus
Præ. Urb.

Unde non mirum eum etiam Prætorio deinde præfectum eſſe. Duplicem autem habeo viam penitius tempus inveſtigandi. Primam ſuppeditat Julius Capitolinus, qui in vitâ Antonini Pii Præfectos Prætorio, qui ſub eo fuerunt, nominat, his omnino verbis, *Succeſſorem viventi bono judici nulli dedit, niſi Orphito præfecto Urbi, ſed petenti. Nam Gavius Maximus præfectus prætorii uſque ad XX. annum ſub eo pervenit, vir ſeveriſſimus, cui Tattius Maximus ſucceſſit. In cujus demortui locum duos præfectos ſubſtituit, Fabium Repentinum & Cornelium Victorinum.* Urbicus ergo poſt hos omnes Præfecturam geſſit vel Repentino vel Victorino mortuo. Non enim dici poteſt Collegam eum fuiſſe Gavii vel Tattii, ſæpe enim duo Præfecti erant. Solos enim illos fuiſſe manifeſto indicat Capitolinus, & ubi duo fuerunt Tattio ſubſtituti, diſerte monet.

Adminiſtravit itaque Gavius Præfecturam ſub Antonino Pio XX. annis. Imperare autem cœpit Antoninus A. CXXXVIII. medio. Unde deſinunt XX. anni A. CLVIII. medio. Et idem ex aliis monumentis egregie firmatur. Nam circa A. CXXXVII. Præfecturam gerebat Oppius, ut teſtatur vetus Lapis apud Gruter. CCCCXLV. 10. Inſcriptionibusque firmatur.

C. Oppio. C. F. veL
Baſſo. P. C.

N 3 Pr.

Pr. Auxim. 7. Leg.
IIII. Fl. fel. evoc. Aug.
Ab. actis. fori. Pr. Pr. &c.

Et ex latere ejuſdem inſcriptionis

Poſita. VI. I. Jul.
L. Ælio. Cæſare. II.
P. Cælio. Balbino. Coſ.

Id eſt A. CXXXVII. Secundo: Poſt A. CXL. Præfectum fuiſſe Gavium alius Lapis oſtendit CCLVIII. 8. Tertio: Eum adhuc A. CLVI. id muneris habuiſſe, inde patet quod Tattius Maximus ejus ſucceſſor eo anno Prætor fuerit. Lapis alius CXXVIII. 5.

M. Cejonio. Sylvano. C. Serio. Augurino. Coſ.
C. Tattio. Maximo. Pr. T. Flavio. Anterotiano. S. pr. &c.

Conſules hos enim in faſtis non exſtantes, recte Eruditi anno CLVI. reſtituerunt, olim ibi extantibus Plautio Sylvano, qui procul dubio M. Cejonius Plautius Sylvanus dicebatur, & Sentio Augurino, qui *Serius* vel recte vel per errorem in lapide vocatur.

Itaque ſucceſſit Gavio in Præfectura C. Tattius Maximus, circa A. CLVIII. vel CLVII. labentem, cum Gavius ad vigeſimum Præfecturæ annum perveniſſet. Et videtur Tattius ultra annuum ſpatium Prætorio non præfuiſſe. Quo mortuo A. CLVIII. ſucceſſerunt Cornelius & Fabius, qui procul dubio per annum unum munus hoc adminiſtrarunt, ut plerumque fieri ſolebat, unde Capitolinus eos officio immortuos eſſe non adſerit. Itaque A. CLIX. labente, vel CLX. ineunte Urbicus Præfecturam ſortitus erit. Quod inveſtigandum erat.

§. 5. Et Apuleji teſtimonio.

§. 5. Alia via Urbici tempus nanciſcendi in Apuleji Madaurenſis ſcriptis exſtat, & quidem in ejus Apologiâ, ubi Sicinius Æmilianus teſtamentum quoddam impugnaſſe dicitur, ſed à Lollio Urbico. V. C. repulſus eſſe. Hoc non diu antea con-

Digitized by Google

contigit quam Apologiam ſcriberet, nam poſt nuptias Pudentillæ factum eſt, quæ recentiſſimæ adhuc erant cum ſe Apulejus defenderet. De his conſtat.

Secundo: ſcripta eſt illa Apologia ſub Pio Imperatore, quod tum ætas Apuleji ſuadet, tum manifeſto ipſe teſtatur, cum ſe *ante has Imperatoris Pii ſtatuas* perorare dicit, pag. 327.

Tertio: Urbicus, cum hæc Apologia diceretur vel paulo ante, Præfectus erat Prætorio. Id ſic probo. Æmilianus, apud eum Urbicum, avunculi ſui teſtamentum oppugnabat, *tantâ quidem pertinaciâ, ut cum Lollius Urbicus V. C. ... pronuntiaſſet, contrà clariſſimâ voce juraverit ... illud teſtamentum fictum eſſe, ut ægre Lollius Urbicus ab ejus pernicie temperarit.* Adeo obſtinatus Actor dubitaſſetne ab Urbici ſententiâ appellare, ſi vel minimus locus adpellationi fuiſſet? Sed nempe Prætorio Præfectus erat Urbicus; adeoque ab eo provocari non poterat. Id ulterius probatur ex eo quod Apulejus Urbicum, *de Conſilio Conſularium virorum*, pronunciaſſe dicat.

Quarto: Quo Antonini Pii anno hæc geſta ſint, ex Apuleji ætate apparere poteſt. Nam non Plutarchi modo ſed & Sexti mentionem facit, & ſe ab iis maternam originem ducere ait. Si ponamus matrem ejus Sexti filiam eſſe, tunc ſic ætatem ejus inveſtigabimus. Sextus Præceptor fuit M. Aurelii circa A. CXL. adhuc florentis ætatis omnino, nam Plutarchus ejus avus tunc adhuc in vivis erat. Ponamus Sextum XL. annos tunc natum fuiſſe, quod tamen nimium eſſe metuo; certe in defectu non peccat, natus fuerit circa A. C. Ergo potuerit filiam habere ante A. CXX. ex quâ natus erit Apulejus circa *A. CXXXV.* unde peroraverit circa *A. CLX.*, annos natus *XXV.* adhuc Juvenis ut ipſe teſtatur, ſed jam tamen Clarus, & qui jam à triennii ſpatio (vid. pag. 310. Apol.) ex itinere Athenienſi aliiſque redux erat, quibus diu immoratus fuerat, & in quibus multa jam ſcripta ediderat, &c. Hæc multis aliis rationibus comprobari poſſent. Sufficiat autem hoc, ex quo plus ſatis patet, nullo modo potuiſſe Apulejum ante ultimum circiter Antonini Pii annum Apologiam ſuam facere.

Unde

Digitized by Google

Unde ſequitur Urbicum Præf. Prætorio circa extrema Pii tempora fuiſſe, quod alio modo ſuprà detexeramus.

Cæterum non credo revera Apulejum è Plutarchi, & Sexti gente fuiſſe. Id enim ſub Lucii perſonâ in fabuloſo Metamorphoſeων opere dicit. Sed id tamen inde ſequitur, eam fuiſſe ætatis Apuleji rationem, ut hæc ei potuerint tribui, quæ in eâ fabulâ tribuuntur, & ut de Sexti poſteris loqui potuerit.

Non igitur amplius latere poteſt, quo tempore ſecunda Juſtini Martyris Apologia ſcripta ſit, nempe *A. CLIX.*, Antonini Pii penultimo, vel *CLV.* Figendum jam primæ Apologiæ tempus.

§. 6. Major Apologia.

§. 6. Prima Apologia ordine temporis, Librorum impreſſorum autem ratione ſecunda, Imperatori Antonino Pio, & M. Aurelio & L. Vero Cæſaribus nuncupata eſt, unde dubium hac de re eſſe non poteſt. Sed quæritur præcipue, quo tandem Antonini anno edita ſit. Videtur omnino nota intrinſeca indubia in ipſâ Apologiâ reperiri, ubi Juſtinus aſſerit ſe CL. annis poſt Chriſtum ſcribere, pag. 83. Sed non ſine magnis difficultatibus adhiberi poteſt hæc nota. Nam Patres parum accurati plerumque Chronologi, rotundum numerum etiam multis annis à vero diſtantem ſumebant. Nec inter eos ipſos conſtabat de vero nati Chriſti anno. Imo apertum eſt hic errare Juſtinum, qui Chriſti nativitatem ſub Cyrenio collocet, & inde à Cyrenio CL. annos numeret. Prius falſum eſſe hodie conſtat, poſterius non minus falſum eſt. Nam Quirinus in Judæam circa Ær. vulg. *VII.* venit, unde Apologia poſt *A. CLVII.* ſcripta eſſet, quod tamen falſum eſt. Hæc ſunt quæ adverſus iſtam notam objiciuntur.

Circa A. CLVII. ſcripta,

Quæ nota defenditur.

Inde factum, ut Chronologi varias notas undique diſquirerent, quibus Apologiæ hujus tempus determinarent, licet tam exiguo ſucceſſu id præſtiterint, ut nullam adhuc protulerint alicujus ponderis. Et præcipuæ quas allegaverint, Euſebii quodam loco, vel aliâ deteriori auctoritate nitantur. Quam in-

Digitized by Google

inſide autem in Antoninorum & ipſius Juſtini rebus, ſe geſſerit Euſebius, jam ſatis notum eſt.

Non itaque video quamobrem rejecta fuerit aperta illa nota, quam Juſtinum ipſum ſuppeditare vidimus. Nam 1.) Verum quidem eſt numerum rotundum ſæpe pro alio ſumi, ſed diſcrepantia magna eſſe non poteſt, niſi ubi Centenarii adhibentur, non ubi denarii ut hoc loco. 2.) Juſtinus indicat ſupra CL. annos eſſe, à nativitate Chriſti πρὸ ἐτῶν ἑκατὸν πεντήκοντα. Unde de numero CL. annorum conſtat, quid vero temporis ſuprà effluxerit incertum eſſe poteſt, ſed nos aliunde determinabimus. 3.) Eſto, erraverit Juſtinus in aſſignanda Chriſti nativitate ad Cyrenii tempus. Dubia enim & difficilis res eſt, hic veram ſententiam reperire, pronumque erat in errorem labi. Sed facile erat Juſtino tempus à Cyrenio ad ſe uſque colligere. Et de hoc unice agitur. 4.) Quâ ratione vel auctoritate dicitur, tam ſero Apologiam hanc ſcribi non potuiſſe? Quænam in contrarium ſuppetit nota?

Imo ego potius indicia afferam, quæ ſententiam meam ſtabilitura ſunt. Primo, tempus Apologiæ ſecundæ id ſuadet. Nam in ſecundâ perſequitur Imperatorem orare, ne ſæve nimium erga Chriſtianos agat. Idem in primâ fecerat, ſed quæ effectu caruerat. Unde vix credibile, eum multos annos moratum eſſe, donec urgeret ſecundo, & de Imperatoris ſilentio quereretur. Probabile autem eſt, cum Apologiam ſuam primam tradidiſſet, & annuo ſpacio elapſo eam inutilem fuiſſe vidiſſet, tunc eum ſtatim querelas repetiiſſe.

Secundo, Abſurdiſſime tempus Apologiæ primæ retrahitur, Lucii Veri ætas. ad A. CXLII. in quem eam cuncti collocant, & in quem collocanda eſt, niſi ſententiam noſtram ſequaris. Nam, & in titulo Lucium Cæſarem Philoſophum eruditionisque amantem vocat, & ubique in Apologiâ, cum Antonino Pio & M. Aurelio, communibus laudibus mactat. Jam L. Verus natus eſt A. CXXXI circiter. Fuiſſet itaque undecennis puer cum Juſtinus eum tot elogiis mactaret. Ex meâ vero ſententiâ

O *XXVIIvum.*

XXVIIvum annum agebat. Non poteſt igitur citius Apologia Juſtini collocari.

§. 7. Ordo verus Apologiarum Juſtini. §. 7. Edidit igitur Apologiam ſuam Juſtinus Martyr A. circiter *CLVIII.* quâ editâ in Græciam ivit, & Dialogum cum Tryphone habuit. Poſtea Romam redux cognitâ Urbici ſævitate, & ſciens effectu caruiſſe Apologiam ſuam primam, alteram tunc edidit ſeu minorem A. CLX.

Iſta attuli, ſuppoſito ſemper quod hodie omnes credunt, inverſum eſſe Apologiarum ordinem in editionibus, quibus hodie utimur. Et Primam ratione temporis eſſe illam, quæ inſcriptionem ad Imperatorem & Cæſares præfert. Sed ut verum dicam maximopere ſuſpectam habeo hanc ſententiam, & non poſſum non hic argumenta promere, quibus adductus, recte in editionibus Apologias collocatas eſſe, firmiter credo. Forte ejus ponderis videbuntur, ut & alios perſuadere queant.

Primo. Nititur tota contraria Hypotheſis unico Euſebii teſtimonio, cui facile nimium crediderunt Hieronymus atque Photius. Euſebius ſane diſerte Apologiam majorem alterâ priorem eſſe agnoſcit. Sed quæ auctoritas eſt Euſebii, qui tam putide in Juſtini rebus erravit? Et relictâ ei auctoritate ſuâ, certe ille qui Juſtini opera collegit in aliâ ſententiâ verſabatur. Nonne & ille ſuam auctoritatem habet? Quamobrem ergo ipſi fidem derogare, ut Euſebio parum iſthic exacto tribuas?

Secundo. Mirum Euſebio adhuc credi poſſe, cum luce clarius jam ſit, quæ ratio eum ad hanc opinionem perduxerit, & rationem illam falſam fuiſſe conſtet. Credebat nempe Euſebius Apologiam minorem M. Aurelio oblatam eſſe. Majorem Antonino conſecratam ſciebat. Ergo ſtatuebat majorem priorem eſſe. Sed errabat omnino, cum Juſtinum M. Aurelio ſcripſiſſe crederet. Ergo fidem non meretur.

Tertio. Ipſe ſibi contradicit Euſebius, & primam Apologiam agnoſcit eam quæ in noſtris codicibus prior eſt. Unde quo-

Digitized by Google

quoque patet eundem ordinem in Euſebii codicibus exſtitiſſe. Locus ſcriptoris illius, ubi in hanc contradictionem incidit L. IV. Cap. XIII. init. legitur, ubi Euſebius ſic, *Idem*, inquit, *vir* (Juſtinus ſc.) *quorundam meminit qui Martyrium paſſi fuerant*, *in priori ſuâ Apologiâ*, ἐν τῇ προτέρᾳ ἀπολογίᾳ. Citat deinde locum de Martyribus ſub Urbico paſſis. Quæ omnia in minori Apologiâ leguntur, reverâ in exemplaribus noſtris primâ. Sane Petavius, Valeſius, cæterique volunt corrigendum Euſebium, & legendum δευτέρᾳ, contra omnium codicum fidem. Gratis itaque iſta emendatio fit, nec ullius ponderis eſt.

Quarto. Juſtinus in Apologiâ minori, ſub finem, maximopere rogat libellum hunc ſuum publicari, ut & ab aliis res Chriſtianorum eorumque doctrina cognoſci poſſint, &c. Similia ſæpius inculcat; Sed nonne hoc plane ineptum fuiſſet, ſiquidem, jam alterâ majori defenſione, longe fuſius accuratiusque Chriſtianorum res expoſuiſſet, quas in iſtâ vix indicat?

Quinto. Si Juſtinus jam unam Apologiam edidiſſet, proculdubio ad eam remitteret, & eam non auditam eſſe quereretur, præcipue cum multo amplior, accuratiorque quam ſecunda eſſet? In genere præſumitur ampliorem poſteriorem eſſe.

Sexto. Juſtinus in fine minoris Apologiæ promittit ſe, ſi quidem præſcribat Imperator, fuſius longe omnia expoſiturum, *Quod ſi præſcripſeritis*, *nos hæc omnibus manifeſta faciemus*, ποιήσομεν legendum pro ποιήσαιμεν, ut jam recte monuerunt Eruditi, *ut illi quoad fieri potuerit meliores evadant*. Cur iterum promitteret ſi jam præſtitiſſet? Et ubi præſtitit niſi in majore Apologiâ?

Septimo. Adverte præcipue, quænam in ſpecie ſint, quæ fuſius exponere velit. Loquutus nempe fuerat immediate antea, & de deſerto Ethniciſmo, & de flagitiis Deorum, & de Simonianâ Hæreſi. Nonne hæc omnia in majori Apologiâ ampliſſime tractaverat, ſi quidem illa prior fuerit? Et nonne in

O 2 illâ

illâ Apologiâ hæc omnia præſtat. Quod maxime notandum de Simone ejusque ſectâ.

Octavo. Et ſane videtur manifeſte in Apologiâ majori ad promiſſum hoc reſpicere, & fidem ſuam liberare velle. Legatur inter cætera totum Apologiæ majoris exordium, & ſane egregie fluet, ſi ſupponatur juſſum Juſtinum loqui, vel certe eum ad promiſſum antecedens reſpicere.

Nono. Apologia major non edita fuit ante *A. CLVIII.* per §. præc. Apologia minor ad *A. CLIX.* vel *CLX.* pertinet, ut ſuprà vidimus. Deinde major non quidem ante *A. CLVIII.* edita eſt, ſed ne quidem tunc edita videtur. Nam alias non dixiſſet Juſtinus plures CL. annis à Cyrenio efluxiſſe, cum præciſe CL. forent. Pertinet igitur Apologia illa ad *A. CLIX.* Quomodo ergo locus erit itineri Juſtini in Græciam, & Dialogo cum Tryphone, quæ cuncta poſt majorem Apologiam ſtatim contigere? Nimirum poſterior fuit major.

Dicendum igitur eſt Juſtinum Apologiam minorem *A. CLIX.* ſcripſiſſe, & Romæ eventum expectaſſe; Poſt aliquot menſes majorem obtuliſſe. Et tunc edicto gratiſſimo vel ejus certe ſpe acceptâ in Græciam iviſſe. Atque ita nihil mutandum eſt in ordine Apologiarum, quem editiones noſtræ ſervant.

§. 8. Juſtinus quando paſſus?

§. 8. Quamcunque ſententiam amplectaris, manifeſtum eſt Juſtinum ſub M. Aurelio paſſum eſſe, quod nobis expendendum ſupereſt. M. Aurelius enim ſtatim edictum infregit, ab Antonino Pio ad Juſtini preces datum. Unde errant omnino qui ſub Pio martyrium Juſtini collocant, quod ludicre prorſus Hadriani Imperio Epiphanius tribuit, multo rectius tamen Ruſtici Præfecti tempore id contigiſſe aſſerens. Videndum eſt itaque quando Ruſticus ille Præfecturam geſſerit. In Inſcriptionibus Gruteri bis nominis ejus mentio fit, quæ huc convenire poſſit. Primo *CCXXII.* 1.

Ex. Auct.
Q. Junii. Ruſtici
Pr. Urb.

Sed

Sed non huc ſpectat iſte Ruſticus, quem conſtat noſtro antiquiorem fuiſſe; nam Q. Junius Ruſticus Conſul erat *A. CXIX.* Unde magis aptus noſtro propoſito videtur eſſe lapis *CCCCXXVI.* 10.

L. Junii. Ruſtici
Philoſophi
Stoici
L. Junius. L. J.
Myrinus. S. P. P.

Fuit ſane L. Junius Ruſticus ſtoicus, vir præſtantiſſimus, & honoratiſſimus, M. Aurelii præceptor, quem etiam Imperator factus Aurelius tanto honore proſequutus eſt, quanto alium nullum: Unde ei ſtatim A. CLXII. Conſulatum dari curavit, & ſecundo Conſulem deſignaverat, niſi Ruſtici mors id propoſitum fregiſſet. Hæc Capitolinus refert. Non eſt itaque cur dubitemus, ipſum hunc Ruſticum eſſe, ſub quo paſſus fuerit Juſtinus. Obiter autem hinc faſtos ſuppleto, qui conſulem anni CLXII. ſine prænomine edunt, cum L. Jun. Ruſticus fuerit. Deinde corrige eoſdem quando eo anno Q. Flavium Tertullum ſuffectum volunt, ex Inſcr. apud Gruter. CXXXI. 3. ubi Q. Junius Ruſticus, Q. Flavius Tertullus Coſſ. memorantur. Id enim ad Conſulem anni 119. pertinet, qui Q. erat & Hadriani collega, quo abdicante, Tertullus ſuffectus eſt. Cæterum de noſtro Ruſtico mentio eſt *l. 1. D. de Apell.* De Anno autem Præfecturæ ipſius, quod dicam liquido, non habeo. Veroſimile tamen eſt Ruſticum non diu ultra A. CLXII. vixiſſe. Cum enim Aurelius ſtatim primo ſuo anno Conſulatum ei detulerit, ſecundum ſane non diu poſt deferendum cogitaverit, ante quem tamen mortuus Ruſticus. Imo procul dubio prius Præfectus fuit Ruſticus, quam Conſulatus dignitatem, utpote majorem longe, obtineret. Fuerit ergo Præfectus A. CLXI. Et ſane cum Juſtinus jam A. CLIX. de Creſcentis odio tantopere queratur, & nullus dubitet jamjam eo res perventuras eſſe, ut ipſi mors ſubeunda eſſet;

O 3 Non

Non videtur Creſcens tam diu vindictam diſtuliſſe, ſed ſtatim, cum ſub M. Aurelio perſequutio recrudeſceret, Juſtino inſidias ſtruxiſſe. Paſſus fuerit itaque Juſtinus A. CLXI. e Græcia redux, & brevi poſt Dialogum cum Tryphone editum. Atque ſic propoſito ſatisfactum, & de Epochis Vitæ Juſtini actum.

CAPUT IX.

De Marcionis tempore, & præcipue de anno quo in Hæreſin inciderit.

Argumentum.

Controverſia de Marcionis annis. §. 1. *Qui Romam ſtatim mortuo Hygino venit.* §. 2. *Ejus antiquitas è Clemente Alex. probatur.* §. 3. *Locus difficilis Clementis Alexandrini explicatur*, §. 4. *& à variis nodis liberatur.* §. 5. *Aliæ pro Marcionis antiquitate rationes.* §. 6. *Quibus non obſtat Tertullianus.* §. 7. *De cujus intricatiſſimo loco diſſeritur.* §. 8. *Pearſonius refutatur.* §. 9. *Dodwelli interpretatio rejicitur.* §. 10. *Vera loci Tertulliani explicatio* §. 11.

§. 1.

§. 1. De Marcionis ætate dubia.

Quem in finem omnia hæc de Juſtino Martyre tandem dicta ſunt? Ut inter cætera ſtatim appareret, quam incerta ſit nota, quam à Juſtino petere ſolent, ad determinandum tempus quo Marcion ortus eſt. Hoc nempe capite agendum nobis eſt, de quæſtione jam multum agitatâ, quando Marcionitarum dogma publice prædicari cœperit? Ex vulgari Chronologiâ, Marcionis initium in annos CXLII.

CXLVI.

Digitized by Google

CXLVI. CLVI. vel alios ponitur; Et ſane ſecundum Chronologiam Epiſcoporum Romanorum, quam amplexi ſunt fere omnes, non ante A. CLVI. collocari poteſt. Marcion enim Romam venit Hygino mortuo, nondum tunc Hæreticus; Hyginus autem mortuus eſt A. CLVI. ſecundum Occidentales catalogos, & pleroſque Chronologos: Secundum Euſebium A. CXLII.

Senſit Pearſonius antiquiorem eſſe debere Marcionem, & inde Chronologiam ſuam firmare aggreſſus eſt, nempe ſi Marcion poſt Hyginum ortus ſit; Et tamen jam ante A. CXL. imo CXXX. notus fuerit, Ergo Hyginus etiam ante annos illos vixit, & falſa eſt vulgaris Pontificum Chronologia, vera autem Pearſoniana. Idem Argumentum mihi perinde favet ac Pearſonio, cum perinde ac ille Epiſcoporum Romanorum annos retraham, atque citius quam vulgo fieri ſolet collocem. Sed interea libenter fateor rationes, quibus Hypotheſin ſuam corroboravit Pearſonius, falſas vanasque eſſe. Separanda itaque ſunt certa ab incertis. Certum eſt Valentinum, & Cerdonem Romam veniſſe ſub Hygino, & de hoc teſtes ſunt Irenæus, Cyprianus, Euſebius, Hieronymus, uno verbo, quotquot antiquorum de hiſce tractant. Certum iterum eſt, Marcionem poſt Cerdonem ortum eſſe, ut & iidem omnes & Tertullianus perhibent. Ultimo, certum eſt mortuo Hygino Marcionem ortum eſſe. Hæc Pearſonio conceduntur. Male a Pearſonio ſoluta

Sed ecce incerta multa falſave quæ ille affert. Primo, ex Juſtini ætate antiquitatem Marcionis oſtendere vult. Juſtinus, inquit, Apologiam ſuam majorem A. CXLII. ſcripſit; Tunc autem jam dudum Hæreticus erat Marcion, ut ex Juſtini verbis liquet, qui ejus mentionem talem facit, quaſi jam ab aliquot annis Hæreſin propagaret. Sed oſtenſum eſt à nobis Apologiam illam poſt A. CLVII. ſcriptam eſſe. Igitur nihil probat Pearſonii argumentum.

Alterum ratiocinium quo utitur, è Polycarpi ætate deſumptum eſt, qui aliquot ante mortem annis Romæ fuit, ibique Marcionem Hæreticum jam celeberrimum vidit. Mortuus eſt autem

autem Polycarpus *A. CXLVII.* Sed hoc iterum falſum, nam Polycarpi mortem ſerius multo contigiſſe ſuo loco probabitur. Male ergo oſtendit Pearſonius Marcionis antiquitatem, atque male inde Chronologiam ſuam firmavit.

§. 2. Marcion immediate poſt Hygini mortem Romam advenit.

§. 2. Erravitne idcirco in Theſi ſuâ, vel an verum quidem ab eo dictum, male autem aſſertum eſt? Poſterius amplecti non dubito. Nam cum Marcion ſtatim poſt mortem Hygini Romam venerit, & brevi poſt Hæreſin ſparſerit, Hyginus autem ex Chronologiâ noſtrâ labente *A. CXXI.* mortuus ſit, omnino ſequitur Marcionis Hæreſin recte antiquiſſimam ſtatui. Ne tamen videar ſimpliciter Chronologiæ meæ inhærere, nec aliunde rationibus petitis aſſertum meum firmare, Eſto, ſane argumenta afferam quibus Marcionis antiquitas oſtendi poſſit. Primo autem operæ pretium eſſe cenſeo, expendere utrum ſtatim poſt mortem Hygini Romam venerit Marcion. Alias enim credi poſſet, & omnino creditur, eum Pio ſedente veniſſe, qui Hygino ſucceſſit. Sedit autem Pius annos XX., unde incertum eſſet quo anno collocanda foret Marcionis origo, ab *A. CXXII.* ad *A. CXLII.* At omnino Marcionis adventus illico poſt Hygini mortem contigit. Quod ſic oſtendo, 1.) ex ipſâ Phraſi, Marcionem poſt mortem Hygini veniſſe. Simplicius ſane erat dicere, eum Pio ſedente veniſſe, niſi ſede adhuc vacante ante electum Pium veniſſet. Nemo tamen antiquorum ita loquitur. 2.) Notandum etiam Epiphanium non *poſt mortem Hygini* dicere, ſed, *cum mortuus eſſet Hyginus*, μετὰ τὸ τελευτῆσαι Ὑγῖνον, quod diſertius. 3.) Presbyteros conſulit aggrediturque Marcion, ut ab iis communionem impetret, non Epiſcopum. Tunc igitur nullus erat. 4.) Non communionem modo, ſed & προεδρίαν petit. Προεδρία autem inter Presbyteros, Epiſcopatus erat. Ergo iterum ſede vacante Romam venit Marcion. 5.) Repulſam paſſus, iterum Presbyteris quædam adverſus dogma eorum opponit. Epiſcopus iterum nullus comparet. Ex his apparet ſtatim mortuo Hygino, Romam adveniſſe Marcionem.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. Jam ad alterum progrediar, nempe ad antiquitatem Marcionis probandam. §. 3. Ejus antiquitas ex Clemente Alex. probatur.

Sufficere poſſet ad hoc propoſitum Clementis Alex. teſtimonium, qui Strom. *L. VII. Cap. XVII.* Marcionem cum aliis Hæreticis Imperante Hadriano vixiſſe, & uſque ad Antoninum Seniorem vitam extendiſſe ἢ μέχριγε τῆς Ἀντωνίνε ... διέτειναν ἡλικίας. Quod ſane niſi vis verbis fiat, nihil aliud ſignificare poteſt, quam eos ſub initia Antonini mortuos eſſe. Itaque certe, non longe ab initio Hadriani, Dogmata ſua prædicare cœperunt. Succeſſit vero Trajano Hadrianus *A. CXVII.*, Hadriano Antoninus *A. CXXXVIII.* Non injuriâ igitur Marcionis initium circa *A. CXXII.* colloco.

Secundo. Aſſerit Clemens ibidem Marcionem ſenem fuiſſe jam, cum Valentinus & Baſilides juniores eſſent ὡς πρεσβύτης νεωτέροις συνεγένετο. Scio uno ore mendæ locum iſtum inſimulari. Marcion Baſilide & Valentino ſenior! Sed cur locum immutare ratione nullâ prægnante adhibitâ? Et quæ ratio hic correctionem ſuadet? Nullus nego Baſilidem & Valentinum ante Marcionem Hæreſes ſuas propagaviſſe. Sed quanto temporis interſtitio. Valentinus Romam venit ſub Hygino, Marcion ſtatim poſt Hygini mortem, qui IV. modo annis ſedit. Baſilides ſub finem Trajani ortus eſt, vel forte medium ejus, ad ſummum XV. annis Marcione prior, Valentinus modo II. vel III. Fuerit Marcion quinquagenario major, cum Hæreſin ſpargeret, Baſilides XXV. vel XXX. annorum cum ſuam, Valentinus XL. annorum: quæ omnia facillime fieri potuerunt, Certe Marcion iis ſenior fuerit, utpote natus circa A. LXX. Baſilides circa A. LXXX. Valentinus eodem fere tempore. Quid ſi ergo Marcionem adhuc ſeniorem aſſumamus, Valentinum & Baſilidem juniores, tunc Marcion fere ſexagenarius fuerit cum alii nondum quadragenarii; recte ergo ſenex cum junioribus vixiſſe dicetur. Non eſt igitur cur textus Clementis carpatur. Quo poſito, concludo Marcionem ſub initia Hadriani debuiſſe Hæreſin propagare. Si enim jam provectæ ætatis erat cum mortuus eſt, pater ejus autem adhuc in vivis

Digitized by Google

erat cum Hæreticus evaderet, de quo conſtat, ſequitur omnino quod dixi. Mortuus ſit Marcion LXX. annorum (quod minimum ſane eſt, nam potius LXXX. anni ex Clementis hoc loco exſculpentur) ſub initia Antonini Pii: Ergo tunc pater ejus, centenario proximus eſſe debuerit. Probabile igitur, eſt patrem Marcionis jam pluribus retro annis defunctum eſſe, Ergo etiam Marcion dudum Hæreticus fuerit.

§. 4. Locus difficilis Clementis Alex.

§. 4. Sed hæc me monent intactum non relinquam celeberrimum Clementis Alexandrini locum, ex quo hæc cuncta deſumpſi, & qui Strom. *VII. Cap. XVII.* legitur. Hoc caput Criticis crucem vere fixiſſe dici poteſt, tot ſententiæ, quot capita. Et mirum quot mutationes, quot correctiones ab Interpretibus factæ. Conabor attamen felicius dubia reſolvere, vel nullis vel leviſſimis mutationibus adhibitis. Lectorem vero rogo ad manus habeat Clementis verba, quorum iſte eſt ſcopus, ut ſcil. oſtendat antiquiorem eſſe Evangelii prædicationem, qualem Orthodoxi ſervabant, omnium Hæreſium auctoribus. Hâc enim præſcriptione ſolebant Eccleſiæ Catholicæ adverſus alias uti.

Primus nodus ſolvitur.

Prima igitur difficultas iſta eſt, quod Clemens Chriſti miniſterium Mediis Auguſti temporibus perfectum dicat. Cum tamen ipſe Clemens Chriſtum A. XV. Tiberii paſſum dixerit. Mire hunc locum torquent, & duriſſimis explicationibus pervertunt, aut audacter Τιβερίου pro Αὐγούστου ſupponunt, nullâ ſimilitudine vocum. Neque ſic nodum ſolvunt. Nam en Clementis verba! ***Domini doctrina quæ ſecundum ipſius adventum eſt, ab Auguſto & Tiberio Cæſaribus incipiens, mediis Auguſti temporibus perficitur.*** Sed quid per hanc *Doctrinam* intelligendum? An Evangelii revelationem ſub Chriſti nativitatem factam? Sed hæc non ſub Tiberio incœpit. An prædicationem Chriſti? Sed hæc non ſub Auguſto cœpit. Ego interpunctione librorum impreſſorum mutatâ, & parentheſi additâ, abſque mutatione textum corrigo. Et ſic lego Ἡ μὲν γὰρ τοῦ Κυρίου κατὰ τὴν παρουσίαν διδασκαλία, ἀπὸ Αὐγούστου καὶ Τιβερίου Καίσαρος (ἀρξαμένη μεσούντων τῶν Αὐγούστου χρόνων) τελειοῦται. Senſus

ſus, *Doctrina Chriſti ſeu Evangelii manifeſtatio, quæ à nativitate Domini computanda eſt, & qua mediis Auguſti temporibus cœpit, ab Auguſti & Tiberii temporibus perficitur ſeu propagatur.* Senſus ni fallor planiſſimus, & cum Clementis ſcopo optime cohærens. Parentheſin huic loco jam invexerat Dodwellus, inde tamen ἀρξαμένη excludens, quod tanquam improbabile, reliquamque Dodwelli explicationem ut duram merito rejecit Vir ſummus, ſupraque laudes meas poſitus, Dominus Potterus Anglorum nunc Primas, qui utinam aliquid ad illuſtrandum hunc Clementis locum adferre voluiſſet! Nemini ſane ulterius in eo laborandi locum reliquiſſet. Unum objici poſſet, nimirum Chriſti nativitatem non mediis Auguſti temporibus contigiſſe; Sed reſpondeo generalia verba eſſe Clementis, quæ deditâ operâ adhibet, utpote cum ejus intereſſet, terminum prædicationis Chriſti potius removere quam approximare. Ita brevi cum Apoſtolis agit, ut jam jam monebo. Et ſi Tiberius pro Auguſto legatur, idem nodus ſupererit, nam falſum eſt Tiberii mediis temporibus abſolutam eſſe vitam Chriſti, cum Tiberius ann. XXII. ſecundum Clementem imperaverit, Anno vero ejus XV. paſſus ſit Chriſtus.

§. 5. Reliqua dubia tolluntur.

§. 5. Altera difficultas iſta eſt. Clemens Apoſtolorum ætatem vel prædicationem cum Paulo, ſub Nerone conſummatam dicit. Sed ex ipſius Clementis relatione alii Apoſtoli diutius vixerunt. Reſpondeo, hoc ipſum eſſe indicium, Clementem tempus remotius pro citimo accipere. Certum eſt tempus, quo Petrus & Paulus præcipui fere Apoſtoli mortui ſunt, Incertum quo alii. Ergo certius aſſumpſit Clemens, quod Hypotheſi ſuæ magis faveret. Imo notato verba ejus, *Apoſtolorum doctrina uſque ad Pauli miniſterium ſub Nerone abſolvitur.* Nonne manifeſto iſthic adfectatur ambiguitas? Pauli miniſterium ultimum erat Apoſtolorum, ratione initii, non ratione finis. Sed hæc confundit Clemens.

Tertius nodus eſt, quod Marcion Senior Baſilidem & Valentinum juniores vidiſſe dicatur, de quo ſuprà dictum.

Quartus eſt, quod Simon dicatur poſt Marcionem vixiſſe, er-

Digitized by Google

errore intolerando, *Poſt quem (Marcionem)* μεθ' ὃν *Simon Petri aliquandiu auditor fuit.* Valeſius ſe dubium ſolviſſe putavit, non *poſt quem* ſed *ante quem* vertendo. Quæ ſignificatio prorſus inſolita eſt, & fruſtra ab eo ex Act. V. 37. firmatur, loco nempe valde dubio. Neque favet alter locus è Metaphraſte in Actis Petri Alex. allatus, adeo enim ignarus erat Metaphraſtes, ut facile ordinem Epiſcoporum Alexandrinorum perverteret. Exemplum Geographorum huc non ſpectare manifeſtum eſt, cum μετὰ τούτους apud eos nil niſi *poſt illos* ſignificet, quâ Phraſi Geographi Latini utuntur. Æque infelix eſt Pearſonii conjectura, qui μεθ' ὧν legi vult, & ad antiquos Hæreticos referri cum quibus Marcion junior verſabatur. Sed jam vidimus non Marcionem juniorem cum ſenioribus verſatum, ſed ſeniorem cum junioribus, ut textus Clementis habet. Deinde ſeniores illi Valentinus, & Baſilides forent, qui nunquam Petrum audierunt. Dodwelli opinio, & aliis rationibus improbari debet, & quod cum Valeſio μεθ' ὃν per *ante eum* reddat. Supereſt Anonymi conjectura apud Dodwellum, qui Parentheſin verbis Clementis hoc modo interſerit, καθάπερ ὁ Βασιλείδης κἂν Γλαυκίαν ἐπιγράφηται διδάσκαλον, ὡς αὐχοῦσιν αὐτοὶ τὸν Πέτρου ἑρμηνέα (ὡς αὔτως δὲ καὶ Οὐαλεντῖνον Θεόδαδι ἀκηκοέναι φέρουσιν· γνώριμος δ' οὗτος ἐγεγόνει Παύλου. Μαρκίων γὰρ κατὰ τὴν αὐτὴν αὐτοῖς ἡλικίαν γενόμενος, ὡς πρεσβύτης νεωτέροις συνεγένετο) μεθ' ὃν ὁ Σίμων ἐπὶ ὀλίγον κηρύσσοντος τοῦ Πέτρου ὑπήκουσεν. Poſtea mutat μεθ' ὃν in μεθ' οὗ quod vult referri ad Πέτρου vocem ante Parentheſin exſtantem. Et ſenſus erit *Glauciam fuiſſe interpretem Petri, cum quo, ſc. Petro ad aliquantum tempus fuerit Simon, & prædicantem Petrum audiverit.* Sed hoc coactum, Dixiſſet Clemens *cum quo fuit Simon, & quem prædicantem audivit.* Nec bis Petri nomen repetiiſſet. Quid ergo dicendum! Recte Parentheſin hic Anonymus collocavit, quam & mutata Clementis oratio ſuadet; Recte μεθ' οὗ legit; ſed μεθ' οὗ referendum erat ad Glauciam, & ſic reddendum. *Cum quo Glauciâ Simon per aliquod tempus Petrum prædicantem audivit.* Hâc egregiâ tranſitione aptè Clemens ad Simonem pergit, Hæreticorum

ticorum

ticorum primum, quem tamen Evangelii prædicatione poſteriorem oſtendit.

Atque ſic elucidatus eſt locus Clementis, in quo non tam mendum eſt exſcriptoris, quam error auctoris vel certe obſcuritas nimia, quando Marcionem dicit uſque ad Antoninum ſeniorem vixiſſe, quod indicat eum ſub initia Antonini Pii mortuum. Scimus vero ex Juſtino eum fere uſque ad M. Philoſophum vixiſſe. Adhuc enim in vivis erat, cum Apologiam majorem ſcriberet Juſtinus, quæ ſcripta ultimis Antonini Pii temporibus facta ſunt. Legerat Clemens Marcionem ſub Antonino Pio mortuum eſſe, unde ambigue ſcripſit eum uſque ad Antoninum Pium vixiſſe. Cæterum id non obſtat quominus recte Clemens aſſerat Marcionem ſub Hadriano floruiſſe. Diu enim vixit Marcion, & ſub Pio, Aniceto & Sotere Romanis Epiſcopis fuit, qui unà XL. Annos ſederunt. Unde ortus A. CXXII. ex noſtrâ Chronologiâ, mortuus fuerit circa initium Eleutheri A. CLXI. circiter, Antonini Pii ultimo; non diu poſtquam Juſtinus Apologiam ſcripſiſſet.

§. 6. Tranſeo ad alias rationes, quibus Marcionis antiquitas defenditur, quarum pleraſque modo indicâſſe ſufficiet, quia ſingulas earum partes ſeparatim capitibus ſequentibus probare oportebit. §. 6. Aliæ pro Marcionis antiquitate rationes.

Marcion brevi poſt Valentinum, v. g. biennio poſt, Romam venit. Valentinus autem circa *A. CXX.* Romam venit, ut cap. ſeq. dicetur. E. Marcion circa *A. CXXII.*

Marcion Montaniſtarum Hæreſi antiquior eſt multis annis, ut ex confeſſo inter omnes conſtat. Montaniſtæ autem inter *A. CXXX.* & *CXL.* orti ſunt, ut ſuo loco oſtenſurus ſum. Ergo Marcion non diu poſt *A. CXX.* debuit in Hæreſin incidere.

Celſus Epicuræus adverſus Chriſtianos ſub Hadriano circiter ſcripſit, vel ſub initio Antonini Pii. Is autem Marcionitarum ut notiſſimorum mentionem facit.

Ultimo id probatur ex ordine & nexu Hæreſeos Marcioni-

niſticæ cum aliis collatæ. Aliarum autem plurium tempus cap. ſeq. figemus, & noſtræ Chronologiæ unice favere oſtendemus.

§. 7. Nec obſtat Tertullianus.

§. 7. Objici vero poſſet, non ſine magnâ veriſimilitudine, Tertullianum Hypotheſin hanc noſtram prorſus deſtruere, qui Marcionem, ſub Eleuthero Epiſcopo Romano, Antonino Pio imperante, expulſum ab Eccleſiâ dicat. Vid. Tertull. de Præſcr. Cap. *XXX.* & contra Marc. L. I. Cap. *XIX.* Et concedo ſane non modo hoc dicere Tertullianum, ſed & eum verum dicere. Nego vero & pernego hoc mihi adverſari. Neque enim ſtatim Hæretici ex Eccleſiâ pellebantur, cum Hæretici forent. Sed ſæpe per longum annorum ſpacium in eâ manebant. De quo tamen iſthic non pluribus agam, quia hanc Theſin in ſequentibus illuſtrandam ſumam.

Nunc Tertullianum è Tertulliano explicare paucis adgrediar. Ait cum ſcriberet, *adhuc in Seculo ſuperfuiſſe, qui Apellis & ſocia ejus Philumena meminiſſent*, de Præſcr. Cap. *XXX.* Hoc nonniſi de antiquo negotio dici poteſt, & cujus modo ſeniores meminiſſe poſſit. Debet ergo Apelles, minimum L. annis, antequam hæc ſcriberentur mortuus eſſe. Scribebantur autem *A. CCVII.* ut Allixius, *CCIII.* ut Pamelius volunt. Ergo Apelles mortuus *A. CLV.* circiter, ut medium teneam. Evaſit autem admodum ſenex, quod & aliunde & à teſte oculari Rhodone apud Euſebium citato, accipimus. Fuerat vero hic Apelles Marcionis diſcipulus fidiſſimus, quem poſtea amore mulieris alicujus inductus deſeruit, Alexandriam ivit, poſt plures annos redux in aliam mulierem incidit, cujus iterum amore captus eſt, & cum quâ diu admodum vixit, Marcionis dogma immutavit, & Sectam numeroſam allicuit. Hæc omnia apud Tertullianum aliosque leguntur. Quæ ſi perpendas, videbis Marcionis primam defectionem non infra Hadriani initia collocari poſſe, adeoque recte à nobis *A. CXXII.* figi.

§. 8. De cujus intricatis.

§. 8. Antequam Tertullianum, & cum eo hoc caput deſeram, non poſſum non intricatiſſimo ejus auctoris loco idem offi-

officium exhibere, quod ſupra Clementi. Idque eo magis ſimo loco eſt neceſſarium, quod de Marcionis ætate locus ille agat, & diſſeritur. quod à Pearſonio, & Dodwello miſere dilaniatus ſit. Locus occurrit Libr. I. Adv. Marc. Cap. *XIX.* Scopus Tertulliani iſte eſt. Docebat Marcion Judæos cum aliis Gentibus ſub Imperio Creatoris i. e. mali principii fuiſſe, & ab eo religionem ſuam accepiſſe. Deum autem bonum à Marcione revelatum eſſe: attamen Chriſtum quoque à bono Deo miſſum eſſe. Jam hæc dogmata, quæ Marcionitis tribuit Tertullianus, contradictoria eſſe dicit. Et Chriſtum non potuiſſe à bono Deo miſſum eſſe, quum hic modo à Marcione revelatus fuerit: Marcionem enim Chriſto longe poſteriorem eſſe. Hoc autem ſic probat, *Anno XV. Tiberii Chriſtus Jeſus de Cœlo manare dignatus eſt, ſpiritus ſalutaris Marcionis ſalutis, qui ita voluit,* (i. e. *talia docuit*) *quoto quidem anno Antonini majoris de Ponto ſuo exhalaverit aura Canicularis, non curavi inveſtigare. De quo tamen conſtat, Antonianus Hæreticus eſt, ſub Pio impius. A Tiberio autem uſque ad Antoninum anni fere CXV. & dimidium anni cum dimidio menſis: tantundem temporis ponunt inter Chriſtum & Marcionem.* Duo hic enodanda ſunt: Primo quod dicatur Marcion ſub Antonino Pio ortus, quem tamen ſub Adriano ortum dixi. Secundo quod *CXV.* anni, *VI.* menſes & ½ Menſis Tiberium inter & Antoninum intercedere dicantur, quod nullo modo verum eſt, præcipue Tertulliano terminos horum annorum non indicante.

Primam difficultatem negligit Pearſonius, mire autem ſecat Primum dubium: à Dodwello peſſime remotum. Dodwellus, qui ſupponit primo, Tertullianum hic alium quendam Auctorem præ oculis habuiſſe: ſecundo, Auctorem illum Marcionis originem ad Pium, non Imperatorem ſed Pontificem Hygini ſucceſſorem, retuliſſe: Tertio, non tamen diſtincte monuiſſe utrum Pium intelligeret: Quarto, nec Tertullianum ulterius de eo inquiſiviſſe: ſed Quinto, ſimpliciter de Pio Imperatore accepiſſe.

Multæ ſane ſuppoſitiones, ſed parum ſolidæ! Quid mirum Tertullianum Marcionis originem ſub Antonino Pio collocaſſe, cum

Digitized by Google

cum ipſe dicat ſe annum quo prodierit non inveſtigaſſe? Debebat igitur, ex iis quæ certo de Marcione noverat, præter propter id tempus colligere. Jam nil aliud de Marcionis hiſtoriâ acceperat Tertullianus, quam eum *Eleuthero Pontifice Antonini fere tempore* ab Eccleſiâ pulſum eſſe. Recte *fere* dicebat, nam Eleutherus ex noſtrâ Chronologiâ, quæ hinc invicte firmatur, vix anno ante Antonini mortem ſedere cœpit. Unde Tertullianus in genere debuit Marcionis originem Antonini temporibus aſſignare, præcipue cum ejus hic intereſſet Marcionem detrudere, & à Chriſti tempore removere; Unde non mirum, in dubio, eum remotiorem terminum elegiſſe, de quo certus erat.

§. 9. Alterum dubium. Pearſonius refutatur.

§. 9. Alterum nodum negligenter nimis ſecat Pearſonius. Et quidem recte colligit non ad hunc vel illum annum Antonini Pii, finem horum *CXV.* annorum referendum eſſe, cum Tertullianus nullum in ſpecie deſignet, imo diſerte neget, ſe quoto anno Antonini id facti contigerit inveſtigaviſſe. Ex hâc propoſitione concludit Pearſonius annos illos in Antonini Pii initium deſinere, qui medio Julio *A. CXXXVIII.* regnare cœpit; Unde ſtatim apparet, quo *VI.* ½ menſes, quos ſummæ ſuæ Tertullianus addit, reſpiciant, Julius enim menſis ſeptimus eſt anni. Supereſt initium hujus Epochæ. Hoc anno *XII.* Tiberii figit Pearſonius, quo anno Chriſtum Baptizatum credebat ipſe Tertullianus (Marcion enim anno *XV.*) ut L. I. Adv. Marc. Cap. XV. legitur. Credebat ſc. Tertullianus Chriſtum A. XV. paſſum, & tamen tres annos miniſterio ejus tribuebat. Jam A. XII. Tiberii eſt Chriſti XXV. Inde ad A. CXXXVIII. ſunt anni CXV. Utroque termino incluſo.

Quot monſtra hanc ſolutionem componunt! Nam monſtro ſimile eſt Tertullianum Chriſti Baptiſmum in A. XII. Tiberii collocare, & manifeſto mendo laborat is locus, ubi id apparet. Recipiebat enim Tertullianus Lucæ Evangelium quale habemus, & acriter defendebat. Et ita quâ fronte auſus eſſet di-

Digitized by Google

diſertum Lucæ teſtimonium contemnere? Deinde adv. Jud. Cap. VIII. diſerte Chriſtum XXX. annorum dicit fuiſſe cum pateretur. Eodem ergo anno Baptizatum, & paſſum credere debuit. Præterea ibidem dicit Legem, & Prophetas duraſſe uſque ad finem Hebdomadarum LXII. ½. Danielis, quas in A. XV. Tiberii deſinere ait: additque Baptiſmo Chriſti omnia hæc abrogata eſſe, citato loco Matth. XI. 13. Igitur A. XV. Tib. Chriſti Baptiſmum collocabat.

Secundo, monſtroſum eſt, in annorum CXV. ſummâ, utrumque terminum includere, nam 1.) Cum Tertullianus juxta Pearſonium exacte menſes, & fere dies A. CXXXVIII. numeret, eâdem diligentiâ debuiſſet Tiberii tempora numerare. Prout enim initium Antonini medio jam Julio A. CXXXVIII. incipit: Ita Tiberii annum XII. modo d. 29. Aug. A. XXV. 2.) In tali Computo, ubi etiam ad hebdomadarum minutias attendit auctor, non ita obiter uterque terminus includitur. Quam ridiculum foret ſupra CXV. annos adhuc curioſe VI. ½ menſes numerare, cum tamen ipſa CXV. annorum ſumma, anno & ultrà, nimis generalis foret. Nam revera ab A. XXV. d. 29. Aug. ad A. CXXXVIII. d. 10. Jul., effluxerint modo anni CXII. menſes X. ½. circiter. 3.) Ex quo ſimul apparet male computaſſe Pearſonium, etiamſi enim utrumque terminum includas invenies modo A. CXIV. cum nullo, ne vel unius diei, appendice. 4.) Nec juvat Pearſonium, quod Tertullianus vocem *fere* adhibeat, quam ad ultimam factionem dimidii menſis referri manifeſtum eſt. Nemo enim ita ſtultus, ut annorum ſummam obiter, & uno alterove anno neglecto, plus minus computet, & tamen ſtudioſe menſium dierumque minutias addat. 5.) Juxta Pearſonii interpretationem bis computaret idem tempus Tertullianus, nam totum A. CXXXVIII. jam ſummæ annorum incluſiſſet. Et tamen iterum primam ejus anni partem ſc. VI. menſes, & ½ numeraret.

Tertium portentum iſtud eſt. Computat Pearſonius ad noſtram, Chronologiam Imperatorum, quam veram eſſe omnes quidem

Digitized by Google

dem norunt. Sed non ad mentem Tertulliani eſt, qui putidum errorem in hiſce commiſit. Numerabat enim, ut ex Cap. VIII. contrà Judæos videre eſt, ab *A. XII.* Tiberii incluſive ad Initium Veſpaſiani, annos modo *XXIV.*, quibus ſi addas *LIX.* inde ad *A. CXXXVIII.* incluſive quoque, habebis *LXXXIII.* annos non CXV. Tertullianus autem ex proprio ſuo ſyſtemate explicandus eſt.

§. 10. Dodwelli fallacia ſtupenda. §. 10. Longe adhuc manifeſtiorem fallaciam, Dodwellus, vir alias maximus committit, quam vix crederet, qui non in eo legeret. Recte obſervat Tertullianum aliter annos ad Veſpaſianum uſque computare, quam hodie fieri ſoleat. Et recte in hoc annorum *CXV.* computo, Tertulliani ipſius mentem oportere ſequi ſtatuit. Tandem recte ab A. Tiberii *XV.* Epocham deducendam vult. Numerat autem Tertullianus à Chriſto nato ad finem Vitellii ſeu finem anni noſtri *LXIX.* annos LII. menſes ſex cum diebus aliquot. Unde ſi tollas annos *XV.* quos adhuc Auguſto dat, & annos *XV.* Tiberii, reſtant anni *XXII.* menſes VI. &c. Nos autem numeramus. *XL.* annos, nam *A. XV.* Tiberii eſt æræ vulg. *XXIX.* ultimus Vitellii, noſter *LXIX.* Ergo peccat Tertulliani computus annis *XVII.* ½ in defectu. Hactenus bene Dodwellus.

Jam, inquit, A. *XXIX.* adde A. *CXV.* prodibit A. *CXLIV.*, tolle *XVII.* ½., ut Tertulliani mentem ſequamur, ſupererit *A. CXXVII.* medius, quo anno igitur ortus Marcion, non quidem Pio Imperante, ſed Pio Epiſcopatum gerente. Quod cum Chronologiâ Pearſonii ad amuſſim convenit.

Non objiciam nunc commentum eſſe, quicquid hic de Pio Pontifice dicit Dodwellus, & gratis ſupponi ab eo multa, v. g. Tertullianum, calculum ſuum erroneum, de temporibus ante Veſpaſianum, ab alio Auctore ſumpſiſſe, & quidem ab eodem quo hic uti fingitur, & qui Marcionem ſub Pio Epiſcopo collocare dicitur, &c. Hæc omnia, inquam, non opponam. Sufficiet inſignem hic fallaciam notare, quam incogitans Dodwellus admiſit. Nempe ob id ipſum, quod in de-

defectu non exceſſu peccat Tertullianus, ideircoanni illi *XVII.* ½. quibus peccat, veræ Epochæ non ſubtrahendi, ſed addendi erant. Clarius rem totam explicabo. Numerat Tertullianus ab *A. XV.* Tiberii *CXV.* annos. Si noſtrâ Chronologiâ uſus fuiſſet, incideret eorum finis in *A. CXLIV.*, ſed ubi nos *XL.* annos numeramus, ibi ille ſemel *XVII.* ½. numerat. Igitur ubi nos CXV. ibi ille modo XCII. ½. Ergo ille ab A. *XXIX.*, Tiberii *XV.* ad *CXLIV.* modo *XCII.* ½ annos numerabat. Unde ſequitur *CXV.* annos, quos ipſe ex ſuo Syſtemate numerat, non ante *A. CXLIV.* deſiiſſe, ſed poſt eum. Si nempe huic anno addas annos *XXII.* ½, quibus à nobis differt, habebis *A. CLXVII.* medium, qui revera Tertulliano *CXV*tus erat. Nam ab *A. XXIX.* ad *LXIX.* numerabat *A. XVII.* ½ adde *XCVIII.*, quot ſc. inde ad *A. CLXVII.* fluxerunt, erit ſumma *A. CXV.* ½ quam Tertullianus habet. Contrà ſi *A. CXXVII.* indicaſſet, tunc modo *LXXV.* annos numeraſſet. Nam annis *XVII.* ½ adde *LVIII.* (ab *A. LXIX.* excluſive ſc. ad *CXXVII.*) fient *A. LXXV.* ½. Uno Verbo, Tertullianus multos annos Imperatoribus detrahit. Igitur eadem ſumma annorum, ab eodem Tempore deducta nobis citius, ipſi ſerius, reſpectu Imperatorum, deſinere debet.

§. 11. Tantum igitur abeſt, quin Dodwellus ſententiam Tertulliani aſſequutus fuerit. Ego meam nunc proponam, quam nullius ſyſtematis gratiâ effinxi, ſed quam manifeſto ipſius Auctoris verba indicant. §. 11. Vera loci explicatio

Primo ajo, deducendos eſſe hos *CXV.* annos ab *A. XV.* Tiberii, quem modo nominaverat Tertullianus, & in quem totum Chriſti miniſterium referebat. Hæc regula in dubium revocari non poteſt. Addo autem annum XV. unà includendum eſſe, tum quod Tertullianus potius remotiorem terminum, quam propriorem, ſumpturus fuerit in cauſæ ſuæ gratiam, tum quod reverâ Baptiſmus Chriſti, de quo præcipue hic res eſt, ineunte eo anno contigerit.

Secundo, finis illorum annorum vel ad initium vel ad finem Antonini Pii deducendus eſt. Deduco autem ad finem, his ratio-

Digitized by Google

tionibus permotus. 1.) In dubio, magis ſavebat Auctori, ſi finem aſſumeret utpote à Chriſto remotiorem, dubium autem ei erat, quo anno Antonini ortus eſſet Marcion. 2.) Hoc certum erat Tertulliano Marcionem, ultimo Antonini tempore, & anno, ab Eccleſiâ pulſum eſſe, atque ita tunc revera Hæreticum evaſiſſe. Ibi ergo conveniebat A. *CXV.* deſinere. Certe ſi ego Tertullianus fuiſſem, non aliter numeraſſem, & certius aſſumpſiſſem, & ſic omnes feciſſent, præcipue cum cauſæ faveat. Contigit autem hæc expulſio labente *A. CLXI.* (ultimo Antonini Pii, & primo Eleutheri anno) quem annum completum numerare debuit Tertullianus, cum menſem rei geſtæ ignoraret.

His poſitis, videamus num computus his probabilibus rationibus reſpondeat. Numerat Tertullianus à Chriſto nato ad initium Veſpaſiani *A. LII.* menſes ſex. aufer *A. XV.* Auguſti, & *XIV.* Tiberii, reſtant *A. XXIII. 6.* menſes quos numerabat ab *A. XV.* Tiberii ad Veſpaſianum, id eſt, ut ipſe inculcat, ad mortem Vitellii. Mors autem Vitellii contigit *A. LXIX.* d. 22. Dec. Unde ſuperſunt 9. dies ad *A. LXX.* id eſt, *fere dimidius menſis*, maxime ſi aliquot dies addas, qui de *A. XV.* Tiberii ante Baptiſmum Chriſti menſe Januario factum, effluxerant. Habemus ergo jam *XXIII. A. 6. M.* ½, hos tolle a *CXV. 6.* M. ½ reſtant *XCII.* anni. Iſtos adde *A. LXIX.* ad quem perveneramus incluſive, evadent *A. CLXI.* Completi. Ergo deſinunt *A. CXV. 6.* ½ in *A. CLXI.* incluſo, ex mente Tertulliani. Vides nullam ei vim factam, nullam ſuppoſitionem adhibitam. Quis dubitabit ergo attigiſſe nos veram ejus ſententiam?

CAP.

Digitized by Google

CAPUT X.

De Hæreſium nonnullarum Antiquitate, & expulſione.

ARGUMENTUM.

Valentinianorum ortorum tempus multis argumentis firmatur. §. 1. *Valentinus prius Hæreticus quam Romam veniret.* §. 2. *Baſilidis ætas inveſtigatur.* §. 3. *Carpocratis, Marcellinæ, & Cerdonis tempus figitur.* §. 4. *Hæreticorum ab Eccleſia ſeparatio quandonam contigerit.* §. 5.

§. 1.

Longe apertior eſt aliorum quorundam Hæreticorum origo, quam Marcionitarum, adeoque ad Inſtitutum noſtrum aptior, præcipue, cum ex illorum tempore invento, Marcionitarum etiam tempus invenire, certe certius determinare difficile futurum non ſit. Ut ab iis incipiam, qui præ aliis minori negotio determinari poterunt, ſtatim Valentinianos aggrediar.

§. 1. Valentinianorum origo teſtimoniis multis firmatur.

Valentinus Romam venit, ibi Hæreſin ſuam ſparſurus, Hygino Romanum Epiſcopatum tenente. Id eſt, ex meo Syſtemate circa *A. CXX.* Si igitur probem illo revera tempore id contigiſſe, demonſtratum erit me recte Chronologiam meam ſtatuiſſe. Undique igitur rationes, & indicia conquiram hanc theſin oſtenſurus.

Primo, Clementis Alexandrini teſtimonium omni exceptione majus eſt, cum nemo eo aptior ad hæc inveſtiganda fuerit, tum ob antiquitatem, cum ob eruditionem, itinera, diligentem omnium ab Hæreticis ſcriptorum librorum lectionem, &c. Is vero Valentinum ſub Hadriano floruiſſe, & uſque ad Anto-

Digitized by Google

ninum Pium duraſſe dicit; Locum jam ſuprà allegavimus illuſtravimusque. Initium autem Hadriani eſt A. CXVII. Antonini A. CXXXVIII. Diu autem docuit Valentinus. Ergo ſub initia Hadriani ortus fuerit oportet.

Secundo. Accuratius adhuc id oſtendi, & annus exacte quæri poterit, ſi conferas verba Clementis citata cum Irenæo L. III. Cap. IV. ubi Valentinus dicitur ſub Hygino ortus, ſub Pio floruiſſe, & uſque ad Anicetum vixiſſe. Sedit Hyginus annos IV. Pius XX. vel ut alii XV. de quo ſuo loco, Anicetus XI. juxta alios fere XX. Valentinus ortus eſt ſub Hygino, & circiter II. annos ſub eo floruit, ſub Pio XV. vel XX. ſub initia Aniceti, forte anno ejus I. II. vel III. obiit, ſumma annorum XIX. vel paulo plurium, ponamus circiter XX. Et cum mortuus ſit Valentinus ſub initia Antonini Pii; Ab anno ejus II. vel III., noſtro circiter CXL., retro numeremus annos XX., incidet Valentini initium in A. CXX. ubi à nobis conſtitutum fuerat.

Tertio. Victorinus (quem Autbertus ſequitur) in Comm. in Apocalypſin, Valentinum ætate apoſtolicâ collocat. Nempe ætas apoſtolica, etiam tempus primæ Apoſtolorum ſucceſſionis dicebatur, quod uſque ad A. CXX. circiter, ad ſummum CXXX. extendi poterat.

Quarto. Juſtinus Martyr, contra Hæreſes ſcribens, Valentinianos refutavit, ut liquet ex Tertull. C. Valent. Cap. V. Hoc autem opus, Cedreno teſte, ſub Hadriano ſcriptum fuit.

Quinto. Irenæus Præf. in L. IV. ait *multos ſe meliores, & qui ante nos* (inquit) *fuerunt, Valentinianos refutaſſe*, parum tamen felici ſucceſſu. Hæc Irenæus circa A. CLXXV. ſcribebat, ſenex jam fere octuagenarius. Unde qui eo ſeniores fuerunt, & ante eum vixerunt, jam dudum mortui eſſe debuerunt, & dudum contra Valentinianos ſcripſiſſe, certe minimum XXX. vel XL. ante annis, circa A. CXL. ſi non citius.

Sexto. Clemens Alex. loco ſæpe allegato teſtatur, aliique ſuf-

Digitized by Google

ſuffragantur, Valentinum profiteri ſe omnem ſuam Doctrinam à Theodade, vel ut recte correxit Angliæ decus Potterus, Theudâ Pauli comite accepiſſe. Paulus autem mortuus erat ante A. LXX. ejusque Comes certe XXX. vel XL. annorum tunc eſſe debuit. Unde vix ultra A. C. vivere potuit. Et ſi eum audiverit Valentinus, certe à XXmo. ad XXXmum. annum circiter cenſendus eſt id feciſſe. Unde vitæ humanæ ratio non patitur, ut ultra A. CXL. vixerit, adeoque poſt A. CXX. Hæreſin ſparſerit. Hoc argumentum mihi invictum videtur. Dices mentiri Valentinum. Sed probo, præcipue cum fateantur antiqui Theodam illum Heterodoxum, & Valentinianorum magiſtrum fuiſſe. Et conceſſo eum mentiri, is certe rerum ſtatus eſſe debebat, ut cum aliquâ veri ſpecie id fingere poſſet. Dixiſſetne ſe Magiſtrum audiviſſe, ipſe juvenis adhuc, jam ante LX. vel LXX. annos defunctum?

Septimo. Arctiſſimo nexu inter ſe junguntur omnes illi antiqui Hæretici, qui conjunctim Gnoſtici vocabantur; Ita ut fere eodem tempore p ſſim emergerent, & de plerisque dubium eſſet, uter utrius Præceptor extitiſſet. Vid. Irenæum, & ex eo Epiph. Hær. Valent. §. 5. &c. Imo vide omnes antiquos inter quos de hac re conſtat. Unde quicquid de Marcionis ætate diximus, qui ſtatim poſt Valentinum Romam venit, & quæcunque de Carpocrate, Cerdone aliisque, eodem cum Valentino tempore ortis, dicemus, huc referenda ſunt, & ulterius dicta mea probant.

§. 2. Interim non poſſum non hic monere perſuaſum me eſſe, Valentinum jam, priusquam Romam veniret, Hæreſin ſuam docuiſſe per aliquot annorum tempus. Cujus rationes paucis hic afferam. §. 2. Valentinus prius Hæreticus quam Romam veniret.

Primo. Epiphanius teſtatur Valentinum in Ægypto Hæreſin ſuam primo publicaviſſe. In Cypro Inſulâ prorſus à Veritate defeciſſe.

Secundo. Jam dictum eſt ex ipſorum antiquorum, Epiphanii aliorumque propriâ confeſſione, incertum eſſe quænam illius temporis Hæreſes poſteriores prioresve eſſent, iis ſc. exceptis

ceptis, quæ ad certas Epochas Hiſtoricas alligatæ reperiuntur. Verbi cauſſâ, dubium eſſe, quis prior Carpocrate, Valentino & aliis nonnullis. Attamen iidem auctores alibi evidenter Carpocratem, Baſilidemque aliosque Valentino priores aſſerunt, & eos itinere Valentini Romano antiquiores eſſe conſtat. Igitur jam per aliquod tempus, incertæ durationis, Valentinus Hæreſin ſparſerat, antequam Romam veniret.

Tertio. Iſtud longe manifeſtiſſimum. Heracleon Valentini diſcipulus fuit: Referunt Irenæus *L. II. Cap. IV.* Clemens Alex. *L. IV. Cap.* IX. Tertull. adv. Valentin. Cap. IV. Origenes in Joh. p. 60. Epiphanius, &c. Ut adeo de hâc re dubitari non queat. Deinde Cerdon Heracleone poſterior, ejusque diſcipulus fuit, ut Epiphanius Hær. XLI. initio, diſerte monet. Jam Cerdon Romam ſub Hygino venit ante Marcionem, eodem fere cum Valentino tempore, Hæreſin ſuam ſparſurus. Hoc notiſſimum. Inde vero ſequitur, Valentinum jam per temporis non exiguum ſpacium docuiſſe, priusquam Romam veniret. Inſtituit enim Heracleonem, Heracleon Cerdonem, & tamen Cerdon unà cum Valentino Romæ docuit.

Non eodem jure aſſeruit Vir Cl. Ittigius, de Hæreſ. §. *II.* Cap. *VII.* No. 5. Marcionem Hæreſin ſuam prius prædicaviſſe quam Romam veniret. Duobus argumentis id conficere conatur, 1. quod Philaſtrius Marcionem narret ob Hæreſin à Joanne Apoſtolo pulſum, & Epheſo fugatum. 2. quod Epiphanius Marcionem Hæreſin ſuam in Syriâ ſparſiſſe dicat, priusquam Romam veniret. Sed quod ad 1. attinet, Philaſtrii, parvæ fidei auctoris, traditionem fabuloſam eſſe ipſe Ittigius agnoſcit, nemoque negare ſuſtinebit. Quoad 2. nusquam hoc de Marcione Epiphanius. Lapſus eſt ſc. Ittigius, & quod de Cerdone narratum eſt, Marcioni tribuit, etiamſi nec de Cerdone hoc αὐτολεξεὶ habeat Epiphanius, ſed ſolum è Syriâ veniſſe, Romæque Hæreſin evomuiſſe Cerdonem dicat. Injuria igitur inſurrexit Ittigius adverſus conſtantiſſimam de lapſu Marcionis Romano narrationem.

Ca-

Digitized by Google

Cæterum Tertulliani narratio, Valentinum ſub Antonino, & Eleuthero pulſum dicentis, non magis mihi obſtat ac ſuprà, ubi de Marcione idem recurrebat. De quo hoc ipſo capite dicam. Interim errat Tertullianus, cum Valentinum incaute Hæreticis illis adnumerat, qui tunc ab Eccleſiâ ſeparati fuere. De aliis concedo, de Valentino falſum, quem uſque ad initia Antonini & Anicetum vixiſſe oſtendimus. Tertullianus parum admodum iſta expendere ſolebat. Unde Irenæo major & integra fides adhibenda, utpote qui coævus erat, & jam decrepitâ ætate ſub Eleuthero illo ſcribebat, mortuo tamen dudum Valentino.

§. 3. Tranſeo ad Baſilidem, qui ante Valentinum ortus eſt, adeoque ante Hygini Epiſcopatum. Hyginus autem Epiſcopus factus *A. CXVIII.* Ergo Baſilides citius prodiit, adeoque ſub finem Trajani vel etiam prius. Videamus ex Hiſtoriâ num recte hæc conſtituta ſint. §. 3. Baſilidis ætas inveſtigatur.

Primo. Sub Hadriano floruiſſe Baſilidem conſtat omnium teſtimonio. Et nemo eum ſub Antonino fuiſſe dicit, niſi quod Clemens Alexandrinus eum uſque ad Antoninum vixiſſe dicat. Docuit autem diu Baſilides, unde certe toto Hadriani tempore docere debuit.

Secundo. Hieronymus in Catalogo ſub Agrippæ nomine, Baſilidem ſub Hadriano adhuc mortuum eſſe dicit. Quod optime cum Clemente cohæret. Qui enim ultimo Hadriani anno mortuus eſt, uſque ad Antoninum vixit. Et abſque ratione Hieronymum emendare volunt, quos refutavit invicte Pearſonius in Vindiciis Ignatianis. Conf. Dodwellus Diſſ. *III.* in Iren. Quorum rationibus hoc adde, quod proculdubio Euſebius legerit alicubi Baſilidem ſub Teleſphoro floruiſſe. Antiquiſſimi enim Patres Hæreticos ad Epiſcoporum tempora referebant. Sedit autem Teleſphorus ab *A. CVII.* ad *CXVIII.* At cum Euſebius annos Epiſcoporum detruderet, Hæreticos quoque & adeo Baſilidem detrudere debuit, unde eum in Chronico ad *A. CXXXIV.* collocat, ſub ſuo nempe Teleſphoro. &c.

Digitized by Google

Tertio. Agrippa Caſtor ſub Hadriano adverſus Baſilidem ſcripſit. Euſeb. d. IV. Cap. 7. In hoc ſuo opere autem Baſilidis filium Iſidorum unà refutavit. Theodor. L. I. Hær. fab. Atqui, qui filium notiſſimum Hæreſiarcham jam Hadriani tempore habuit, ſuum ſc. diſcipulum, is certe ante Hadrianum in Hæreſin incidit.

Quarto. Baſilides Glauciam Petri Interpretem pro Præceptore ſe habuiſſe ajebat. Petrus autem mortuus eſt *A. LXVIII.* Unde Interpres ejus vix A. C. attingere potuit. Si itaque hujus Diſcipulus fuerit Baſilides, etiamſi ſeptuagenarius ſtatuatur evaſiſſe, tamen ſub finem Hadriani mortuus erit. Et recte dicetur brevi poſt *A. CX.* ſub Trajano docuiſſe, fere quadragenarius, & elapſis aliquot (v. g. *XV.* vel *XX.*) à morte Præceptoris, annis.

Quinto. Chronologi nonnulli antiqui, ut Joël Chronographus aliquis, & Abulpharagius Baſilidem & Saturninum ſub Trajano ponunt, & Ignatio *συγχεόνους* faciunt.

Sexto. Hieronymus ipſe in Dial. C. Lucif. non dubitat Baſilidem Apoſtolorum temporibus aſſignare. Quod ſic intelligendum, ut de Baſilidis juventute non Hæreſi res ſit. Revera enim Baſilides partim Sæc. I. vixit, adeoque vivente adhuc, juxta Hieronymum, Joanne.

Septimo. Conſtitutionum Apoſtolicarum auctor antiquiſſimus, & qui ex Apoſtolicæ ætatis monumentis opus ſuum compilavit, Baſilidem & Saturninum Apoſtolorum quoque diebus collocat. Unde liquet perſuaſos fuiſſe omnes de eorum imâ antiquitate. In eadem ſententia verſantur Epiſtolæ ſub Ignatii nomine.

Octavo. Epiphanius Hær. *XXXI.* ait Cerinthum & Ebionem immediate Baſilidem & Saturninum præceſſiſſe, *ὀλίγον ἐμπροσθεν*. Cerinthus autem & Ebion, ſiquidem non una perſona fuerint, Hæretici Sæculi *I.* fuerunt, ut notiſſimum & certiſſimum. Et ego alibi fuſius determinandum in me ſumpſi.

Nono. Menander immediate ſucceſſit Simoni ſub Claudio de-

Digitized by Google

defuncto, Saturninus & Baſilides Menandro. Iren. Clemens. Euſeb. Epiph. &c. Ergo iſti duo ineunte Sæculo *II*. floruere. Non enim moror Dodwelli commentum de Menandro Hæreticorum primo *A. CXVII.* ab Eccleſiâ diſcedente, quod nullo fundamento nititur. Concedo ei tamen ex animo, Hæreticos ſero ex Eccleſiâ pulſos, licet dudum dogmata ſua docerent.

Ex hiſce omnibus rationibus concludo Baſilidem & Saturninum, qui uno eodemque tempore docuerunt, ſub Trajano Hæreſin propagaſſe, adeoque Chronologiam noſtram rectè ſe habere.

§. 4. Eadem cum Valentino aliisque ætate vixiſſe Carpocratem, Itinere tamen Valentini Romano priorem, conſtat. Unde non abs re erit & hujus tempus inveſtigare, cum omnino aliqua hujus nota ſuppetat. §. 4. Carpocratis & Marcellinæ ætas.

Mortuo nempe Carpocrate ejusque filio Epiphane, orta eſt mulier quædam Marcellina nomine, Carpocratianæ Sectæ addicta, quæ ex Oriente ubi Hæretici illi fuerant (procul dubio ex Cephalleniâ inſulâ, ubi Epiphanes docuerat, ſepultus erat, adorabaturque) Romam ſub Aniceto Epiſcopo, qui Pio, iſte Hygino ſucceſſerat, venit. Illa poſt adventum dogmata ſua diſſeminavit, & magnum Sectatorum numerum coëgit. Vid. Irenæus *L. I. Cap. XXIV.* Epiph. Hær. XXVII. Auguſtinus, &c.

Quid ſi annus circiter hujus rei geſtæ reperiri poſſit, omnino & retrogrediendo Carpocratis ætas habebitur, & eadem operâ tempus habebitur, quo Anicetus Epiſcopus fuit.

Celſus qui contra Chriſtianos ſcripſit, ſub Hadriano & ultrà vixit, Origene teſte. Unde non injuriâ ſub Antonino Pio ſcripſiſſe dicetur. Agit autem Celſus de Carpocratianorum & Marcellianorum Hæreſibus tanquam notiſſimis ap. Orig. L. V. Ubi non poteſt non agnoſci hujus Marcellinæ Secta. Cum itaque mortuus ſit Antoninus Pius, A. CLXI. citius ſcripſit Celſus. Et debebant ſane, cum ſcriberet, aliquot jam anni elapſi eſſe ab adventu Marcellinæ. Unde ſane is adventus ante A.

CL. collocandus. Ex meâ vero Chronologiâ ſedit Anicetus ab A. CXLI. ad CLII. Ergo firmatur mea Chronologia. Sed & una figitur Marcellinæ tempus. Et cum Carpocrates diu admodum docuerit, filius quoque ejus Epiphanes ab ipſo inſtitutus ad XVIImum annum pervenerit, & tam tenerâ ætate Hæreticorum fere celeberrimus fuerit, &c. Marcellina vero poſt eorum mortem venerit, ſequetur ſaltem XXX. annis retro Carpocratis originem collocandam eſſe, adeoque ante. A. CXX. Unde iterum Hæreticorum jam memoratorum §. §. præc. tempus, & noſtra Chronologia firmantur.

Cæterum Celſum ſub Antonino Pio contra Chriſtianos ſcripſiſſe, hoc ipſo capite, novo & egregio indicio, probabitur.

Cerdonis tempus. Expenſis ita Carpocratianis, ſolus adhuc ſupereſt Cerdon, qui nobis uſui eſſe poſſit, utpote qui ſub Hygino Epiſcopo Romam venerit. Sed libenter fateor me nullum peculiare indicium reperire potuiſſe, quo ipſius ætatem firmarem. Sufficit jam certum eſſe multis argumentis Hygini tempus. Sufficit Cerdonem ante Marcionem, unà fere cum Valentino, Romam veniſſe, & Hæreticis à nobis recenſitis σύγχρονον fuiſſe. Ita ut ex aliis de eo ſatis ſuperque conſtet.

§. 5. Hæreticorum ab Eccleſiâ ſeparatio. §. 5. Jam ſupereſt fidem meam liberem, & promiſſam Diſquiſitionem de Hæreticorum ex Eccleſiâ expulſione adjungam. Dico igitur Hæreticos antiquos illos uſque ad Sæc. *III.* non ſtatim, & ipſo facto à Communione Eccleſiæ ejectos fuiſſe, cum dogmata ſua docerent, ſed diu in ea permanſiſſe, & de eorum opinionibus ultro citroque diſputatum eſſe, donec tandem cum ſuccumberent, poſt multos annos ejicerentur. Exemplis huic propoſitioni fidem faciam.

Primis & antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus Hæreſes in ſinu ejus delituiſſe, nec ſeparationem ab eâ feciſſe teſtatur Hegeſippus ap. Euſeb. L. *III.* Cap. *XXXII.* Et L. IV. XXII. Symeone autem in Epiſcopum electo (non paſſo, ut perperam intellexit Dodwellus), quod circa A. LXX. contigit, diſſenſiones auctas, invidiâ nempe aliiſque politicis rationibus acceden-

Digitized by Google

dentibus, & ſic demum abſceſſiſſe Sectas multas ab Eccleſiâ.

Priuſquam autem diſcederent, cave credas eos dogmata ſua occuluiſſe, aut diſſimulaſſe. Id contra fidem omnem Hiſtoriæ eſſet. Nam præcipuos ſuos & capitales Errores jam dudum profitebantur. v. g. *Quod Vetus Teſtamentum à malo Principio oriretur, & vitiatum eſſet: Quod Reſurrectio mortuorum futura non eſſet: Quod Chriſtus Propheta, nil aliud autem eſſet: Quod Leges Judaicæ obſervandæ forent: Quod fatum res humanas duceret: Quod Apoſtoli Chriſti doctrinam male referrent: Quod ipſi inter ſe diviſi eſſent, & ſeſe invicem damnarent.* Hæc vivis Apoſtolis omnia, iis oppoſita fuiſſe, ante ſeparationem Hæreticorum, liquet ex ipſo N. T. & ex iis qui de antiquiſſimis illis Hæreſibus ſcripſerunt, itemque ex ultimæ antiquitatis monumentis, ut Recognitionibus, &c. Conf. Tertull. de Præſcr. Cap. XXXIII.

Sed manifeſtius adhuc, in ſecundi Sæculi Hæreticis, videri iſta poſſunt. Aio igitur Valentinianos, Marcionitas, Carpocratianos, omneſque illas graviſſimas Hæreſes, per longum admodum tempus, in Eccleſiâ remanſiſſe, nec non niſi diu poſt originem, ab aliquo Epiſcopo Romano aut aliâ occaſione ejectos.

Tertullianus diſerte multis in locis hoc probat. Nam Marcionem, Valentinum alioſque Hæreticos primo in Catholicam doctrinam credidiſſe, deinde cum ob inquietam ſemper curioſitatem fratres vitiarent, ſemel iterumque ab Eleuthero ejectos, noviſſime ab eo in perpetuum diſcidium relegatos fuiſſe. At vero quantum hæ Hæreſes Eleuthero antiquiores ſint, jam diximus. Et id probe noverat Tertullianus, qui diſerte his verbis ſignificat, eos diu in Eccleſiâ fuiſſe antequam penitus ejicerentur.

Irenæus L. IV. Cap. IV. & ex eo Euſebius aſſerunt Cerdonem ſæpe profeſſionem unionis cum Eccleſiâ feciſſe, & dogmata ſua docuiſſe, donec prorſus pelleretur.

Ne autem multis hic loca auctorum coacervem, ſufficiet, uno luculento documento, Theſin meam vindicare, nempe Montaniſtarum Hiſtoriâ: Qui licet jam multis retro annis, nempe ante A. CXL., ut deinde oſtendam, dogmata ſua propagaverint, tamen per multos adhuc annos in Eccleſiæ communione manſerunt, ita ut cum Eleutherus eos inde ſeparare vellet, Eccleſiæ Gallicanæ, totis viribus obſiſterent, nec Irenæus eos in Hæreticorum ſuorum catalogum referre vellet. Quæ facta nimium nota ſunt, quam ut probari debeant, æque ac alia multa eodem facientia, & quæ brevitatis ergo hic non referam.

Huc quoque, ſi huic negotio immorari liceret, Artemonitas referre poſſem ante Zephyrinum, qui eos expulit, nullam peculiarem Sectam conſtituentes, ita ut gloriarentur totam antea Eccleſiam in eorum opinione fuiſſe, &c. Sed ad alia pergo, mihi magis neceſſaria. Celſum tamen omittere non poſſum, qui egregios hanc in rem locos habet, ex quibus eadem opera poſſit tempus, quo ſcripſit, determinari. Sic ap. Orig. L. V. p. 279. 280. Marcionitas, Simonianos, Valentinianos & omnes alios Hæreticos cum Chriſtianis cæteris confundit. L. VI. p. 321. Marcionis dicta & dogmata, ut Doctoris apud omnes Chriſtianos tolerati &c. allegat. L. II. p. 79. 80. Chriſtianos cunctos pro variis doctrinis ſcripturas corrumpere dicit, quod ad Hæreticos pertinere notat Origenes. L. III. p. 121. Apud Chriſtianos fere quot capita tot ſententias eſſe dicit, & de eorum ſectis ita agit, quaſi Eccleſias diverſas non conſtituerent. Ex quibus liquet Celſum eo tempore ſcripſiſſe, quo Marcionitæ, Valentiniani &c. nondum pulſi erant. Id vero vivo adhuc Antonino Pio contigit.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT XI.

De Montaniſtarum primâ origine.

ARGUMENTUM.

Variæ de Montani tempore opiniones refelluntur, §. 1. *Notæ hujus rei quæruntur ex ætate quorundam Montani adverſariorum.* §. 2. *quæ ex Miltiadis hiſtoriâ detegitur.* §. 3. *& ex pace quatuordecennali Maximillæ mortem ſequuta, ſub Commodo, non alio Imperatore*, §. 4. *Ne quidem ſub Alexandro, quicquid dicat Herodianus*, §. 5. *Qui ſecum ipſe pugnat.* §. 6. *Et multis modis refellitur.* §. 7. *Ætas vera Montani. Epiphanii ſententia cum veritate conciliatur.* §. 8. *Tertulliani locus explicatur.* §. 9. *Montanus ſub Pio Epiſcopo Romano ortus.* §. 10.

§. 1.

§. 1. Variæ opiniones de tempore ortu Montaniſticæ Hæreſeos.

Ultima quæ nobis expendenda eſt Hæreſis, Montaniſtica eſt, quam inſignem Chronologiæ noſtræ lucem præbituram eſſe, ſpondeo. Ejus monenti hæc materia eſt, ut integro capite pertractari debeat.

Tanta undique eſt varietas, in Montaniſtarum origine recenſendâ, ut vix videatur tuto aliquid de ea pronunciari poſſe. Euſebius nobis quidem multa antiquorum auctorum fragmenta ſervavit, qui ipſo Montani tempore eum oppugnavere. Sed nullus eorum vel ad Imperatorem aliquem, vel ad aliam Epocham, Hæreſeωs hujus initia aſſignat, niſi quod ſub Grato Aſiæ Proconſule id collocandum eſſe, aliquis dicat, quem fruſtra ſane hodie quæres, fruſtra certe Proconſulatus tempus inveſtigabis. Itaque in tres fere partes abeunt antiqui Chronologi.

Chronici Alexandrini auctor, Montaniſtas ortos eſſe dicit,

A.

A. IV. Commodi Imperatoris, Chriſti CLXXXIII.

Citius Euſebius; qui eorum originem, anno M. Aurelii Antonini Philoſophi XI. Chriſti CLXX., collocat.

Extremum aliud tenet Epiphanius, quem Pearſonius ac Dodwellus ſequuntur, qui annum XIX. Antonini Pii, Chriſti CLVI. nominat.

Quartam quaſi ſententiam tenet Petavius cum ſequacibus, qui omnes hos auctores conciliaturi, mendum in Epiphanio ſupponunt, & pro Antonino Pio, M. Antoninum Philoſophum intelligunt, Atque ſic annum XIX. M. Aurelii, Chriſti CLXXIX. aſſumunt, medium fere inter Euſebium, & Chron. Alex. tenentes.

Refutantur. Ex hiſce quatuor Syſtematibus, poſtremum multis notis rejecit Pearſonius, & ſane nullâ auctoritate, nullo teſtimonio nititur. Primum & ſecundum, ſolâ Euſebii & Chronici Alex. fide ſtabilita ſunt; Auctores vero iſti Syſtema præconceptum, plerumque falſum, ſequebantur, & Hiſtorias arbitrarie annis ſuis alligare ſolebant.

Tertiam Hypotheſin multis argumentis confirmare conatur Pearſonius. Sed fruſtrà. Nititur rationibus ſuis circa Juſtini Martyris vitam, quæ ab iis toto cœlo differunt, quas nos antea veras oſtendimus. Unde nequidem refutatione Pearſonii hic opus erit. Deinde ſupponit ubique, Encratitas, Tatiani ſectatores, Montaniſtis priores eſſe, & hâc ſuppoſitione ejus Syſtema nititur. Agnoſco hoc dicere Epiphanium, ſed errare iſthic Epiphanium ajo, imo ſibi ipſi contrarium eſſe: Nam Montaniſtas ſupponens ſub Antonino Pio ortos eſſe, Tatianum ſub Hadriano collocat, quod ex alio πρώτῳ ψεύδει ipſius fluit, Juſtinum Martyrem ſub Hadriano paſſum. Sed hæc omnia inepta. Adeoque futile Pearſonii Syſtema. Quo accedit, Epiphanium alibi aliud Montaniſtarum origini tempus aſſignare, nempe Hær. LI. eos annis XCIII. poſt mortem Chriſti ortos eſſe aſſerit, quod annum CXXVI. dat, ex hodiernâ Computandi ratione. Imo ibidem Marcionitas modo CXII. annis prius-

Digitized by Google

priuſquam ſcriberet ortos innuit, quod tamen mendum eſt longe manifeſtiſſimum.

§. 2. Ergo omnibus hiſce Syſtematibus neglectis, Montaniſtarum genuinum initium ex Auctoribus accuratiſſimis & συγχρόνοις eruere conabor. Utar ergo monumentis quæ nobis Euſebius ſervavit L. V. Hiſt. Eccl. ubi Cap. XVI. ex Antiquo quodam, quem nonnulli Apollinarem, alii Aſterium credunt, Cap. XVII. Ex eodem, & Militiade Cap. *XVIII.* Ex Apollonio, Cap. XIX. Ex Serapione, multa de Montaniſtis affert. Fuerunt autem cuncti hi ſcriptores Montaniſtarum coævi, adeoque omni fide digniſſimi ſunt. Oportet modo varias, quas ſuppeditant, notas colligere, & inter ſe comparare, ut inde tutæ Epochæ naſcantur. §. 2. Notæ genuinæ ejus rei.

Notandum itaque primo Anonymum, ex quo Euſebius multa L. V. Cap. XVI. *XVII.* excerpſit, anno decimo quarto poſt Maximillæ mortem ſcripſiſſe. *Ab obitu Maximillæ uſque hanc diem jam pluſquam XIII. anni ſunt elapſi.* Cap. *XVI.* *Decimus quartus agitur annus ab obitu Maximillæ.* Cap. *XVII.* Mortuus quoque tunc erat Montanus, ut auctor ipſe frequenter inculcat. Et quidem Montanus & Priſcilla prius moriebantur quam Maximilla, utpote quæ ultima donum Prophetiæ inter Montaniſtas haberet, ut Cap. *XVII.* dicitur. Attamen Montanus & Priſcilla etiam vaticinabantur, ſed nimirum ante Maximillam è vitâ diſcedebant. Tempus quo antiqui nonnulli à Montani initio distabant.

Notandum ſecundo Apollonium, quem etiam Cap. *XVIII.* excerpit Euſebius, vivo adhuc Montano ejuſque Prophetiſſis Priſcillâ & Maximillâ, ſcripſiſſe. Nam de iis ubique ut viventibus loquitur.

Tertio, teſtatur Apollonius tunc cum ſcriberet, *quadrageſimum eſſe annum, à quo Montanus doctrinam ſuam ſparſiſſet.*

Colligantur nunc iſta. Vivebant Montanus ejuſque Prophetiſſæ, cum ſcriberet Apollonius. Ponamus vixiſſe eo uſque ſaltem, & ſtatim poſt editum librum Apollonii obiiſſe. Contigerit itaque id XL. annis poſt originem Montaniſtarum, ſcribebat autem Anonymus *XIII.* annis poſt eam mortem. Ergo ad

ad minimum A. *LIV.* poſt originem Montaniſtarum ſcribebat. Probabile eſt quidem ſerius ſcripſiſſe. Sed hic minimum & certiſſimum aſſumimus.

§. 3. Miltiadis, & Anonymi Scriptoris contra Montaniſtas.

§. 3. Supereſt igitur videamus quando Anonymus ille ſcripſerit. Id duobus modis reperiri poteſt.

Primo citat Miltiadem ſcriptorem Eccleſiaſticum tanquam viventem adhuc, *Hæc inveni in Libro quodam Montaniſtarum, quem contra Alcibiadem* (lege, *Miltiadem*) *fratrem noſtrum ſcripſerunt. Cap. XVII.* Defunctorum citationi ſemper vox *Beati* vel ſimile elogium addi ſolebat.

Refert autem Euſebius Miltiadem hunc, Apologiam ſcripſiſſe ad Principes mundi, i. e. ad Imperatores. Igitur vel ad M. Aurelium & L. Verum, vel ad M. Aurelium & Commodum, vel ad Severum & Caracallam. Sed non ad Severum, & Caracallam, nam Miltiades ſcriptor erat Victore Epiſcopo Romano antiquior, ut auctor antiquus contra Artemonitas teſtatur ap. Euſeb. L. V. Cap. *XXVIII.* Victor autem certiſſime Severi ætatem, & quidem pluribus annis præceſſit.

Ergo ad M. Aurelium ſcripta erat hæc Apologia. At M. Aurelius ſub finem Imperii ſui, certe ab *A. CLXXIV.*, Chriſtianos perſequi deſiit, ut omnibus notiſſimum, eo enim anno contigit prodigium illud Chriſtianæ Legioni tributum, quod etiamſi fabuloſum dicamus, conſtat tamen ab eo tempore, ſed forte jam antea etiam, Chriſtianos pacem habuiſſe. Accepit autem M. Aurelius Commodum in conſortium Imperii A. CLXXVI. demum. Igitur Miltiadis Apologia M. Aurelio & L. Vero oblata fuit, L. Verus autem mortuus eſt *A. CLXXIII.* Igitur ſequitur priorem eo anno eſſe Miltiadis Apologiam. Quod quum ita ſit, patet Miltiadem initio M. Aurelii floruiſſe.

Idem apertius adhuc ex jam citato loco auctoris antiqui contra Artemonitas patet. Si enim Miltiades antiquior ſit Victore, i. e. ſcripta ſua ante Victorem ediderit, Victor autem, quod certiſſimum eſt, Epiſcopus Rom. fuerit; Si ſerius, ſub Commodo, itidem ſequitur ſcripta ſua omnia edidiſſe Miltiadem

dem ſub M. Aurelio, vel initio Commodi. Igitur non longe ab iis temporibus ſcripſit Anonymus Montaniſtarum oppugnator.

§. 4. Sed hæc nimis generalia. En notam ſpecialiſſimam & manifeſtiſſimam. Prædixerat Maximilla poſt mortem ſuam perſequutiones graviſſimas, & maxima bella. Quam ſic refutat Anonymus, *Id mendacium eſt manifeſtiſſimum. Nam plusquam tredecim anni, ab obitu Maximillæ in hanc diem, jam elapſi ſunt, nec hoc toto tempore ullum aut particulare aut Univerſale bellum in mundo fuit. Sed & Chriſtianis pax maxima, miſericordiâ Dei, conceſſa eſt.* Quæramus igitur tredecim annos bellis & perſequutionibus immunes, & tempus ſcripti hujus libri habebimus, decimum quartum nempe Pacis hujus annum. §. 4. Pax quatuordecennalis poſt maximillæ mortem.

Sub M. Aurelio ſane eos nemo quæret. Nam maximâ temporis quo Imperavit parte, Chriſtianos perſequutus eſt; Et ab initio regni ad annum quintum vel ſextum, vel potius ultra, bellum Parthicum graviſſimum geſtum eſt. Ab anno ſexto ad finem Imperii gravius adhuc Germanicum. Non fuit ſub M. Aurelio.

Commodus Imperator A. CLXXX. ſucceſſit Patri. Erat tunc in bellica expeditione, quam ſtatim, pace qualem potuit factâ, deſeruit, & Romam eodem anno præſente *II.* Coſ. ineunte æſtate rediit. Statim quoque pacem Chriſtianis dedit, quos quamdiu Imperavit perſequutus non eſt, ut ex Hiſtoricis conſtat. Bella ſub eo geſta nulla leguntur, quæ vel aliquamdiu duraverint, vel aliquam celebritatem habuerint. Equidem Maternus quidam, latronis inſtar, aliquamdiu Hiſpanias infeſtavit, & Britanni ſemel in Romanos incurrerunt, brevi expulſi, nullo tamen prælio habito; Gothi in imo ſeptentrione inter ſe pugnarunt, & Mauros movere volentes, Legatus Auguſti compeſcuit. Sed hæc breviſſima, nullius momenti, & forte omnia Orientalibus incognita. Unde recte Pax ſub Commodo ubique dici potuit, præcipue à Scriptore cujus id intererat, & qui idcirco hyperbolice loqui potuit. Commodo ſucceſſit Pertinax, Pacificus & iſte uſque ad finem breviſſimi Imperii. Si autem Commodi & Pertina- Sed ſub Commodo.

cis tempus conjungas, *XIII.* annos habebis, imo plures, & *XIV.* numerare poſſumus, nam ultimis M. Aurelii menſibus ob hyemem, & M. Aurelii morbum nihil geſtum, & bellum incruentum fuit. Unde ſi Maximilla A. CLXXIX. mortua ſit, M. Aurelii ultimo, recte Anonymus noſter *A. CXCIII.* ſcribens, jam plusquam *XIII.* annis dixerit Pacem ubique eſſe.

Non autem ſub Severo, aliisque. Pertinace mortuo, bellum Civile inter Romanos arſit, quod totum orbem Romanum cruentavit, & à Parthis ad Hiſpanos diſcurrit. Finis huic bello impoſitus *A. CXCVIII.* Tum maxima in Chriſtianos Perſequutio cœpit Severo Imperante, qui Bellum Parthicum interea agebat, quo terminato, brevi *A. CCVIII.* Britannicum aggreſſus eſt, cui & immortuus eſt. Caracalla filius, A. CCXV. Germanicum, *CCXVI.* Parthicum bellum aggreſſus, ubi trucidatur. Inde bellum Civile *A. CCXVIII.* Deinde Heliogabali regnum uſque ad *A. CCXXII.* extenditur, quod quidem Pacificum fuit, ſed ſeditione contra Heliogabalum ipſum, Pacis anni interrupti ſunt: ne dicam Chriſtianos ſub Heliogabalo male habitos.

§. 5. An ſub Alexandro Severo? §. 5. Heliogabalum inſequutus eſt Alexander, & iſthic fateor iterum Pacem continuam occurrere, & quidem ſi Herodiano credimus annorum plus quam *XIII.* Nam in ſummâ Pace dicit Imperium Romanum verſatum eſſe, donec *A. XIV.* Alexandri, Perſæ illud invaderent. Sed Chriſtianos ab Imp. Alexandro nullam perſequutionem paſſos eſſe, conſtat.

Negatur. Attamen quo minus Alexandri Imperio, Pax illa tribuatur, quâ Anonymus noſter agit, multa ſunt quæ obſtant. Nam 1.) Verum eſt nunquam Alexandrum Edicto Chriſtianos inſequutum eſſe, ſed falſum eſt Chriſtianos ſub eo Pacem tam ſecuram habuiſſe, ut Auctor noſter de ſuo tempore dicit. Præſides Provinciarum, Præfecti Prætorio, aliique quibus nimium credebat Alexander, Chriſtianorum hoſtes erant infenſiſſimi, & eos ubi poterant laceſſebant. Ulpianus præ aliis, qui ſummam rerum gerebat, Chriſtianos, ut notum eſt, ingenti odio per-

Digitized by Google

perſequebatur. Et Baronius multos Martyres ad varios Alexandri annos exhibet.

Præcipue vero notandum 2.) Pacem illam ſub Alexandro multo minus *XIV.* annis duraſſe. Scio Herodianum mihi adverſari *L. VI. Cap. II.* cujus ſententiam jam adduxi. Sed facile Herodianum erroris convincam. Neque id mirum aut ridiculum videri debet. Ea enim Hiſtoriæ in Alexandri hujus geſtis varietas eſt, ut ne tutiſſimo quidem Auctori confidere audeas. Fidem ſuperat, quanta diverſitas inter ſcriptores hujus temporis reperiatur. Si illis credas, internecione cæſus eſt Alexandri exercitus à Perſis, & tali clade affectus, qualem prius Romani paſſi non erant. Si his, victoriam inſignem in Perſas obtinuit Alexander, & quâ nemo ante eum inſigniorem, de quâ etiam triumphavit. Quidam Ovinium in conſortium Imperii admiſiſſe dicunt, alii hoc Trajano tribuunt. Nonnulli in Britanniâ mortuum ferunt, alii in Galliâ. Alii inſcium & incautum interfectum dicunt, alii tantum non prælio cum rebellibus decertaſſe, &c. Facile eſt quoque Herodianum labi in anno expeditionis Perſicæ, cum vel ipſe, vel alii in rebus tam magni momenti labantur. Herodiano reſpondetur.

§. 6. Alexander imperavit A. XIV. ut numero rotundo Herodianus ait, ut vero Lampridius A. XIII. cum diebus 9. Initium Imperii ejus conſtat ad annum CCXXII. referendum eſſe, num ineuntem, aut medium, inter eruditos lis eſt. Sed hoc nobis non obſtat, nam qui ineunte A. CCXXII. ejus initium ponunt, ineunte A. CCXXXV. ejus finem collocant, & qui medio CCXXII. illi quoque medio CCXXXV. Unde in *XIII.* annorum completorum ſummam omnes conſentiunt, idque tempus nummi exigunt. §. 6. Herodianus ſecum ipſo pugnat.

Nunc ipſâ Herodiani hiſtoriâ utar, atque propriis armis eum convellam. Nunciatur Alexandro Artaxerxem Perſam in fines Romanorum irrupiſſe, Lib. VI. Cap. II. Alexander territus, conſilio capto, pacem quærit, & litteras ad Artaxerxem dat. Ibid. Qui eas contemnit, & gravior adhuc Romanis imminet. Ibid. Unde Alexander in Italiâ omnibusque Provinciis

delectus fieri jubet, exercitumque colligi. Cap. *III.* Poſtea exercitu ſecum ſumpto Romà abit, & in itinere Illyricas gentes viſit, exercitumque luſtrat, inde Antiochiam pergit. Cap. *IV.* Ibi omnia ad bellum neceſſaria parat, milites exercet, &c. Ibid. Interim Legatos Perſarum Regi mittit, qui infectâ re redeunt, Ibid. Deinde Perſæ ſplendidam ad Alexandrum legationem mittunt, fruſtrà quoque. Quo facto ſtatuit Alexander fluvios trajicere, ſed milites novas res moliri incipiunt, opprimuntur tamen & diſperguntur, ibid.

Iſta omnia certe annuum ſpatium exigunt, & citius adhuc biennium. Bellum à Perſis illatum, Legationes miſſæ, exercitus congregati, prolixum iter, novæ Legationes, & hyberna Antiochiæ habita, diſcordiæ civiles, &c. Quot negotia.

Tandem movet Alexander, & bellum gerit, quod æſtate perſectum, & certe aliquot menſium tempus exigebat. Vid. Cap. V. VI. Herodiani. Poſtea redux è bello Imperator atque æger, Antiochiam redit ubi convaleſcit, milites recreavit & muneribus auxit, atque omnia ad bellum denuo faciendum paravit, exercituſque legit. Cap. VI. ſed nunciatur Perſas fractos viribus quieſcere, unde Alexander liberior deliciis Antiochenis indulget. Ibid.

Hæc iterum minimum anno facta eſſe debent, ut æſtate nempe bellum geſtum, novi adparatus autumno, & deliciæ Antiochenæ in hybernis actæ.

Interim nunciatur Alexandro Germanos Rhenum Danubiumque transgreſſos, & rem Romanam in magno periculo eſſe. Proficiſcitur igitur, Romam redit, in Galliam venit & pontem Rheno injicit Cap. *VII.* Germanos laceſſit, ſed tam lente progreditur ut milites murmurent; Legationem mittit ad Germanos, pacem mercari quærit, & dum moras nectit interficitur. Ibid. & Cap. *VIII.*

Ponamus mediâ Hyeme profectum Antiochiâ; Iter eſt longum, nec Exercitus tam celeri greſſu progrediuntur. Igitur æſtate modo ad Rhenum venire potuit. Et ſane cum pontem Rheno

Digitized by Google

Rheno injecerit, liquet Hyemem tunc non fuiſſe, quâ Rhenus concreſcit, ut Herodianus ibid. narrat. Eodem igitur anno potuit interfici vel ſequente ineunte.

§. 7. Habemus ergo certe tres ad minimum annos ex ipſo Herodiano collectos, quos ſi *A. XIII.* Imperii annis tollas, ſequetur vix decem annis pacificum fuiſſe regnum Alexandri. Sed nimium ſingula contraxi, & plures anni concedendi ſunt, ut jam probabo. §. 7. Id ulterius probatur.

Etenim Dio, qui, ipſis Alexandri temporibus, primis honoribus apud Romanos fungebatur, in ultimo ſuæ Hiſtoriæ Libro referens Artaxerxis irruptionem in Romanas provincias, indicat eam *A. CCXXVIII.* vel *CCXXIX.* contigiſſe. Nam profitetur ſe ea modo narraturum, & perfunctorie quidem, quæ geſta ſint uſque ad *II.* ſuum Conſulatum, quo Hiſtoriam ſuam abſolvit. Attamen Expeditionis Perſarum mentionem facit, Ergo ſi ſerius, ea *A. CCXXIX.* contigit, quo Dio Coſ. *II.* geſſit. A. autem *CCXXIX.* Alexander nondum ad bellum profectus erat, nam Dio ibib. refert ſe cum Imperatore eo tempore in Campaniâ fuiſſe. De Artaxerxe autem narrat eum, expeditione in Armeniam factâ, juxta nonnullos quidem pulſum eſſe, juxta alios receſſiſſe in regnum ſuum, ut majoribus copiis collectis, novam irruptionem in Imperium Romanum pararet. Incerta enim adhuc harum rerum fama erat, unde apparet eas recenter geſtas eſſe, anno ipſo CCXXIX. vel labente præcedente. Adeoque male Pagius Artaxerxis irruptionem jam A. CCXXVII. collocat. Nam quomodo Dio biennio poſt Conſul, & cujus conſiliis Imperium regebatur, expeditionis Perſarum veram Hiſtoriam ignoraſſet. Profitetur ſane ſe, non admodum accurate, res ſub Alexandro geſtas noſſe, quod abſens plerumque fuiſſet. Sed hoc de minutioribus intelligendum, non de præcipuis Imperii negotiis. Deinde Artaxerxes *A. CCXXVII.* Parthorum jugum excuſſit. Quomodo ſtatim Romanos provocare auſus eſſet?

Non fallebantur ii, qui Artaxerxem rediturum cenſebant. Rediit omnino, & tandem Alexander adverſus eum movit.

Quod

Digitized by Google

Quod *A. CCXXX.* contigiſſe ex ipſo Herodiano evidentiſſimè ſequitur. Refert enim L. VI. Cap. 6. in fin. Perſas, poſt bellum cum Alexandro geſtum, 3. vel 4. annorum ſpatio quieviſſe. Igitur elapſo eo tempore arma denuo ſumpſerunt. Id autem Imperante adhuc Alexandro fiebat. Eos enim ſub Maximino non moviſſe, gloriatur ipſe Maximinus apud milites. Vid. Herod. L. *VII. Cap. VIII.* Maximinus autem A. CCXXXV. Alexandro ſucceſſit, unde ſi Perſæ A. CCXXXIV. bellum redintegraverint, ſequitur primum bellum A. CCXXX. geſtum.

Poſtremo hinc quoque id probatur. Euſebius in Hiſt. Eccl. Chronologico ordine Origenis hiſtoriam narrat. Refert autem L. VI. Cap. XXI. Origenem à Mammæâ Antiochiam evocatum fuiſſe, quod contigit quando Alexander ipſe, ob bellum Perſicum, Antiochiæ erat, bello ſc. jam confecto, quando ſatis diu Antiochiæ moratus eſt; Cum enim ante bellum in eam urbem adveniret, properabat ad fines Perſidos. Euſebius autem *poſtea* narrat Cap. *XXIII. XXIV.* Origenem, anno X. Alexandri, Alexandriâ Cæſaream migraſſe, id eſt A. C. CCXXXI. Ergo *antea* Antiochiam iverat. Ergo bellum Perſicum A. CCXXX. geſtum.

Jam obſervavit Pagius Nummos eſſe Alexandri, durante ejus TR. P. *VIII.* cuſos, & ſolis gradientis typis notatos, quod Emblema eſt Imperatoris in Orientem abeuntis. Reſpondet autem TR. P. *VIII. A. C. CCXXIX. & CCXXX.* Nummi alii eundem typum exhibent cum TR. P. *XII.* vel *XIII.* indicio Alexandrum, labente TR. P. *XII.* ex Oriente rediiſſe, & ineunte TR. P. *XIII.* Romam perveniſſe. Male Pagius ad TR. P. *XII.* refert iter Antiochiâ Romam, ad TR. P. *XIII.* Româ in Germaniam. Nam ſolis gradientis typus modo reditum ex Oriente notat, non profectionem ex urbe Occidentem verſus. Itaque ſic diſponendæ ſunt res geſtæ Alexandri. *A. CCXXVII.* Artaxerxes ſeu Ardſirus Babeganus Perſa, Parthorum jugo excuſſo, eorumque Rege Ardevano ſeu Artabano victo, ſe ipſum regem conſtituit.

A.

A. CCXXVIII. Artaxerxes res Imperii ſui conſtituit. Bellum Germanicum cujus mentio in nummis.

A. CCXXIX. Dio Coſ. *II.*, Alexander in Campaniâ verſatur. Artaxexis irruptio. Legationes à Romanis ad Perſas, & contra.

A. CCXXX. Alexander proficiſcitur in Orientem, ubi rebus diſpoſitis in Perſas movet. Bellum geritur. Alexander Antiochiam redit.

A. CCXXXI. Alexander Perſas quieſcere videns Antiochenis deliciis ſe tradit. Origenes Antiochiam venit.

A. CCXXXII. CCXXXIII. Alexander in Oriente moratur.

A. CCXXXIV. Perſæ, poſtquam *IV.* annis quieviſſent, ſecundo movent. Secundum bellum Perſicum, à quo avocatur Alexander ob motus Germanicos. Romam redit Imperator, ibique triumphat.

A. CCXXXV. Alexander in Germaniam exercitum ducit, ubi occiditur.

Differo, ut apparet ex hac Chronologiâ, in multis à Pagio. Quem nunc fuſe refellere non vacat. Sufficit Pacem quatuordecennalem hic locum non habere. Si ab *A. CCXXVIII.* vel *CCXXIX.* annos *XIV.* retro numeres, incides in *A. CCXIV.* & *CCXV.* poſt quos Bella Caracallæ & Macrini cum Parthis, & Aviti cum Macrino geſta ſunt. Hæc ſufficere poſſent, ſed adhuc pauca quædam ſententiam meam firmatura addere liceat.

Primo itaque affero teſtimonium Hiſtoricorum Orientalium apud Herbelotum in Bibl. Orient. ſub nomine Ardſchir Babegan. Referunt nempe illi hunc Artaxerxem ſeu Ardſiirum annis XIV. regnaſſe (Agathias habet XV.) & circa annum ſuum X. multas provincias Romanis eripuiſſe. Jam mortuus eſt anno *CCXLI.* Ergo Provincias illas anno *CCXXXVI.* vel *CCXXXV.* occupavit. Atqui refert Herodianus Perſas, poſt prælium cum Alexandro conſertum, per *III.* vel *IV.* annos Romanos

manos adgredi auſos non eſſe. Ergo prælium illud ante *A. CCXXXIII.* habitum.

Secundo. Artaxerxes Parthorum jugum excuſſit *A. CCXXVII.* Et non diu poſt Romanos aggreſſus eſt, ſtatim nempe cum interiorem Regni ſui ſtatum pacatum conſtituiſſet. Sic Herodianus, Agathias, & Orientales. Quis ergo crediderit eum fere decem annos expectaviſſe donec Romanis bellum inferret. Biennium ei concedo, quod omnino ſufficit. Tandem ſententiam meam demonſtrant nummi apud Mediobarbum p. 324. ubi ex unâ parte Alexander cernitur, ex alio victoriæ effigies cum Inſcriptione VICTORIA AUGUSTI, & vocibus VOT. X. annus autem decimus Alexandri, annis Chriſti *CCXXXI.* & *CCXXXII.* reſpondet. Ergo tunc bellum habebat Alexander & jam Perſas vicerat.

Et ſane Miltiadis ætas non patitur, ut Anonymum noſtrum ad Alexandri finem detrudamus. Nam à tempore oblatæ Miltiadis Apologiæ ad ultima Alexandri tempora, anni fere LXX. intercedunt. Non igitur potuiſſet tunc Miltiades in vivis eſſe. Quod utpote maximi momenti probe notandum.

Tandem ſi quis adhuc de hoc dubitaret, verba ipſa Anonymi eum plus quam ſatis refellent. Agit enim de Pace univerſali, ita ut *neque particulare neque univerſale bellum orbem turbaverit.* At quanti momenti, præcipue in Oriente, ubi auctor ſcribebat, bellum illud fuit, quo Artaxerxes Parthos Imperio Perſico privavit? Hoc bello Aſia fere tota turbata, novam Gentem, quæ ſe regeret, accepit, & Parthorum Imperium cecidit. Imo conſtat ex nummis, aliquod bellum Germanicum illuſtre annis *CCXXVIII.* & *CCXXIX.* fuiſſe, ut apud Mediobarbum pag. 322. 323. videre licet. De quo Hiſtoricos non loqui, mirum foret, niſi in Alexandri rebus omnia ab iis turbata noſſemus.

§. 8. Ex his Montani — §. 8. Conſtat ergo ad Commodi tempus Pacem hanc referendam eſſe. Cœpit nempe *A. CLXXIX.* labente, cum Marcus Imp. Marcomannis victis quieſceret, & duravit uſque ad *A.*

A. CXCIII. quo ipſis Cal. Jan. Commodus interficiebatur, vel uſque ad Martium ejuſdem anni, & Pertinacis mortem, A. XIII. & aliquot menſibus. origo deducitur.

Ita ſcripſerit Auctor noſter A. CXCIII. Et mortua erit Maximilla A. CLXXIX. Citius Montanus, & Priſcilla. Scribebat autem Apollonius iis vivis. Ergo non poſt A. CLXXVIII. Tunc quadrageſimus erat annus ab ortu Montaniſtarum. Itaque non poſt A. CXXXVIII. orti ſunt. Sed probabile eſt, & Maximillam non tam cito poſt Montanum mortuam, & Apollonium non ſtatim ante mortem Montani ſcripſiſſe. Itaque iterum cum Maximilla A. CLXXIX. mortua ſit, ponamus Priſcillam antea, Montanum vero A. CLXXV. mortuum, Apollonium A. CLXVI. ſcripſiſſe. Sic origo Montaniſtarum ad A. CXXVI. ſpectabit. Hos autem annos ideo præ aliis aſſumpſi, ut in gratiam redirem cum Epiphanio, qui Montani ortum alicubi, ut vidimus, XCIII. annis poſt Chriſtum paſſum collocat, id eſt, anno CXXVI. circiter. Item idem Epiphanius ſe anno CXII. poſt id tempus, ſcribere dicit, quod mendoſum eſt. Sed alibi nempe Hær. XLVIII. §. 2. non CXII. annos, ſed CCXC. habet, quod iterum abſurdum. Sed legendum CCL. Scribebat enim A. CCCLXXVI. Et facilis lapſus à πεντήκοντα in ἐννενήκοντα. At in Pearſonii Hypotheſi forent A. CCXX. quod abſurdum quoque, quia ex εἴκοσι nemo ἐννενήκοντα exſculpet. Et cum Epiphanio conciliatur.

His omnibus perpenſis nemo dubitare poteſt, Montani prima initia ad A. CXXVI. pertinere. Sed ex Hiſtoria liquet eum per aliquot annos Vaticinatum eſſe, antequam ſectatores colligeret, & dogmata Hæretica ſpargeret. Itaque Hæreſeos Montaniſticæ ortum in A. CXXXVI. differre poſſumus, Hadriani decimo nono. Et ſic omnino Epiphanium ſecum ipſo & nobiſcum conciliare poſſumus. Pro A. XIX. Antonini Pii, non Antoninum Philoſophum, ſed Hadrianum legendo. Et ſane huic conjecturæ non neceſſitas modo Hiſtoriæ, ſed & verborum Epiphanii nexus ſuffragatur; dicit enim Montaniſtas, *fuiſſe circa annum XIX. Antonini Pii, qui ſucceſſit Hadriano.*

no. Scripſiſſe ſupponamus *A. XIX. Hadriani*, facile eſt Criticum quendam, qui ſerius prodiiſſe Montaniſtas legiſſet, voces *Antonini Pii qui ſucceſſit*, interpoſuiſſe. Nec obſtat quod addit Epiphanius de Tatiano & Encratitis, ſed ſavet potius. Nam eos ſub Hadriano collocat, & tamen Montaniſtis *συγχεόνυς* facit. Scio eum *coævos & proxime ſequentes Montaniſtas* dicere. Verum proxime ſequuti eſſe poterant, qui pauculis annis diſtabant, vel de ordine, in Epiphanii Libro, obſervato hoc intelligendum.

§. 9. De Epiſcopo Romano tunc vivente, Tertulliani locus.

§. 9. Expendimus tempus ortæ Hæreſeos Montaniſticæ. Nunc utile foret quoque ex antiquo aliquo auctore expiſcari ſub quo Epiſcopo Romano fuerit. Id enim non parum Chronologiam noſtram illuſtraret. Suppetit autem ad hoc Tertullianus, qui in Libro contra Praxeam, non longe ab initio, Praxeam hunc ex Aſiâ Romam veniſſe dicit, & martyris nomine, jactantiæ cauſâ, aſſumpto, apud Epiſcopum tunc Romanum gratia polluiſſe. Et cum Epiſcopus ille Prophetias Montani agnoſcere, & pacem Eccleſiis dare paratus foret, à Praxeâ id conſilii ruptum eſſe.

Quæritur itaque quis fuerit Epiſcopus ille? Addit Tertullianus Præceſſores hujus Epiſcopi Montanum damnaſſe. Ergo ſaltem duo vel tres Epiſcopi Romæ fuerunt tempore Montani ante iſtum, de quo hic agitur. Si igitur hunc norimus, ſciemus quoque quis ille fuerit, ſub quo Montanus prodierit.

Duæ treſve notæ omnino indicare nobis poſſunt, quis fuerit Epiſcopus iſte. Primo, enim ſub eo Praxeas dicitur floruiſſe. Secundo, tempore alicujus Perſequutionis fuit, nam tunc cum Epiſcopus eſſet, Martyrium patiebatur, vel potius confeſſor evadebat Praxeas. Tertio, Montaniſtarum vaticinia agnoſcere paratus erat. Prima harum notarum maxime ambigua eſt, vix enim alibi mentio fit Praxeæ quam in Tertulliano, & nullibi tempus ejus accurate indicatur. Equidem Tertullianus eum *heſternum* vocat, & *novellum*. Sed generale hoc admodum eſt, & indicat modo Praxeam ætate adhuc Tertulliani vixiſſe. Præterea Pacianus nos docet, Zephyrinum Papam acriter

Digitized by Google

acriter Praxeæ reſtitiſſe. Quoad ſecundam notam, cum Pax perpetua Chriſtianis fuerit ſub Commodo, de duabus modo Perſequutionibus ſermo eſſe poteſt apud Tertullianum, nempe M. Aurelii, & Sept. Severi. Illa *A.* CLXI. cœpit, & duravit forte uſque ad *A.* CLXXIV. Iſta *A. CCII.* inchoata, juxta Dodwelli calculum, & ad *A. CCIV.* duravit. Tertia nota oſtendit hæc eo tempore contigiſſe, quo Montaniſtæ nondum pro manifeſtiſſimis Hæreticis habebantur, adeoque eo adduci poterat Epiſcopus Romanus ut eos probaret. Id vero ultra Eleutheri tempora non potuit fieri, nam ſub Victore & Zephyrino, & ultra, Montaniſtæ maximo in odio erant, de quo vel Tertulliani opera teſtari poterunt. Et quod ad Zephyrinum attinet, notum eſt ſub eo, ejus Presbyterum Cajum acriter adverſus Montaniſtas diſputaſſe, & quidem non longe à Zephyrini initiis, unde iſte, ſc. Zephyrinus nunquam Montaniſtis favere potuit.

§. 10. Jam colligantur hæ notæ. Zephyrinus Praxeæ hoſtis acerrimus, Montaniſtis infenſus, non potuit iſtis favere vel illi aurem præbere, eumque in primis amicis habere. Quemcunque autem calculum ſequaris, tempore Perſequutionis Severianæ Epiſcopus erat Zephyrinus. Ergo ſub M. Aurelio contigit Praxeæ hiſtoria. Igitur vel ſub Sotere vel ſub Eleuthero. Sed non ſub iſto. Nam Eleutherus nunquam Montaniſtis favit, nec ullis Hæreticis. Imo violentiſſimus erga eos fuit, & ſupra vidimus eum cunctos ex Eccleſiâ pepuliſſe. In ſpecie Montaniſtarum hoſtem eum fuiſſe inde patet, quod oportuerit Eccleſias Gallicas apud eum pro ipſis intercedere, teſte Euſebio L. V. Cap. II. Quæ tamen legatio nullum effectum habuiſſe legitur. Igitur Montaniſtis patrocinari non potuit Eleutherus. Igitur hæc ſub Sotero contigerunt, qui quoque Imperante M. Aurelio ſedit. Equidem Primaſius vel quisquis Prædeſtinati auctor eſt, Soterem contra Montaniſtas ſcripſiſſe dicit. Quod ob parvam hominis fidem incertum, meæ tamen ſententiæ non obſtat; nam non improbabile eſt, Soterem à Praxeâ perſuaſum, ſententiæ revocatæ rationem defendiſſe, ſcripto publice edito.

§. 11. Sub Pio prodierunt Montaniſtæ.

Digitized by Google

Omnia autem Sotero conveniunt. Perſequutionis tempore vixit (in meâ chronologiâ ſc. ſub Antonino Pio); Hæreticis adeo infenſus fuiſſe non legitur; Eo tempore ſedit, quo Montaniſtæ nondum ubique repellebantur, & quo plerique eos Eccleſiæ reconciliare volebant; Praxeas ſub eo ortus, ætate Tertulliani vivere potuit; Soter ergo, alius nemo, hic à Tertulliano reſpici poteſt.

Infero itaque Montaniſtas ſub Pio debuiſſe prodire. Nam Præceſſores Soteri eos damnabant, teſte Tertulliano. Ergo duo ſaltem, ante Soterum, Epiſcopi Romani Montaniſtas refutare potuerunt, nempe Anicetus qui ante Soterum, & Pius qui ante Anicetum ſedit. Fuit adeoque Pius Epiſcopus Romanus, cum Montaniſtæ orirentur circa A. CXXVI. Quod in meâ Chronologiâ verum, non omnino in Pearſonianâ, in vulgari impoſſibile, quæ ſic falſitatis redarguitur. Dices, potuiſſe Montaniſtas ſub Hygino vel citius adhuc oriri, nec enim Præceſſores Soteri ad duorum numerum reſtringendi ſunt. Reſpondeo, id rationem temporum non pati: Nam Montaniſtas Hæreſibus Valentini, Marcionis &c, poſteriores eſſe conſtat, quæ ſub Hygino natæ.

Et iſta de Montaniſtarum origine & tempore ſufficiant. Ego è diverticulo neceſſario in Viam redeo, & ſeriem Epiſcoporum Romanorum expendere pergo, Pii nempe tempora aggreſſurus, qui Hygino ſucceſſit à nobis jam expenſo. Sed ante omnia, Chronologia noſtra indiciis certiſſimis firmanda eſt, ex digreſſionibus noſtris petitis.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Notæ Chronologiam firmantes, & de annis Pii & Aniceti diſquiſitio.

ARGUMENTUM.

Notæ Chronologiam annorum Hygini firmantes §. 1. *Pii anni determinantur.* §. 2. *Pius non ſucceſſit Aniceto.* §. 3. *Aniceti anni.* §. 4. *Notis Hiſtoricis firmantur.* §. 5. *Num Anicetus annos* XVIII. *ſederit, quod negatur adverſus Pearſonium.* §. 6. 7. *Error Catalogi Latini correctus.* §. 8.

§. 1.

Licet in tantâ jam luce chronologiam noſtram collocaverimus, & tot Judiciis Hiſtoricis firmaverimus, cum non poſſit in adeo vexatâ quæſtione, ullum argumentum ſuperfluum eſſe, convenire arbitror ut ad annos Hygini, in quibus ſubſtitimus, nõtas colligam, quibus noſtram temporum rationem veram eſſe probatur, & quæ ſigillatim demonſtratæ ſunt in præcedentibus. §. 1. Notæ Chronologiam Pontificiam firmantes.

Primo. Marcion Romam immediate poſt Hygini mortem venit, (Cap. IX. §. 2.) Venit autem priusquem Hæreſin ſpargeret, quod ſtatim poſt ab eo factum & quod notiſſimum eſt. Hæreticus vero evaſit circa A. CXXII. (Cap. eod. S. 3. & 6.) Ergo Romam venit eodem anno ineunte vel CXXI. labente. Ergo tunc mortuus eſt Hyginus. Sed ex Chronologiâ noſtrâ id verum eſt. (Cap. VII. §. 12.) Igitur Chronologia noſtra demonſtrata eſt.

Secundo. Valentinus Romam venit ſub Hygino, quod ex confeſſo eſt. Venit autem circa A. CXX. (Cap. X. §. 1.) Juxta meas rationes A. CXX. ſedebat Hyginus (Cap. VII. §. 12.) Ergo rationes meæ accuratæ ſunt.

Ter-

Tertio. Cerdon ſub Hygino Romam venit; etiam de eo conſtat. Venit autem eodem quo Valentinus tempore, ut inde per ſe ſequitur. Ergo A. CXX. Ergo iterum firmatur computus meus.

Quarto. Baſilides Valentino prior fuit. Ergo ante Hyginum ortus. Non diu tamen antea, ut ex Irenæo, Epiphanio, aliisque omnes norunt, ſed aliquot ſolum annis. Atqui Baſilides ſub Trajani finem in Hæreſin lapſus eſt (Cap. X. §. 3.) Ergo Hyginus ſub Hadriani initia ſedere debuit. Hadriani initia ad A. CXVII. pertinent, Hygini ex meis rationibus ad A. CXVIII. Igitur recte meæ rationes ſeſe habent.

Quinto. Carpocrates σύγχρονος fuit Valentini. Prius tamen Hæreticus quam Valentinus Romam veniret, ut ex Iren. Epiph. aliisque vulgare. Carpocrates autem ante A. CXX. Hæreticus fuit (Cap. X. §. 4.) Ergo Valentini iter infra A. CXX. detrudi non debet. Ergo tunc ſedit Hyginus, &c.

Sexto. Montaniſtæ ſub Pio orti ſunt, ideoque mortuo jam Hygino. (Cap. XI. §. 10.) Atqui orti ſunt A. CXXVI. (Ibid. §. 8. Ergo Hyginus ante A. CXXVI. mortuus. Ex meo computo A. CXXII. obiit. Recte igitur meum Computum inii.

§. 2. Pii anni determinantur.

§. 2. His expenſis, nefas eſſet de Hygini tempore ulterius dubitare, præcipue cum tempus ejus ex iisdem notis hiſtoricis firmetur, ex quibus ſequentia Epiſcoporum tempora munienda erunt. Succeſſit igitur Hygino Pius, cujus annos ſic numerant Catalogi. Sedit nempe juxta

Catalogum	Liberianum	annos XX.
	Juſtinianæum	XVIII. lege XIX.
	Libri Pontificalis	XIX.
	Alia ejus Libri Mſsta	XI.
	Sub Litt. B.	XIX.
	Sub Litt. C.	XIX.
	Sub Litt. E.	XIX.

Sub

Digitized by Google

Sub Litt. F.	XI.
Sub Litt. G.	XIX.
Ex Orientalibus	
Euſebianum	XV.
Nicephorianum	XV
Syncellianum	XV.
Eutychianum	XV.

En ſane magnum ſatis diſcrimen, & de quo difficile foret pronunciare. Omnes Orientales Catalogi in numerum annorum XV. conſentiunt: Occidentales omnes in annos XIX. iis exceptis, qui errore manifeſtiſſimo laborant. Ingenue fateor nullo propiora eſſe criteria Hiſtorica, quæ litem hanc dirimere poſſint. Interim tamen, neglectis Orientalibus catalogis, non dubito Pio annos XIX. tribuere. Et hoc quidem pro re longe certiſſima habeo. Nec rationes ejus ſententiæ hic addere opus erit, quia nullam aliam habeo, quam ipſummet meum Syſtema Chronologicum. Sane ſi Lector, ſequentium Epiſcoporum annos, ad finem uſque hujus opellæ mecum percurrere velit, fidem meam obſtringo, eum, ſalvâ veritate, ne unum annum quidem noſtris rationibus detrahere poſſe. Quotquot igitur in ſequentibus teſtimonia noſtrum calculum firmabunt, tot omnino ſententiam noſtram de Pii annis veram eſſe oſtendent.

§. 3. Cum in genere monuerim alias, me actum agere nolle, itaque ea non recocturum, quæ alii, præcipue Pearſonius aut Dodwellus jam in eam lucem produxerint, cui nihil addi poſſit: Cum, inquam, hoc ſæpe profeſſus fuerim, eo ipſo liberor ab ampliori diſcuſſione quæſtionis, num Hygino Pius, Pio Anicetus ſucceſſerit, ut ego ſtatuo; vel Hygino Anicetus, Aniceto Pius? Exhauſit nimirum hanc quæſtionem Vir Inclytus Pearſonius de Succeſſ. Diſſ. II. Cap. XI. Et ut in eorum gratiam, qui ejus Librum non poſſident aliquid moneam, omnino de noſtrâ ſententiâ dubitari non poteſt. Ne dicam Catalogos Orientales omnes nobis favere, etiam inter La- §. 3. Pius non ſucceſſit Aniceto.

 tinos

Digitized by Google

tinos, Proſper & Pſeudo-Tertullianus adv. Marc. L. III. huic opinioni aſſentiuntur, cui obſtant modo Latini catalogi, & auctor mendoſus Optatus. Sed hoc minimum. Quis enim fidem derogabit Irenæo & Hegeſippo, ſcriptoribus nempe συγχρόνοις. Hegeſippus dicit *ſe ſub Aniceto Romæ habitaſſe, cui ſucceſſerit Soter; Sotero Eleutherus.* Ap. Euſeb. L. IV. Cap. XXII. Poteratne ignorare Hegeſippus, quis ſe præſente Romanus Epiſcopus erat? Et an ſequioribus Auctoribus potius credemus, iisque mutilis & corruptis? De Irenæo, qui eodem tempore vixit, ſuperfluum eſt dicere, quum tantum non decies Anicetum Pio, Pium Hygino ſucceſſiſſe inculcet. Majoris quidem ponderis forent, quas adverſarii opponere ſolebant quondam, Pii ipſius litteræ, ſed ſuppoſitas eas eſſe conſtat.

Hiſce à Pearſonio fuſe diſputatis, aliquid addere licebit. Eſt nempe cur credam falſariam ignari hominis manum catalogis Latinis admotam fuiſſe, quos initio recte ſe habuiſſe, & Pium Aniceto præpoſuiſſe cenſeo. Rationes meæ ſunt.

1.) Pſeudo-Tertullianus, quem jam jam citavi diligenter, alias Latinum catalogum ſequitur, quem ante oculos habuiſſe eum apparet, unde Anacletum expiſcatus eſt. Cur itaque eum hic à fonte ſuo abſcedere diceremus?

2.) Sunt adhuc manuſcripta Libri Pontificalis quæ Pium Aniceto præponunt. Varia ergo codicum catalogi Latini lectio. Quis dubitaverit genuinam eam eſſe quæ verior? Præcipue cum illa manuſcripta cunctorum ſint præſtantiſſima.

3.) Varietatem hanc codicum aliud indicium probat, nempe catalogus ſub Litt. C. Anicetum omittit, & ſic ſe habet,

Yginus ſed. an. IIII. menſ. III.
Pius ſed. an. XIX. menſ. IIII. dies III.
Sother ſed. an. IX. menſ. VI. dies XXI. &c.

Omiſit nempe Anicetum, quod de eo collocando ob diverſos Libros dubitaret.

4.) Si quis adhuc de eo dubitet, nullo negotio id ei probari

Digitized by Google

bari poterit. Nempe catalogus, poſt Liberianum, Juſtinianeumque, antiquiſſimus, Gregorii M. ætate ſcriptus, & quem Litt. B. inſignivimus: Item alter quem Litt. E. notamus, Pium, ut fieri debet, Aniceto præponunt, ſunt autem hi catalogi Latini quaſi codices diverſi.

5.) Et cur non falſatus eſſet Latinus catalogus, cum Orientalem ipſum Euſebii corrumpere aggreſſi fuerint inepti illi emendatores. Nihil certius eſt quam Euſebium, poſt Irenæum, Egeſippum aliosque ſuos fontes, Pium primo loco, Anicetum ſecundo collocare, Pio XV. Aniceto XI. annos tribuere. Sic in Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſic in Chronico. Attamen in Chronico verſionis Hieronymianæ, ad Num. MMCLVIII. anno Antonini Pii V. qui eſt æræ noſtræ *CXLIII.* legitur, *Romæ nonus Epiſcopus ordinatur Pius ann. XV.* Hactenus bene: ſed Anno ejusdem Antonini XVI. Chriſti CLIV. legitur, *Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum tenet Anicetus A. XI.* Atqui ab anno *CXLIII.* ad *CLIV.* modo *XI.* anni effluxere, non XV. qui Pio tribuendi erant. Mendum ſubeſſe viderunt Eruditi, ſed nemo, quod quidem ſciam (& mirum id eſt) erroris originem detexit. Parvi tamen id laboris eſt. Nam Aniceti initium, ut monui, ad *A. CLIV.*, Antonini Pii XVI. in eo Chronico collocatur, tribuunturque ei *A. XI.* Attamen finis ejus ad *A. CLXIX.* detruditur, ubi iſta verba reperiuntur, *Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum ſuſcepit Undecimus Soter, A. VII.* Sunt vero ab anno CLIV. ad CLXIX. revera anni XV. Jam quis non videt confuſionis fontem? Pius annis XV. ſedit, & ei tamen modo XI. aſſignantur. Anicetus annis XI. ſedit, & ei tamen anni XV. aſſignantur. Nempe permutata ſunt duorum Epiſcoporum tempora. Nil certius. Unde vero hoc? Euſebius Hieronymusque recte Pium cum ſuis XV. annis præpoſuerant, Anicetum cum XI. poſtpoſuerant; deinde ſciolus aliquis correxit vel deturpavit textum, & Anicetum priorem, Pium poſteriorem ire juſſit. Poſtremo alius acceſſit, qui id falſum obſervans, & ex Euſebii Hiſt. Eccleſiaſtica emendans, ordini ſuo Epiſcopos reſtituit, ſed oblitus eſt annos mutare,

V 2 quibus

Digitized by Google

quibus collocati fuerant à falſario, unde diſparitas illa orta eſt. Non opus eſt id ulterius explicare. Plana res eſt.

§. 4. Aniceti anni. §. 4. Succeſſit itaque Hygino Pius, & ſedit annos XIX. Epiſcopus factus *A.* Chriſti CXXII. poſtquam ab Hygini morte ſedes aliquamdiu vacaſſet. Vacaſſe enim Marcionis hiſtoria docet, aliquot hebdomadarum menſiumve ſpatio. Sed annum vacaſſe, Pearſonius nullo fundamento ſtatuit, quatuor annis Blondellus abſurde prorſus. Noſtras rationes Hiſtoria comprobabit. Collocamus igitur Pii initium labente *A. C. CXXII.* Hadriani *VI.* Aviolâ & Panſâ Coſſ. Finem poſt annos *XIX.* præteritos *A. C. CXLI.* Antonini Pii *III.* Priſcino & Severo Coſſ. Poſt Pium Romanæ Eccleſiæ præfectus eſt Anicetus.

Aniceto annos tribuunt, ut jam expoſituri ſumus,

Catalogus Liberianus	*A.* XII. vel XI.	
Juſtinianeus	*A.* XI.	
Libri Pontificalis	*A.* IX.	
Sub litt. B.	*A.* II.	
Sub litt. C.		deeſt.
Sub litt. E.	*A.* X.	
Sub litt. F.	*A.* IX.	
Sub litt. G.	*A.* XI.	
Ex Orientalibus.		
Euſebianus	*A.* XI.	
Nicephorianus	*A.* XI.	
Syncellianus	*A.* XI.	
Eutychianus	*A.* XI.	

Igitur XI. annos ſummo conſenſu Aniceto tribuunt omnes fere Catalogi, ex quibus corrigendi illi, qui litterarum tranſpoſitione IX. habent. Ille enim qui X. medium ſumere voluit inter IX. & XI. quos tribui Aniceto cernebat, & ille qui II. manifeſto erat. Antiquiſſimus quidem catalogus Liberianus nullos prorſus annos Aniceto aſſignat, utpote ibi mancus. Et

Digitized by Google

ex Conſulibus omnino IV. anni exſculpi poſſent. Sed tranſpoſitio eſt aperta. Etenim IV. hi anni ad Hyginum pertinent, & Hygini *XII.* anni ad Anicetum, ut jam Cap. *VII.* §. 12. monitum eſt. Id clarius ex hoc diagrammate apparebit, ubi eſt juxta Catalogum Liberianum.

	corruptum	correctum.
A. 127. Coſſ. Titiano & Gallicano.	Teleſphori primus.	Teleſphori primus.
A. 137. Coſſ. Cæſare & Balbino.	Teleſphori XI. & ult.	Teleſphori XI. & ult.
A. 138. Coſſ. Camerino & Magno.	Hygini primus.	Hygini primus.
A. 141. Coſſ. Priſcino & Severo.	Hygini quartus,	Hygini IV. & ult.
A. 142. Coſſ. Ruffino & Quadrato.	Hygini quintus.	Aniceti primus.
A. 150. Coſſ. Gallicano & Vetere.	Hygini XII. & ult.	Aniceti Octavus.
A. 151. Coſſ. Gordiano & Maximo.	Aniceti primus.	Aniceti nonus.
A. 158. Coſſ. Præſente & Rufino.	Aniceti IV. & ult.	Aniceti XII. & ult.

Erroris autem origo hic eſt, Primitus ubi catalogus Conſulibus carebat ſcriptum erat, *Hyginus ann. IV. Anicetus ann. XII.* Poſtea tranſpoſitio facta mendo *Hyginus ann. XII. Anicetus ann. IV.* Et tunc conſules additi, qui cum hac corruptione conveniebant. Unde patet catalogum miſere corruptum deturpatumque in eo loco eſſe. Nam lacunæ adſunt, Hygini & Aniceti anni confunduntur, Anicetus Pio præponitur, & jam viſuri ſumus quam fœdiſſimum mendum, in Conſulatibus Pio adſignatis lateat.

Sedit ergo Anicetus *A. XII.* ab anno Chriſti CXLI. Priſcino & Severo Coſſ. ad A. CLII. Acilio & Valerio Coſſ. Ubi notandum, fere coaleſcere calculum verum cum calculo catalogi Latini hoc loco. Vidimus enim eum catalogum Aniceti finem etiam A. CLIII. ponere. Sed caſu id factum, & ob Pii tranſpoſitionem. Catalogus enim, in illâ A. CLIII. ſummâ, Pium non comprehendit, quem ego omnino includo.

§. 5. Supereſt ut criteriis Hiſtoricis Pii & Aniceti tempus firmetur. Ad hoc opus jam me accingo. §. 5. Notis Hiſtoricis firmantur.

Primo. Montaniſtæ orti ſunt jam A. CXXVI. (Cap. XI. §. 8.) Et Hæreſin ſuam apertiſſime, ſi ſerius A. CXXXVI. docuerunt (Ibid.) Orti autem ſunt ſub Pio & ab eo refutati (Cap. eod. §. 10.) Ergo Pius jam illo tempore Epiſcopus

Digitized by Google

erat, quod ex meâ Chronologiâ verum. Nam ſediſſe eum contendo, ab *A. CXXII.* ad *CXLI.*

Secundo. Montaniſtæ Valentino, Marcione aliiſque ejus temporis Hæreticis certiſſime poſteriores ſunt, ut præter Euſebium, Epiphanium, alioſque quotquot ſunt, etiam auctor σύγχρονος contra Montanum ap. Euſeb. H. E. L. V. Cap. *XVI.* fin. affirmat. Ut de eâ re ita indubie conſtet. Atqui Montaniſtæ orti ſunt *A. CXXVI.* Ergo Marcion, Valentinus aliique eo anno priores ſunt. Sed hi omnes vel ſub Hygino, vel poſt mortem Hygini immediate ante Pii Electionem prodierunt. (Cap. IX. X.) Ergo Pius jam A. CXXVI. Epiſcopus erat. Quod invicte Chronologiam meam ſtabilit, aliaſque deſtruit. Euſebius quam inepte Hygini initium in A. CXXXVII. Pii in A. *CXLII.* detrudit! Catalogi Latini corruptor, qui Imperatores & Conſules ipſi addit, quam abſurde Hyginum A. *CXXXVIII.* Pium A. *CLIV.* cœpiſſe vult! Abſurdius Onuphrius & poſt eum plerique Hyginum A. CLII. Pium A. CLVI. Et ſic de cæteris. Ipſe vero Pearſonius, qui alias vero quam proxime accedere ſolet, Hyginum A. *CXXII.* Pium A. *CXXVII.* collocat. Dodwellus Hyginum A. *CXXIII.* Pium A. *CXXVII.* male uterque. Nam ſi Marcion, ut conſtat, & ut ipſi inculcant, poſt Hygini mortem prodierit, Hyginus vero A. CXXVI. vel CXXVII. mortuus fuerit, Cedo, potuitne Marcion Montano prior eſſe? Ego vero Hygini mortem A. CXXI. vel CXXII. pono Valentini ortum A. CXX. Marcionis A. CXXII. Montani A. CXXVI. ſic bene omnia ſibi conſtant.

Tertio. Irenæus de Marcione, Baſilide, Valentino, teſtatur eos ſub Aniceto floruiſſe. Valentinum v. g. ſub Hygino Romam veniſſe, ſub Pio viguiſſe & permanſiſſe uſque ad Anicetum. Atqui Clemens Alex. Strom. ult. Cap. XVII. eos Hæreticos ultra Antoninum Pium vixiſſe negat. Ergo recte Aniceti Epiſcopatum ſub Antonino Pio collocavimus.

Quarto. Celſus ſub Antonino Pio ſcribebat, ante A. CLX. (Cap. X. §. ult.) Loquitur de Marcellæ ſectatoribus, ut

Digitized by Google

ut numeroſam jam & notiſſimam Sectam conſtituentibus (ap. Orig. c. Celſ. L. V.) unde ſequitur, jam plures annos elapſos à Marcellæ initio. At Marcella Romam venit dogmata ſparſura ſub Aniceto. Iren. L. *I.* Cap. **XXIV.** Epiph. Hær. XXVII. &c. Ergo Anicetus pluribus annis ante Antonini Pii mortem & ante A. CLX. ſedebat.

Quinto. Ecce adhuc egregium indicium. Hegeſippus, Scriptor Eccleſiaſticus notiſſimus, ſub Hadriano jam vivebat, ut Euſebius ex propriis ejus verbis *L. IV.* Cap. *VIII.* refert. At idem ſcriptor, idem ille Hegeſippus ſub Eleuthero Epiſcopo Romano quoque florebat, ut ejus propria verba ap. Euſeb. *L. IV.* Cap. *XXII.* habent. Hadrianus *A. CXXXVIII.* mortuus eſt. Hiſtoria vero Deificationis Antinoi circa A. CXXX. contigit, & de illa apud Hegeſippum res erat, ubi de eâ ut præſenti loquebatur. Inde ad Eleutherum (quod minimum) XXX. anni, ex meo ſyſtemate, effluxerunt. Poterat ergo facile Hegeſippus & ſub Hadriano, & ſub Eleuthero florere. Nempe annos circiter LX. natus, eâ adhuc ætate erat quâ peregrinationibus indulgere poſſet, in quibus peragendis vitam hactenus tranſegerat. Sed ex Syſtemate communi, cui primus Onuphrius formam aliquam dedit, Eleutheri initium ad A. CLXXIX. pertinet circiter, adeoque L. annis poſt Antinoi conſecrationem. Quod quam probabile ſit, Lectori judicium relinquo. Cæterum Hegeſippi locum è memoriâ citat Euſebius, unde *ſic fere οὕτως ὡ loqui* Hegeſippum dicit, & ſane verba ejus ita cum ſuis propriis confundit, ut non bene diſtingui poſſint, & ultima illa de Agone, &c. ad Euſebium pertinere dicenda ſint. Non igitur mirum, diſtincte ex illis verbis non percipi ſub Hadriano vixiſſe auctorem, quod tamen Euſebius intendebat. Sed ſic ſolet perturbatos antiquiorum locos afferre, ut multis exemplis doceri poteſt ex iis ſcriptis petitis, quæ hodiedum ſuperſunt. Quæ ὡς ἐν παρόδῳ dixi, ut ſuppleri inde poſſit Diſſertatio mea de Hegeſippi Opuſculis, ſub Athanaſii nomine forte latentibus, quam Doctiſſimi

Digitized by Google

ctiſſimi Bibliothecæ Germanicæ auctores ediderunt. His enim poſitis, facile eſt videre reſpici ab Euſebio locum in Libro contra Gentes in opp. Athanas. p. 10. ubi tamen pro ὁ νῦν ſi ſenſum aliquem ab auctore fundi velis, τὸ νῦν meâ fide legere te oportet. Sed de hoc ſat ſapienti.

§. 6. Num Anicetus A. *XVIII.* ſederit.

§. 6. Ad aliam quæſtionem tranſeo, quæ magis ad rem facit. Vult nempe Celeberr. Pearſonius Anicetum non XI., uti creditum fuerat hactenus, ſed *XVIII.* ἄνευ γραφῆς tamen. Nequid vero tanti Viri negligere videamur, oportebit ſane dubiis ipſius ſatisfacere.

Prima forſanque potiſſima quæ eum permoverit ratio, à catalogo Latino Liberiano deſumpta eſt, & ſic ſe habet: Proximus Soteris deceſſor in eo catalogo *XVIII.* annos ſediſſe dicitur. At qui Proximus Soteris deceſſor fuit Anicetus. Ergo Anicetus *XVIII.* annos ſedit. Non ſane litem movebo Viro ſummo de *XVIII.* annorum numero, licet non *XVIII.* ſed XX. catalogus habeat. Sed non ſemel confundit Pearſonius catalogum antiquiſſimum, cum alio ſub Juſtiniano Imp. & Vigilio Pontifice edito, ubi revera *XVIII.* anni leguntur, mendoſe tamen pro XIX. ut ſtatim patet editionem conſulenti, & hujus catalogi & aliorum à Schelſtratenio To. I. Antiq. Eccleſ. datam. At iſtud ſane Pearſonio concedere non poſſum, de Aniceto intelligendos eſſe *XVIII.* iſtos annos. Nam in catalogis iſtis, prout jam monui, Anicetus Pio præponitur tranſpoſitione falſarii. Unde diſerte Pio *XVIII.* illi anni tribuuntur in catalogo, & ille pro deceſſore proximo Soteris reponitur. Verum Pearſonius annos tranſpoſitos negat, nomina vero ſola concedit; nempe ſic ſupponit catalogum initio ſe habuiſſe, *Pius ſedit ann. XII. Anicetus ann. XVIII.* deinde ſic mutatum eſſe *Anicetum ſedit ann. XII. Pius ann. XVIII.* Ita ut annorum ſumma ſuo loco maneret.

Ego contendo annos unà tranſpoſitos, & *XVIII.* annos ſemper ad Pium, *XII.* ſemper ad Anicetum pertinuiſſe. Rationes pro ſe nullas prorſus allegat Pearſonius. Ego meas allego. Primo,

Digitized by Google

Primo, Quod omnes alii catalogi circiter XI. annos Aniceto tribuant. 2. Quod omnes plures annos quam XII. Pio tribuant. 3. Quod annorum tranſpoſitio in catalogo fieri ſoleat, cujus rei jam exempla habuimus, Cap. VII. §. 2. & 12. Cap. XII. §. 4. & in poſterum alia habituri ſumus. 4. Quod ubi alias in catalogo Epiſcoporum nomina tranſpoſita ſunt, anni etiam tranſponuntur. v. g. Catalogi nonnulli, ut catalogus ſub litt. F. Anterota Pontiano præponunt, contra reliquorum fidem; Sed annos ſuos cuique relinquunt. Et in illo catalogo Anteros menſem, Pontianus V. annis ſediſſe dicitur, æque ac in aliis. Et in ipſo catalogo Liberiano, Clemens Anacleto præponitur, ſed Clemens IX. ſuos annos, Anacletus XII. ſuos incolumes ſervat. Nullo igitur modo tolerabilis eſt Pearſonii opinio.

§. 7. Ex Hiſtoriâ deinde argumenta quærit Pearſonius, ſuam opinionem confirmatura. Sub Aniceto mortuus eſt Marcion, teſte Irenæo. Et poſt Hygini mortem demum ortus eſt. Attamen diu Hæreſin docuit Marcion. Ergo diu ſederunt Pius & Anicetus. Eſſent ſane quæ ad hoc argumentum monerem, nam Marcionem ſub Aniceto mortuum eſſe falſiſſimum eſt longe: ſed de hoc acturus ſum, ubi ad Eleutheri Epiſcopatum pervenero. In præſentia itaque, ſufficere opinor, ſi Lectorem admoneam, Pearſonii ratiocinium Chronologiæ meæ opponi non poſſe. Etenim cum ille *XXXIII.* annos Pio & Aniceto tribuat, ſimul ſumptis, ego circiter *XXXI.* Biennii vero diſcrimen tantum non eſt, quod hoc Pearſonii argumento convelli poſſit. Et ſane *XXX.* anni, Marcioni tributi, ſufficere poſſent. Suo autem loco videbimus Marcionem *A. CLXI.* Antonini Pii ultimo, Eleutheri Epiſcopi primo, vel ſecundo ineunte, fere *XL.* à ſuæ Hæreſeωs initio mortuum eſſe.

§. 7. Pearſonio reſpondetur.

Alterum Hiſtoricum argumentum Pearſonii à Montaniſtis petitum eſt, quos ille *A. CLVI.* ortos ſtatuit. Deinde ex Tertulliani loco à nobis §. 9. Cap. *XI.* allato, ubi Epiſcopum Praxeæ Patronum de Eleuthero intelligit, concludit Mon-

taniſtas ſub Aniceto, non Sotere, ortos eſſe, quia non de uno, ſed de duobus ſaltem *prædeceſſoribus* anonymi illius Epiſcopi, Montani hoſtibus, Tertullianus agit. Ergo ſequi Anicetum A. CLVI. adhuc Epiſcopatum geſſiſſe. Sed hæc frivola ſunt. Jam multis Cap. XI. oſtendimus, & Montaniſtas ante A. CLVI. ortos, & Epiſcopum Tertulliani Soterem eſſe, & Montanum ſub Pio prodiiſſe.

§. 8. Error Catalogi Latini correctus.

§. 8. Sed priuſquam hinc recedamus, neceſſarium mihi videtur, de Pii annis in catalogo Latino ei tributis, nonnulla dicere. Adeo eſt intricata illius catalogi circa hunc Epiſcopum Chronologia, ut fidem & fere omnem correctionem ſuperet. De quo tamen Pearſonius ſollicitus non fuit, cum eoſdem annos Pii, Aniceto tribueret. Dodwellus pauciſſimis, & in tranſennâ ejus nodi mentionem facit Cap. IX. §. 14. ſed ita ut de præcipuis difficultatibus nihil dicat, de iis quas tangit nihil ſani afferat, ſed audacter modo affirmet ex Conſulatibus apparere, XV. modo annos Pio à catalogi auctore tributos eſſe. Ut autem melius de toto negotio conſtet, ecce quid de Hygino, Aniceto, Pio & Sotere tradat, catalogus antiquiſſimus Liberianus.

> Teleſphorus ſedit A. XI. Menſ. III. D. 3. & finiit Cæſare & Albino Coſſ. Id eſt. A. 137.
>
> Hyginus ſedit A. XII. Menſ. III. D. 6. Ejus Conſulatus deſunt.
>
> Aniceti anni deſunt, ſed ſediſſe dicitur à Gallicano & Vetere, ad Præſentem & Ruffinum, i. e. ab A. 150. ad A. 153.
>
> Pius ſedit A. XX. Menſ. IV. D. 21. à Claro & Severo, uſque duobus Auguſtis. i. e. ab A. 146. ad A. 161.

Vides Aniceti annis Pii contineri, atque cum ipſis concurrere. Quod erratum longe manifeſtiſſimum eſt. Inter A. 137.

&

& A. 161. incercipiuntur A. 24. At ſi Pii A. 20. Aniceti A. 4. & Hygini A. 12. (Conf. dicta ubi de Hygino egimus) addas, habebis A. 36. Igitur omiſſi ſunt XII. anni. Quæritur quomodo hoc factum ſit? Ego non aliam ejus rationem habeo quam iſtam, quæ mihi ſane admodum probabilis videtur. Monui ſuo loco annos Hygini & Aniceti in hoc catalogo tranſpoſitos eſſe, reveraque Hygino A. IV. Aniceto A. XII. tribuendos eſſe. Jam videtur in primævis catalogis hos Epiſcopos ita recenſitos fuiſſe. Teleſphorus. A. XI. Hyginus A. IV. Anicetus A. XII. Pius A. XX. Exſcriptor feſtinans Hygini A. IV. neglexerit, & ei XII. annos ſequentis Aniceti tribuerit, hoc modo: Teleſphorus A. XI. Hyginus A. XII. Anicetus A. *** Pius A. XX. Deſuiſſe enim Aniceti annos neceſſarium erat, quod Hygino tributi eſſent. Deinde is qui Conſulatus catalogo addidit, ſic eos computavit, Pii XX. Annos retronumeravit ab A. 161. quo eum mortuum Syſtema ejus Chronologicum exigebat. Cum autem videret, ita Pii annos in annos Aniceti & Hygini incurrere, ſuppoſuit procul dubio eos unà ſediſſe, ideoque nihil mutavit. Sed hæ Conjecturæ ſunt. Apparet tamen Dodwellum errare graviter, cum XV. annos Pio in catalogo Liberiano tribui dicit. Numerus enim XX. annorum diſerte in eo expreſſus legitur, Conſules vero manifeſto corrupti ſunt. Cæterum memini, me quondam rationem inveniſſe hujus corruptelæ prorſus indubiam & notatu dignam, quæ vere mihi penitus è memoriâ excidit.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

De tempore Martyrii Polycarpi primum, ubi de notis Aſtronomicis anni illius quæ ſuperſunt diſſeritur.

ARGUMENTUM.

Ratio digreſſionis de morte Polycarpi. §. 1. *Notæ quibus tempus ejus mortis inveſtigari poteſt.* §. 2. *Quæ fuerit Littera Dominicalis ejus anni expenditur.* §. 3. *Sabbathum magnum quid ſit? & an ex Cyclis inveſtigandum.* §. 4. *Computatur Paſchatis tempus è Tabulis Aſtronomicis ad annos CXLVII. CLII. CLVIII. CLXIX. CLXXV. & an morti Polycarpi conveniant inquiritur.* §. 5.

§. I.

§. I. Ratio digreſſionis de morte Polycarpi. Tranſeo ad difficillimam quæſtionem de tempore, quo Polycarpus Martyrium paſſus eſt, de quâ tractandâ monet me Aniceti mentio. Pearſonius enim in hoc facto, notam inſignem reperiſſe ſibi viſus eſt, tum ad Aniceti tempus, tum ad totam ſuam Chronologiam firmandam. Et ita manifeſte ſe veram Martyrii Polycarpi Epocham demonſtraviſſe credidit, ut dubitare amplius fas non ſit, de ejus ſententiâ. Sane ejus auctoritas, & quam præ ſe fert rei certitudo, tantum non omnes in ejus partes adduxit, ſi quidem non omnes. Certe quis ab eo, rationibus allatis, diſceſſerit, ignorare me profiteor. Attamen adeo non video, quæ ſit argumentorum Pearſonii ſoliditas, ut diſtinctè potius videam, inſuperabilibus nodis circumſeptam eſſe ejus ſententiam. Non poſſum igitur, non de eo Lectorem monere, & quæſtionem hanc fuſius diſcutere, licet aliquo modo in proprium meum detrimentum. Etenim ſi Pearſonii opinionem ſequerer, perinde meam ex eâ Chronologiam fir-

Digitized by Google

firmare poſſem, ac ipſe ſuam: ſed longe à me hæc fallacia abſit! Ratio autem, quâ Pearſonius Chronologiam ſuam ex Polycarpi Martyrio firmat, iſta eſt. Polycarpus Romæ fuit Aniceti tempore, ut præter alios Irenæus teſtatur L. *III.* Cap. 3. & in Ep. ad Victorem Romanum ap. Euſeb. L. V. Cap. XXIV. Sed Polycarpus ex Pearſonii ſententiâ A. *CXLVII.* Martyrium paſſus eſt. Ergo jam ante illud tempus, & quidem non parum citius, Anicetus Epiſcopus erat.

Mirum ſane eſt de anno Martyrii Polycarpi tam ingentem diſcrepantiam eſſe, cum is tamen tot Caracteribus inſigniatur. Diverſitas ſententiarum nullo negotio apparebit, ſi advertatur collocari Martyrium Polycarpi,

à Pearſonio *A. CXLVII.*
à Nonnullis *A. CLVIII.*
ab aliis *A. CLXIII.* ut in Chron. Alex.
ab aliis *A. CLXVI.*
Iterum aliis *A. CLXVII.* Et ſic ſentit Euſebius, quem Livelejus, Blondellus & multi alii ſequuntur.
non pauci *A. CLXIX.* inter quos Uſſerius
à Petito *A. CLXXV.*

Ut ita inter duas extremas ſententias XXVIII. anni intercedant,

§. 2. Dixi non deeſſe tamen notas, quibus annus ille inveſtigari poſſit. Et animus eſt eas hic colligere, & uno intuitu Lectori offerre. Sunt autem aliæ remotiores, proximiores aliæ. Remotiores iſtæ ſunt.

§. 2. Notæ quibus tempus ejus mortis inveſtigari poteſt.

1. Polycarpus poſt initium Aniceti paſſus eſt, nam ſub initium ejus Romam venit. Anicetus autem non poteſt ultra *A. CXLI.* retrahi ex quovis Syſtemate, E. Serius paſſus eſt Polycarpus.

2. Irenæus ſcribebat ſub Eleuthero contra Hæreſes. De Polycarpo autem ibi loquitur ut jam mortuo. Serius autem

X 3 Eleutheri

Eleutheri mors collocari haud poteſt quam A. CXCII. Ergo citius paſſus Polycarpus.

3. Cum Irenæus ſcriberet, jam Polycarpus aliquot ſucceſſores habuerat. *Iſta*, inquit, *vera eſſe teſtantur quotquot ſunt in Aſiâ Eccleſiæ, & quotquot hactenus Polycarpo ſucceſſerunt*, Καὶ οἱ μέχρι νῦν διαδεδεγμένοι τὸν Πολύκαρπον. Stephani Editio, referente Pearſonio, diſertius adhuc habet τὸ τοῦ Πολυκάρπου θρόνον. Hæc Iren. *L. III.* Cap. 3. Certe igitur aliquot anni effluxerant à morte Polycarpi, cum Irenæus ſcriberet, ſi jam Polycarpus plures ſucceſſores habuerat.

4. Irenæus adhuc juvenis admodum (ἐν τῇ πρώτῃ ἡλικίᾳ) Polycarpum jam ſenem (ἐπιπολὺ παρέμεινε) viderat, & Polycarpum teſtatur admodum ſenem mortuum eſſe (πάνυ γηραλέον). Senex autem erat ipſe Irenæus cum hæc ſcriberet, Ergo jam diu mortuus erat Polycarpus.

5. Irenæus natus eſt circa initium Trajani, A. XCVII. vel C. circiter, ſi adoleſcens Polycarpum jam ſenem vidit, forte A. CX. CXV. vel alio circa illud tempus: Polycarpus debuit ad ſummum uſque ad medium Sæc. *II.* vivere.

6. Polycarpus Johannis Apoſtoli diſcipulus erat, & ab eo Epiſcopus ordinatus, ut Irenæus aliique teſtantur. Ergo jam maturæ ætatis erat A. C. ultra quem Johannes non vixit.

7. Epiſcopus erat jam Celebris *A. CVII.* cum ad eum Ignatius ſcriberet, ejusque ætatis virtutisque, ut Ignatius ei Eccleſiam ſuam Antiochenam commendaret.

8. Vixit autem annos omnino LXXXVI. Polycarpus, ut ipſe in Epiſtolâ Smyrnenſium teſtatur, & ut Chron. Alexandrinum aliique referunt. Ex quâ ejus ætate præcedentia argumenta firmari poſſunt. v. g. ſi jam ante A. C. Epiſcopus fuerit, Epiſcopi vero non inferiores XXX. annis creabantur, ſequitur eum ultra A. CLVI. vivere non potuiſſe.

9. Perſequutio erat maxima & publica, & ab Imperatoribus injuncta, cum Polycarpus moreretur, ut ex totâ narratione apparet. Ceſſavit autem ſtatim poſt Polycarpi necem, ut ibidem Smyrnænſes teſtantur.

Aliæ

Digitized by Google

Aliæ notæ proximiores & Chronologicæ, illæ ſunt quas ipſi Smyrnenſes in Epiſtolâ ſuâ, de Polycarpi Martyrio, afferunt. Nempe

1. Polycarpus paſſus eſt die Sabbathi.
2. die 2. Menſis Xanthici incipientis.
3. die 7. Kal. Aprilium.
4. Cum eſſet Sabbathum magnum.
5. Cum Statius Quadratus Aſiæ Proconſul eſſet.
6. Cum Philippus Trallenſis Aſiarchæ dignitatem haberet.
7. Herodes vero Nicetæ filius Irenarcha eſſet.
8. Cum ludi ſolennes in Aſiâ, certe Smyrnæ celebrarentur.
9. Cum unus modo Imperator Romanis præeſſet.

Tot Characteribus diſtinctum eſt tempus mortis Polycarpi! Neque dum tamen certo id expiſcari valuerunt tot viri docti.

§. 3. Propoſitum mihi nunc eſt ſingulas notas perluſtrare, cujus ponderis ſint diſpicere, & quid inde probari poſſit. Deinde eas ad ſingulas ſententias applicare, ut ultimo quid concludendum ſit clare pateat. Et hoc quidem Caput diſquiſitioni notarum Aſtronomicarum impendendum volo. §. 3. Quæ fuerit Littera Dominicalis ejus anni?

Primo, die Sabbati paſſum eſſe Polycarpum inter omnes conſtat, & diſerte in Epiſtolâ Smyrnenſium legitur.

Secundo, ut de anno ſpecialius conſtet, ſciri oportet, cui menſi dicive dies ille Sabbathi reſponderit. Indubium vero eſt ex Smyrnenſium Epiſtolâ, Polycarpum paſſum eſſe d. 2. Xanthici Menſis.

At iterum hic nodus occurrit: Dubitatur nempe cui noſtrorum Menſium reſpondeat Xanthicus. Et tutiſſimum ſane foret, ſi Smyrnenſes ipſi nobis id indicaſſent, atque Martyrii diem juxta Calendarium Romanum notaviſſent. Notaverunt omnino, verum adeſt eo loco varia in Codicibus lectio, quæ omnia deturpat. Legitur nempe in Manuſcriptis Epiſtolæ Smyrnenſium Græcis & Latinis, quotquot ad nos pervenere, Polycarpum ante *VII.* Kal. Maiarum paſſum eſſe. Auctor

vero

Digitized by Google

vero Chronici Alexandrini ad *A. CLXIII.* ex eadem Epiſtolâ Polycarpi mortem referens, eam ante *VII.* Kal. April. contigiſſe narrat. Tandem Valeſius V. C. Utramque lectionem reprehendit, & *VII.* Kal. Mart. legi vult, pro ſe antiquam verſionem Latinam allegans, quæ tamen (ut jam monuimus) *VII.* Kal. Maias indicat.

Lectionem vulgarem rejiciendam eſſe, conſtare debet. Nemo enim unquam vel ſomniavit d. 2. Xanthici cum d. *VII.* Kal. Maias conjungi poſſe. Sed magis dubium eſt, num Valeſii ſententia rejicienda ſit. Contendit enim Valeſius Xanthicum menſem extremo Februario, & Martii maximæ parti reſpondiſſe. Igitur 2. Xanthici, d. *VII.* Kal. Mart. reſpondere. Secundo, allegat acta Pionii Martyris quæ ſic incipiunt. *Vigeſima tertia menſis Februarii die, cum Sabbathum magnum intraret, natali ſcilicet Beati Martyris Polycarpi.* Ergo Polycarpus d. 23. Febr. paſſus, id eſt, d. *VII.* Kal. Mart.

Pearſonius, qui acerrime Chronici Alexandrini lectionem tuetur, ad iſta Valeſii argumenta multis reſpondet. Statim negat Xanthicum extremo Februario incœpiſſe, ſed ejus initium extremo Martio ſtatuit. Quod ſane ita invicte probat, ut nullus reſpondendi locus ſuperſit, & non liqueat quâ vel umbrâ veri contrarium ſtatuerit Valeſius, niſi quod in genere obſervari poteſt, in totâ hâc Epiſtolæ Smyrnenſis tractatione, animo parum præſente fuiſſe Valeſium. Rationes Pearſonii apud eum ſi lubeas lege. Quoad Acta Pionii, regerit Pearſonius fictitia ea eſſe. De hâc vero quæſtione ſuo loco ipſi agemus. Sufficiet in præſentiâ obſervaſſe, acta illa Valeſio non favere. Licet enim Bollandus ſic legerit, ut refert Valeſius, errore tamen id factum, nam cuncta manuſcripta ſincera ſummo conſenſu *IV.* Id. Martias habent, quîs Polycarpum paſſum, nec ipſe Valeſius dixerit. De hoc vero quoque infrà.

Supereſt igitur Pearſonii ſententia, qui *VII.* Kal. April. habet, ſeu d. 26. Martii. Ex hâc notâ jam annus inquirendus. Obſervavit Pearſonius annum in quo d. 26. Mart. Sabba-

Digitized by Google

bathum eſt, debere litterâ Dominicali B. munitum eſſe. Sed oblitus eſt, poſſe etiam in anno biſſexto litterâ C. ſeu CB. inſignitum eſſe. Igitur Polycarpus, his poſitis, eo anno paſſus eſt, qui Litt. Dominicalem B vel CB. habebat. En autem omnes annos Sæculi II. quibus hoc contigit.

A. CXII.	Litt.	Dom.	B.	A. CLII.	Litt.	Dom.	C. B.
A. CXIII.	Litt.	Dom.	B.	A. CLVIII.	Litt.	Dom.	B.
A. CXIX.	Litt.	Dom.	B.	A. CLXIX.	Litt.	Dom.	B.
A. CXXIV.	Litt.	Dom.	C. B.	A. CLXXV.	Litt.	Dom.	B.
A. CXXX.	Litt.	Dom.	B.	A. CLXXX.	Litt.	Dom.	C. B.
A. CXLI.	Litt.	Dom.	B.	A. CLXXXVI	Litt.	Dom.	B.
A. CXLVII.	Litt.	Dom.	B.	A. CXCVII.	Litt.	Dom.	B.

Patet ergo excludi debere annos *CLXIII. CLXVI. CLXVII.* quibus multos Polycarpi mortem alligare vidimus.

Itaque ſuperſunt quatuor ſententiæ, quæ nempe eam annis *CXLVII. CLVIII. CLXIX. CLXXV.* Collocant. Inter hos annos nunc eligendum. Videamus num id aliarum notarum ope præſtari poſſit.

§. 4. Dies Martyrii Polycarpi erat Sabbathum magnum.

§. 4. Sabbathum magnum quid & quomodo inveſtigari poſſit?

Lis intercedit inter Eruditos quodnam illud fuerit. Sunt qui ſic volunt vocari omne Sabbathum, in quod dies feſtus incidat. Sunt qui id eſſe ſtatuunt, quod cum Paſchali feſto concurrit. Alii tandem ſic nominant Sabbathum, quod immediate Paſcha præcedit. Poſtremam ſententiam ſequitur Pearſonius, & aliarum exempla dari negat, quod non negaſſet ſi Valeſium accurate legiſſet. Ut enim de loco Evangelii Johannis ſileam, quem ſecundæ opinioni favere vix dubium videtur, refert pro eadem Valeſius locum diſertiſſimum Anaſtaſii Sinaitæ Orat. 5. de reſurr. Interim non negandum, ſemper apud Judæos & fere ſemper apud Chriſtianos, Sabbathum magnum dici, quod Paſcha immediate præceſſit. Atque ſic cauſâ vincere Pearſonium, quod nemo, niſi in hiſce rebus hoſpes, inficiabitur. Primæ vero ſententiæ exemplum non eſt, idcirco ea merito rejicitur.

Ego non immorabor hiſce ſententiis diſcutiendis, ſed eas omnes aſſumam, & expendam an aliquo annorum reſervatorum,

earum

Digitized by Google

earum aliqua locum habere poſſit. Prius autem regula ſtatuenda, juxta quam de eo judicari debeat.

Nihil incertius Calendario Judaico illo antiquiori. Nam quot Auctores id illuſtrare aggreſſi ſunt, tot diverſa Calendaria produxerunt. Unde non prudenter ſane actum foret, ſi alicui eorum adhærere vellemus. Opinor equidem me veram ejus formam regulamque reperiſſe. At locus hic non eſt, hanc fuſiſſimam quæſtionem aggrediendi. Ad aliud tempus opuſque, id remittendum cenſeo, ubi de antiquis illis Cyclis Calendariiſque agi poterit. Nullo igitur Syſtemati nomen hic dabimus, cum omnia à vero remota eſſe compertum nobis ſit. Ut autem Lectorem edoceamus, quam recte ea omitteremus, licet unum ex iis verum eſſet, ecce juxta varios Cyclos Kalendariaque, Paſcha ſeu Judæum ſeu Chriſtianum, ad ſolum *A. CLXIX*.

Juxta Bucherii Syſtema, eo anno prima Niſan erat d. $\frac{18}{19}$ Mart. Unde Paſcha d. $\frac{24}{25}$ Mart. Fer. $\frac{1}{2}$.

Juxta Periodum Calippicam, Valeſio computante, Paſcha d. $\frac{30}{31}$ Mart. Fer. $\frac{4}{5}$.

Juxta Victorem, Paſcha d. 28. Mart. Fer. 2.

Juxta Hippolytum, Paſcha d. II. Apr. Fer. 7.

Juxta ejuſdem Calculum, à V. C. Bianchino correctum, d. 19. Apr. Fer. 1.

Juxta V. C. Pagium, Paſcha d. 29. Mart. Fer. 3.

Sed fatigor ſententias colligendo. Iſtæ ſufficient, & ſatis ſuperque demonſtrabunt, quam incerta ſit Cyclorum hactenus Doctrina. Quid igitur ſtatuendum? Facile dicam. Judæi, vel ex regulis Aſtronomicis vel ex Phaſeos obſervatione, Paſcha celebrabant. Si prius, cum Aſtronomia inter eos præcipue Sæc. iſto II. floruerit, & tunc ea ſcientia ubique excoleretur, Calendariaque ſic ſatis correcta, eſſent, præſumendum eſt omnino, vel Judæos accurate ex tabulis Paſcha computaſſe, vel certe Cyclos eorum à Cœlo parum admodum aberraſſe. Tutiſſimum igitur erit è Tabulis Paſcha computare,

Si

Digitized by Google

& tum juxta Aſtronomicam veritatem, tum juxta Phaſin determinare. Hâc regulâ poſitâ, ad opus me accingo.

§. 5. Videamus itaque Novilunium & Plenilunium Paſchale ad annos CXLVII. CLVIII. CLXIX. CLXXV. quibus addam A. CLII. licet nemo eum amplexus fuerit, quia tamen Litteræ Dominicalis reſpectu convenit. Formabo autem Computum primo ex Tabulâ I. earum, quas Calviſius Chronologiæ ſuæ præpoſuit, utpote quam Tabulam & commodiſſimam & accuratam repererim. Secundo, afferam calculum à me, è Tabulis Ludovicianis D. de la Hire, collectum, ubi opus erit. §. 5 Computatur Paſchatis tempus ad varios annos.

Ad annum CLXXV.
E' Calviſio.

Numerus proxime minor in Tabulâ *I. P. II.* quæ eſt annorum Collectorum, reperitur CLV. ſupereſt ſumma XX. annorum expanſorum.

	D.	Fer.	H.	′	″	
Anni XX. expanſi dant	82.	5.	8	2	19	
Anno CLV.	13	7	3	41	38	
Novilunium ſeu 1. Niſan	69	5	4	20	41	
Plenilunium unum	14	7	18	22	2	
Plenilunium Paſchale	83	5	22	42	43	ſeu 14ta Niſan

Ergo Plenilunium Paſchale A. CLXXV. contigit d. 24. Martii, h. 22. 42′. 43″ poſt mediam noctem, fer. 5. ad Meridianum Lipſienſem. Longitudo Lipſiæ juxta Rivini & Junii Obſervationes 32° 14′ 30″ Smyrnæ juxta P. Feuillée 47° 29′ 15″ Differentia 15° 14′ 45″ id eſt in tempore 1^H^ 0′ 59″ ‡.

23 43 42

Smyrnæ igitur Plenilunium d. 24. Mart. h. 23. 43′ 42″ poſt

mediam noctem. Ergo Paſcha d. $\frac{24}{23}$. Mart. proprie eſſe debuiſſet. Sed cum prima dies Menſis Niſan reſponderit diei 10. Martii h. 5. 21′ 40″ Smyrnæ, ſequitur diem 14. Niſan eſſe d. 23. Martii, fer. 4. Attamen propter notiſſimam regulam בדו *Badu* tranſlatum fuerit Paſcha à fer. 4. in fer. 5. adeoque d. 24. Mart. per Computum Aſtronomicum. Et ſic d. 26. Martii fuerit tertia Azymorum. Quæritur, Potueritne ideo Sabbathum magnum appellari? Sed ad hoc quis reſpondebit?

Si Phaſin conſulamus, cum Novilunium contigerit die 10. Martii mane admodum, potuit Luna cœlo admodum ſereno cerni d. 11. Martii veſperi, unde decima quarta Lunæ in d. 24. Martii pariter incideret.

Cum tamen exempla non dentur Sabbathi, ideo magni dicti, quod in aliquem azymorum diem incurreret, non probabilis admodum iſta ſententia videtur. Attamen ſunt qui hanc propriam ſignificationem Sabbathi magni eſſe aſſerunt. Vid. Relandi Antiq. Hebr. P. IV. Cap. II. §. IV. Rabbinorum ſcrinia excutere, ut de hoc inquiram, nunc non vacat.

ad annum CLXIX.

	E Calviſio D.	Fer.	H.	′	″	
Anni 141 dant	88	4	14	2	26	
Annus 155.	13	7	3	41	38	
Novilunium	74	4	22	00	48	
Plenilunium	14	7	18	22	2	†
Paſcha Judaicum	89	4	16	22	50	
Diff. Merid.	0	0	1	0	59	†
Plenil. Smyrnæ	89	4	17	23	49	

Id eſt d. 30. Mart. h. 17. 23′. 49″. fer. 4. Ergo proximum Sabbathum ante Paſcha d. 26. Mart. Ergo d. 26. Mart. Sabbathum magnum. Quod à Bucherio deceptus negavit Pearſonius, Ego autem ex La Hirii tabulis confirmaturus ſum.

E.

E' La Hirio.

Motus Solis		Motus Lunæ.
S. 0. 1. 11.		S. 0. ′ ″
9. 9. 29. 38.	Anni C.	2. 23. 8. 10.
27. 30.	Anni LX.	1. 10. 42. 1.
3. 40.	Anni *VIII.*	11. 11. 25. 36.
1. 28. 9. 11.	Febr. comp.	1. 27. 24. 26.
28. 35. 2.	d. 29. compl.	0. 22. 6. 56.
0.06.35.01. Solis	Locus medius	Lunæ 06. 04. 47. 09.

	S	σ	′	″
A' Loco Lunæ	6	4	47	9
tolle locum Solis		6	45	1
Diſtantia Lumin.	5.	28.	2.	8.
quod aufer a'	6.	0.	0.	0.
reſtant	0.	1.	57.	52.

Quod ſpacium Luna adhuc peragrare debet, donec Soli conjungatur. Si autem conſulas Streetii Tabulas p. 117. ubi motus medius Lunæ à Sole exhibetur, invenies Lunam tantundem moveri Solem verſus in tempore 3ᴴ 52′ quibus adde 1ᴴ 45′ pro diff. Meridianorum Pariſios inter & Smyrnam, prodibunt 5ᴴ. 37′. Ergo Plenilunium medium Smyrnæ d. 30. Mart. h. 5. 37. poſt merid. fer. 4. Igitur annus iſte nobis convenit. Cæterum cum novilunium fuerit d. 15. Mart. fer. 4. Ob regulam *Badu* d. 16. Mart. fer. 5. Sequitur Paſcha celebratum fuiſſe legaliter d. 29. Mart. Si Phaſi attendas: Novilunium d. 15. Mart. exeunte contigit. Unde Luna ante 17. Mart. veſperi non apparuit. E. d. 17. Mart. fuit computata pro I. Niſan. Cum vero eſſet fer. 6. translatum eſt feſtum in d. 18. Niſan fer. 7. per regulam *Adu*. Ergo hoc modo quarta decima Niſan in-

cidit in d. 31. Mart. fer. 5. Manetque ſemper d. 26. Mart. fuiſſe Sabbathum aliquod magnum.

Ad annum CLVIII.

E Calviſio

	D.	fer.	H.	'
Anni 3. dant	89.	5.	21.	51.
Annus 155.	13.	7.	3.	42.
Novilunium	76.	5.	18.	9.
Plenil.	14.	7.	18.	22. †
Plenil. Paſchale	91.	5.	12.	31.
Diff. Merid.			1.	1. †
Smyrnæ	91.	5.	13.	36.

Secunda Minuta iſthic omittenda cenſui, ut quæ magis turbent hoc loco quam juvent.

Id eſt, d. 1. Apr. H. 13. 36'. poſt med. noctem, fer. 5. Unde proximum Sabbathum ante Paſcha d. 26. Mart. Ergo & iſte annus Martyrio Polycarpi convenit. Neque diſſentit Hirii computus quem hic exhibeo.

	Pro Sole			Pro Lunâ		
Anno 100.	9.	9.	30.	2	23	8
Anni 50.	11.	29.	53.	8	27	8
Anni 7.	11.	29.	19.	3	2	14
Mart. compl.	1.	28.	42.	3	15	53
Locus.	0.	7.	24.	6	8	23

Locus Lunæ	6	8	23
Locus Solis	0	7	24
Diſtantia Lumin.	6	0	59
Aufer Semicirc.	6	0	0
Reſtant	0	0	59

quibus Luna oppoſitionem ſuperavit.

Motus Lunæ 59 dat in tempore	1 h.	56'	12".
quæ aufer à Mart. 30d.	0	0	0
Reſtabit Plenil. medium Mart. 29.	22	3	48
Diff. merid. Paris. & Smyrn.	1	45	0 †
Plenilunium Smyrnæ Mart. 29.	23	48	48

Id eſt, ut vulgo loquimur d. 1. Apr. mane horâ 11. 48'. 48". ante meridiem, fer. 5. Igitur proximum Sabbathum ante Paſcha d. 26. Mart. Si Phaſin conſulas, contigit novilunium

Pa-

Paſchale d. 17. Mart. horâ 6. poſt meridiem circiter. Apparuerit igitur Luna d. 19. Mart. Veſperi, & illa dies pro Novilunio Civili habita fuerit. Unde Plenilunium Civile iterum in d. 1. April. utpote decimam quartam incidebat.

Ad Annum CXLVII.

Hic ille annus eſt, quem Pearſonius elegit, & ubi omnes notas quàm exactiſſime concurrere ratus eſt, adeo ut etiam calculo Aſtronomico ſententiam ſuam firmare voluerit, quem tamen non intelligere ingenue fateor: videtur Pearſonius in hiſce rebus parum exercitatus fuiſſe. Habeto jam computum ad hunc annum.

E. Calviſio.

D. Fer. H.

	D.	Fer.	H.	′	″	
Pro annis 68.	91.	4.	12.	9′.	25″.	
Pro anno 79.	12.	3.	21.	50.	52.	÷
Novilunium	78.	1.	14.	18.	33.	
Plenil. unum	14.	7.	18.	22.	2.	†
Plenil. Paſchale	93.	1.	8.	40.	35.	
Diff. merid.	0.	0.	1.	0.	59.	
Smyrnæ.	93.	1.	9.	41.	34.	

Id eſt d. 3. Apr. h. 9. 41′. 34″. ante meridiem, fer. 1. Opponi ſane poſſet novilunium contigiſſe d. 19. Mart. h. 14. 18′. 33″. adeoque decimam quartam incidere civiliter in 1. Apr. fer. 6. vel ob regulas *Adu*, & *Badu* in 2. Apr. fer. 7. Unde fateor dubium eſſe, an poſſit annus CXLVII. Martyrio Polycarpi convenire. Juxta Phaſin certe non convenit. Nam novilunium d. 19. Mart. poſt merid. Luna igitur apparuit d. 21. Mart. Ergo d. 14. Niſan erit d. 3. Apr. fer. 1. Et ſic Sabbathum proximum & magnum d. 2. Apr.

Ex

Digitized by Google

Ex Hirio.

	Pro Sole	Pro Lunâ		
				5. 0.
	5. 0.	5. 0.	Locus Lunæ	6. 11. 58′. 36″.
A. 100.	9. 9. 29′. 38″.	2. 23. 8′. 10″.	Locus Solis	0. 10. 1. 56. †
A. 40.	0. 0. 18. 20	8. 27. 8. 0.	Diſt. Luminar.	6. 1. 56. 40.
A. 6.	11. 29. 33. 11.	2. 9. 28. 54.		6. 0. 0. 0. ÷
Mart. compl.	2. 28. 42. 30.	2. 15. 52. 32.		0. 1. 56. 40.
D. 2. compl.	0. 1. 58. 17.	0 26. 21. 10.		
	0. 10. 1. 56. 1	6. 11. 58. 36. 1	In tempore, Horæ	3. 49. 55.
			Aufer à Mart. D.	2. 0. 0. 0.
			Manet Mart. D.	1. 20. 10. 5.
			Adde Diff. Merid.	1. 45. 0.
			Smyrnæ, Mart. D.	1. 20. 55. 5.

Id eſt, Aprilis 3. h. 8. 55′. 5″. ante meridiem.

Ad Annum CLII.

Ecce ultimum annorum, qui Polycarpi Martyrio convenire poſſint, nimirum annum CLII. Litt. CB. notatum. Sed tum aptum non eſſe computus oſtendet.

	E. Calviſio				
	D.	Fer.	H.		
Anni 73. dant	95	1	9	41′	
Annus 79. dat	12	3	21	51	÷
Novilunium	82	5	11	50	
	14	7	18	22	†
Plenil. Paſchale	97	5	6	12	
Diff. merid.			1	1	
Smyrnæ	97	5	7	13	

Id eſt, d. 7. Apr. fer. 5. h. 7. 13′. ante mer. Unde Sabbathum proximum & magnum d. 2. Apr. Novilunium autem d. 23. Mart. unde d. 26. Mart. foret 4ta. Niſan in quam nullum feſtum incidit.

Ita-

Itaque manifeſtum eſt ex annis *CXLVII. CLII. CLVIII. CLXIX. CLXXV.* quod ut aptos reſervaveramus, annum *CLII.* eſſe eliminandum, annum *CLXXV.* dubium eſſe, pariter annum *CXLVII.* Annos autem *CLVIII.* & *CLXIX.* aptos. Solis itaque characteribus Aſtronomicis lis decidi non poteſt. Unde ad alios transeundum. Neque enim hic de Actis Pionii agam, ubi Natalis Polycarpi Characteribus quoque Aſtronomicis inſignitur. Quia hâc de re alibi ex profeſſo agam.

CAPUT XIV.

Notæ Martyrii Polycarpi Chronologicæ nonnullæ expenduntur.

ARGUMENTUM.

An Quadratus Actorum Polycarpi T. Numidius fuerit A. CLXVII. cos. §. 1. *Vel L. Statius Cos. a. CXLII.* §. 2. *Vel alius Ariſtidi nominatus.* §. 3. *De quo quis fuerit conjicitur.* §. 4. *Alii Magiſtratus à Smyrnenſibus nominati.* §. 5.

§. I.

Alias notas ſuppeditat Magiſtratuum notitia. Nempe paſſus dicitur Proconſule Statio Quadrato, Philippo Trallenſi Aſiarchâ, Herode Nicetæ filio Irenarchâ. §. I. An Quadratus a. ctorum Polycarpi T. Numidius fuerit A. CLXVII. Cos?

Proconſul ſi reperiatur, certiſſimam ſane notam nobis dare poſſet. Diverſis autem modis nomen ejus ſcriptum legitur. Nam vetus Interpres Statium Quadratum legit, Græcus textus Stratium Quadratum, Chronicon Alexandrinum Tatium Quadratum.

Duo ſane Quadrati in faſtis occurrunt, qui hic locum habere poſſunt. Nempe A. CXLII. Conſules erant Cuſpius

Digitized by Google

Rufinus & L. Statius Quadratus. *A. CLXVII.* L. Aurelius Verus Aug. *III.* & T. Numidius Quadratus. Si textui attendas, & verſioni antiquæ vix dubitabis eligere primum horum Quadratorum, cum Statii nomen ferat. Sed Eruditi qui ſero admodum Polycarpi mortem collocant, ut v. g. *A. CLXIX.* ante *CLXXV.* non veroſimile eſſe credunt, primum illum Quadratum, XXX. & ultrà poſt Conſulatum annis, demum Provinciam Proconſularem obtinuiſſe. Unde ad T. Numidium Quadratum recurrunt, & in auxilium accerſunt Auctorem Chronici Paſchalis, qui cum, ut diximus, Tatium Quadratum habeat, ex Tatio Titum exſculpunt, & ſic tandem Titum Numidium Quadratum reperiunt. Duram ſane hanc ſententiam eſſe manifeſtum eſt. Nam cur auctor Chronici potius ita emendandus, contra ipſius textus, quem ſequitur, fidem, cum proclive ſit in eo, pro Tatio, Statium legere, ut Epiſtola ipſa Smyrnenſium habet? Cur Smyrnenſes Proconſulis prænomen potius quam nomen ipſum protuliſſent? Quomodo ex Tito Tatius vel Statius in omnes Codices irrepſiſſet? Et qui hæc mutatio fieri poſſet, cum Titi nomen non integrum ſcribatur, ſed ſolâ litterâ T. cujus ſignificatio & infantibus nota, florente præcipue adhuc Romano Imperio, Sæc. IV. quo hanc mutationem contigiſſe oportet, ut jam Sæc. IV. vel brevi poſt, in antiquam verſionem, anno circiter 600. verò in Chronicon Paſchale irreperet? Deinde Norriſius, Vir ſcientiâ quam purpurâ Eminentior, oſtendit Conſules modo decimo poſt Conſulatum anno Aſiam, Africamve ſortiri ſolitos eſſe, cui aſſentitur Pagius, quem lege ad A. CII. Et probat id inter alia Taciti locus in vitâ Agricolæ; ubi Agricola poſt Conſulatum dicitur Brittanniæ præpoſitus eſſe, ubi multa geſſerit per octennium, deinde revocatus in Urbe degiſſe. Hic addit Tacitus *Aderat jam annus, quo Proconſulatum Aſiæ & Africæ ſortiretur.* Ex hoc ergo Axiomate ſequitur Quadratum noſtrum *A. CLXVII.* Conſulem, demum *A. CLXXVII.* Proconſulem fuiſſe, quando nempe Polycarpi Martyrium contigiſſe

giſſe nemo ſtatuet. Concludo igitur, ſub alio Quadrato quam Tito Numidio, paſſum eſſe Polycarpum.

§. 2. Vel L. Statius Coſ. A. CXLII.

§. 2. Tranſeo ad Pearſonii ſententiam, qui Quadratum hunc de L. Statio Quadrato explicat, anno CXLII. Conſule, quem A. CXLVII. Proconſulem fuiſſe vult, nulla ſane allatâ auctoritate, ſed quia id cum ejus Syſtemate convenit, & poſſibile ipſi videtur, præcipue cum, ex Jure, Conſules ad quinquennium Proconſulatum ſortiti fuerint, ut ipſe dicit, quâ veri ſpecie vel umbrâ certe, penitus ignoro. Lex enim illa de quinquennio, Imperatorum tempore brevi ceſſavit. Potius mihi videtur ineluctabilem eſſe difficultatem Pearſonio opponendam, quod circa decimum annum Proconſulatus Aſiæ & Africæ traditi fuerint. Unde L. Statius Quadratus A. CXLVII. Proconſul eſſe non potuit. Sed circa A. CLII. id munus adminiſtrare debuit. Jam vidimus autem nullum annum à CXLVII. ad CLVIII. Martyrio Polycarpi convenire. Igitur non L. Statius Quadratus eſt, ſub quo Polycarpus paſſus.

Neſcio num mentio facienda ſit alterius ſententiæ mediocriter abſurdæ, quâ nonnulli, non ſub Quadrato ullo Proconſule, ſed ſub Conſulatu T. Numidii Quadrati A. CLXVII. Polycarpi mortem collocant, & pro ἀνθυπατεύοντος ſubſtituunt ὑπάτου, contra omnium Auctorum Codicumque fidem. Ne dicam Conſulatus, unius Conſulis nomine, nunquam deſignatos eſſe, & ſi id feciſſent Smyrnenſes, eos annum potius à L. Vero Imperatore Conſule notaturos fuiſſe, præterea Quadratum hunc Conſulem Numidium, non Statium fuiſſe; deinde Acta in quibus Conſules notabantur, Imperatoris etiam nomen præferre ſolita, &c. Rejicienda igitur eſt iſta opinio.

§. 3. Vel alius Ariſtidi nominatus.

§. 3. Supereſt alia, quâ Quadratus noſter, cenſetur ille Quadratus eſſe, quem Proconſulem Aſiæ fuiſſe refert Ariſtides A. CLXVII. vel ut alii A. CLXX. Iſtum Proconſulem Valeſius vult eſſe L. Statium Quadratum, Pearſonius T. Numidium. Neuter recte, cum L. Statius, ut dictum, Proconſul *A. CLII.* T. Numidius *A. CLXXVII.* fuerit. Unde alter iſte Quadratus erat ab utroque, & aliquis Conſul ſuffectus ſuo tem-

Digitized by Google

tempore Proconſulatum ſortitus. Quod ſane & ex Philoſtrato probari poteſt, quem citat Pearſonius Cap. XVII. §. 2. Ubi refertur jam Conſulem hunc Quadratum, Magiſtrum fuiſſe Vari Pergæi. Varum autem, celebri famâ comparatâ, juvenem mortuum eſſe, & juniorem fuiſſe Alexandro, qui Marco ab Epiſtolis erat in bello Marcomannico. At bellum Marcomannicum *A. CLXVIII.* cœpit, quo nimirum M. Aurelius & L. Verus Româ profecti ſunt, ut in Germaniam moverent. Tunc Alexander non adeo juvenis eſſe debebat, utpote qui jam tam momentoſo munere ornatus eſſet. Forte igitur jam mortuus erat Varus, certe jam celebris, & jam tempus elapſum erat, ſatis ſane longum, à quo Quadratum audiverat. Sed Quadratus, qui Numidii nomen ferebat, demum *A. CLXVII.* Conſulatum geſſit. Ergo Quadratus Vari Magiſter ab eo diverſus, licet Pearſonius, neſcio quâ arte, ex ipſo hoc Philoſtrati loco contrarium probare velit. Sed parum attentus procul dubio id ſcripſit. Neque Rhetor iſte Quadratus, L. Statius erat *A. CXLII.* Conſul; Nam quomodo iſte poſt Conſulatum XXX. fere annis elapſis Proconſulatum gereret? Ergo ſuffectum Conſulatum geſſerat. Quum igitur fieri poſſit, ut hic Quadratus, ille ſit de quo Smyrnenſes loquuntur, expendendum eſt quo tempore Proconſulatum geſſerit.

Jam monui, alios id *A. CLXVII.* cum Valeſio, alios A. CLXX. cum Pearſonio tribuere. Notæ quibus determinari id poteſt tres omnino ſunt. Primo Severus aliquis Proconſul fuit Aſiæ, anno poſt peſtem, quæ ibi graſſata eſt. Anno præcedenti Pollio Proconſul erat, & ante eum Quadratus, biennio ſc. ante Severum. Hæc Ariſtides Serm. Sacr. V. Valeſius contendit Peſtem anno octavo Marci graſſatam eſſe, Chriſti *CLXVIII.* ex Euſebii diſerto teſtimonio. Excipit Pearſonius, eam peſtem per multos annos duraſſe, & eodem Euſebio auctore demum *A. XII.* Marci Romæ invaluiſſe. Unde incertum ſit, quo anno in Aſiâ ſævierit, & ad quem annum reſpiciat Ariſtides. Rectius multo Pagius duas diverſas Lues has eſſe ſtatuit. Prima *A. VIII.* Marci graſſata eſt, quam

ſtatim

Digitized by Google

ſtatim poſt bellum Perſicum, Romæ fuiſſe teſtatur Eutropius in M. Aurelio. Altera anno CLXXI. circiter, Marci *XII.* quam poſt L. Veri mortem ortam eſſe, Capitolinus in Marco Cap. XXI. refert. vid. Pagius *A. CLXVIII.* n. 3. Utra ſit, quam præceſſit Quadrati Proconſulatus, quæſtio eſt. Videndum an id ex aliis notis determinari poſſit.

Altera nempe nota eſt, quod Severo Proconſule Ariſtides Litteras acceperit *à Regibus, Imperatore nempe ipſo ejusque filio.* παρὰ τῶν βασιλέων τοῦτε Αὐτοκράτορος αὐτοῦ καὶ τοῦ παιδός. *A Regibus* non *Imperatoribus*, Ergo non à M. Aurelio & L. Vero Imperatoribus. Ab *Imperatore* uno & non duobus. Ab Imperatore ejusque *filio*, Ergo non L. Vero, qui M. Aurelii non filius, ſed adoptione frater, erat. Igitur Litteræ illæ proficiſcebantur à M. Aurelio Imperatore ejusque filio Commodo Cæſare, poſt mortem ſc. L. Veri. At L. Verus mortuus eſt, vel A. CLXIX. vel CLXX. vel CLXXI. Parum id hoc loco intereſt. Severus igitur, non poſt *A. CLXVII.* & primæ Peſtis tempus, Proconſul erat, ſed poſt ſecundam, circa A. CLXXII.

Tertiam notam affert Pearſonius parum tamen certam & vagam. Nempe Severus Proconſul fuit anno morbi Ariſtidis decimo. Ariſtidem vero initio morbi multa de Vologeſo ſomniaſſe. Hoc tempori convenit, quo L. Verus in Vologeſum copias ducebat, adeoque Volegeſi nomen per ora volabat. Contigit autem id bellum circa *A. CLXII.* Ergo Severus anno *CLXXII.* Proconſul.

§. 4. Quartam notam iſtam addo. En tres Proconſules §. 4.
Aſiæ continuos, quorum nomina inter Ordinarios Conſules non De quo
leguntur, Quadratus, Pollio, Severus, qui debent A. CLXI. quis fuerit?
& circa Conſulatum geſſiſſe. Id tamen contra morem eſt, conjicitur.
nec veroſimile videtur, mortuos eſſe per triennium continuum Conſules ordinarios, quibus ſuſcipiendus erat Proconſulatus. Ratio igitur iſta eſt. A. CLXI. Conſulatum geſſere duo Auguſti. At illi Provinciam Proconſularem aliis tradebant, ſuffectis nempe Conſulibus. Ergo aliquis horum trium pro alter-

Digitized by Google

utro Auguſto, Provinciam Aſiam Proconſulari Imperio regebat. Deinde *A. CLXII.* Junius Ruſticus alter Conſulum fuit, quem non diu poſt Conſulatum geſtum obiiſſe jam alibi monui, Cap. *VIII.* §. 8. ex Capitolino in Marco Cap. I. Itaque non mirum, tres Conſules ſuffectos continuo Aſiæ Proconſulatum geſſiſſe, poſt A. CLXX. de quo alibi plura dicenda erunt. Cæterum quis fuerit Quadratus ille Conſul ſuffectus, certo dicere non poſſum. Sed ſi conjiciendum eſſet, eundem putarem cum Quadrato Hiſtorico Belli Parthici, à L. Vero geſti, quem Capitolinus citat in Vero Cap. *III.* Etenim noſter Conſul Rhetor erat atque Sophiſta, Vir Eruditus admodum, adeoque Hiſtoriæ ſcribendæ aptus, deinde Rerum Reip. gnarus utpote Conſul, & poſtremo is qui Belli Parthici ſpectator potuerat eſſe. Nam Conſulibus ſuffectis, cum Conſulatu diſcederent, munera vel bellica vel alia dari ſolebant; Noſter autem uſque ad Kal. Maii A. CLXI. Conſul fuit, cum L. Verus Româ contra Parthos proficiſceretur, unde probabile eſt, Vero comitem additum Quadratum Virum Conſularem, ſapientem & expertum. Si adhuc uni conjecturæ indulgere liceret, & ſupponere notam numeralem in faſtis neglectam fuiſſe, vel excidiſſe, quod certe non exemplo caret, dicerem Quadratum noſtrum eſſe T. Numidium *A. CLXVII.* Conſulem. Nam cum L. Verus hoc anno Conſulatum inierit, ob Triumphum Parthicum, de more Collegam adjungere ſibi debuit, qui fortiter ſe geſſiſſet, & in Victoriæ partem veniſſet. Hoc apprime noſtro Quadrato convenit, & ita is *A. CLXVII.* iterum Conſul evaſiſſet. Sed hæc ἐν παρόδῳ.

Supereſt Lectorem moneam, quod tamen jam perſpexerit, Quadratum hunc non poſſe illum eſſe, qui Polycarpum ad mortem damnaverit. Etenim cum duo modo *A. CLXIX.* & *CLXXV.*, ex illis vicinis, Martyrio huic conveniant, temporum ratio non patitur, ut ad quemquam horum referatur Quadratus Ariſtidis, quod ex notis pluribus §. præc. probatum eſt. Sed nec L. Statium nec T. Numidium, his Actis tribui poſſe jam diximus. Nam L. Statius debuit Proconſul eſſe

circa

Digitized by Google

circa *A. CLIV.* T. Numidius verſus *A. CLXXIX.* juxta regulas Proconſulatuum à me inventas, & aliquando Orbi Erudito tradendas. Nullus autem Quadratus potuit Proconſul eſſe annis *CLVIII.* & *CLXIX.* aliisve quibus Polycarpi paſſio tribui poteſt, quod luce clarius patebit, ubi ſuprà dictæ regulæ publici juris factæ fuerint. Interea apparet non modo incertam, ſed & falſam eſſe temporis hanc deſignationem, in clauſulâ Epiſtolæ Smyrnenſium adhibitam, & à Proconſulatu Quadrati deſumptam. Quam errore liberandi una modo via eſt. Si nempe Polycarpum *A. CLXIX.* paſſum ſtatuas, & Proconſulem ejus anni de Statio Priſco *A. CLVIII.* Coſ. accipias. Sed ille non erat Quadratus. Et ſic alius tamen error imputandus Epiſtolæ manebit. Et ne vel ſic cohæreret Hiſtoria, nam Priſcus A. CLXIX. Vere Proconſulatum nondum obierat, ut ex Regulis meis certiſſime mihi conſtat. Fruſtra ergo conciliare Quadratum iſtum cum faſtis conaberis.

§. 5. Tranſeundem eſt ad Philippum Aſiarcham, atque Herodem & Nicetam Irenarchas, de quibus quæ habeo dicenda pauciſſima erunt. Nihil ex illis elicere poſſumus quod nos in Hiſtoriâ juvet. Etenim nomina Aſiarcharum, eorumque ſucceſſionem ignoramus. Irenarcharum multo magis. Conjicit ſane Pearſonius, Nicetam eundem eſſe ac aliquem Nicetam Smyrnenſem, cujus Philoſtratus mentionem facit. Sed agnoſcit ipſe meram hanc eſſe conjecturam, quam ipſi relinquimus, eo vaniorem, quo manifeſtius inane eſſe ejus Syſtema, prout jam à nobis dictum eſt.

§. 5. Alii Magiſtratus à Smyrnenſibus nominati.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT XV.

Argumenta quibus, ſuppoſitum eſſe finem Epiſtolæ Smyrnenſium de Polycarpo, probatur.

A R G U M E N T U M.

Exhibetur pars ultima Epiſtolæ Smyrnenſium, §. 1. *Cujus ſuppoſitio Argumentis generalibus*, §. 2. *Aliiſque ſpecialibus probatur* §. 3. 4. *Auctor hujus fragmenti Calendarium Orientale ignorabat*, §. 5. *Et falſo Polycarpum Sabbatho magno*, §. 6. *Horâ Octavâ paſſum aſſerit.* §. 7.

§. 1.

§. 1. Exhibetur pars ultima Epiſtolæ Smyrnenſium.

Supereſt ſententiam meam de hiſce notis proferam, antequam ad alias tranſeam generaliores, adeoque minus certas. Deſumptæ ſunt hæ, quas expoſuimus, ex verbis Epiſtolæ Smyrnenſium adjectis. Quo autem Lectores verba ipſa ſtatim præ oculis habeant, ecce finem Epiſtolæ illius è Græco textu redditam. Quæ uncis incluſa ſunt in antiquâ Latinâ verſione deſunt.

—— *Hæc cum didiceritis, Epiſtolam iſtam fratribus ulterius degentibus tranſmittite, ut & illi Dominum glorificent, qui ex ſuis famulis delectum facit. Illi, qui poteſt nos omnes introducere gratiâ liberalitateque ſuâ in Regnum ſuum æternum, per Filium ſuum unigenitum Jeſum Chriſtum, ſit gloria honor, potentia, majeſtas in Secula, Amen. Salutate omnes Sanctos, Vos qui nobiſcum ſunt ſalutant, & Evareſtus qui ſcripſit, cum univerſâ domo ſuâ.*

Martyrium autem paſſus eſt B. Polycarpus Menſis Xanthici ineuntis die ſecundo, ante ſeptimum Kal. Maj. magno Sabbatho, hora octava. Captus eſt ab Herode ſub Pontifice Philippo Tralliano, Proconſule Stratio Quadrato, regnante vero in Secula Jeſu Chriſto: cui

Digitized by Google

cui gloria, honor, Majeſtas, thronus ſempiternus, ab ætate in ætatem, Amen.

[*Valere vos optamus, Fratres, ac incedere in Evangelico ſermone Jeſu Chriſti; cum quo gloria Deo & Patri & Spiritui Sancto, ob Sanctorum electorum ſalutem, quemadmodum Martyrium paſſus eſt B. Polycarpus, cujus utinam in veſtigiis reperiamur in regno Jeſu-Chriſti.*]

Iſta deſcripſit Cajus, ex codice Irenæi diſcipuli Polycarpi, qui & converſatus eſt cum Irenæo: Ego vero Socrates Corinthi è Caii exemplaribus deſcripſi, Gratia ſit cum omnibus.

Iterum vero ego Pionius ex ſupraſcripto exaravi; cum exemplaria perquiſiviſſem, & illa mihi per revelationem manifeſtaſſet Polycarpus, ut in ſequentibus declarabo; eaque prope temporis diuturnitate fatiſcentia collegi; ut me quoque cum electis ſuis colligat Dominus Jeſus Chriſtus: cui gloria cum Patre & Sancto Spiritu in Sæcula Sæculorum.

Hactenus Smyrnenſium Epiſtola. Forſitan mirabilis plerisque videbitur ſententia mea, quam nunc Lectoribus propoſiturus ſum. Cenſeo totam ultimam partem ejus Epiſtolæ, ſaltem à verbis *Salutate omnes Sanctos* ad finem uſque, ſuppoſititiam eſſe & intruſam. Quicquid Euſebius ex Epiſtolâ Smyrnenſium citat, tanquam genuinum, ſuſpicio revereorque: Sed exemplaria integræ Epiſtolæ, qualia primus Uſſerius primus edidit, falſariam manum paſſa eſſe ſentio, & ab aliquo exarata, qui, fragmentum ab Euſebio relatum, additamentis propriis auxerit ornaveritque. Theſin iſtam non nude affirmo, ſed argumentis, niſi multum fallor, graviſſimis probo.

§. 2. Cujus ſuppoſitio quatuor Argumentis probatur.

§. 2. Primam mihi rationem, Euſebii ſilentium ſuppeditat. Solitus is erat omnia quæcunque reperiret Hiſtorica & Chronologica in ſuum opus corradere. Ubi notam aliquam temporis reperit, quanto ſtudio eam referre ſolet? Et idem omnino præſtitit in hâc de Polycarpi Martyrio narratione, in quâ ſalutationibus aliisque inanibus prætermiſſis, omnia quæ ad Hiſtoriam facerent magnâ curâ deſcripſit. At quid erat quod memoratu dignius eſſet quam perioche illa integra, ubi notæ Chronologicæ Martyrii Polycarpi colliguntur? Quid majori

curâ Euſebius operi ſuo inſerere debebat? ne vola tamen nec veſtigium ejus in Euſebio apparet. Indicio procul dubio in Euſebii exemplari non extitiſſe.

Altera ratio hæc eſt: Parum videri veroſimile has notas à Smyrnenſibus ipſis profectas eſſe, & quidem cum ad Philomelienſes vel Philadelphienſes ſcriberent. Notæ tales ſolent colligi, ubi de Hiſtoriâ jam paullo remotiori agitur, & ubi in eorum uſum ſcribitur, qui Magiſtratus ejus temporis locique ignorare cenſentur. Opusne erat Philadelphienſes à Smyrnenſibus moneri, communem utriſque Proconſulem pro tempore eſſe Statium Quadratum? Opusne erat rei nuperrimæ Epocham & tempus adeo ſedulo notare? Diem notari potuiſſe concedo, ſed non annum, cum nondum annus elapſus fuerit, à quo id contigerit. Nec ſane id moris erat. Lugdunenſes in Epiſtolâ ſuâ de ſuis Martyribus, nullam temporis notam afferunt. Et noſtri Smyrnenſes, non ita inepti ſunt in Epiſtolâ ſuâ, ut Proconſulem ſuum nominent, quando ejus mentionem faciunt; ſed abſolute titulo ſuo eum inſigniant, utpote toti Aſiæ notum, & adhuc in magiſtratu viventem.

Tertio: Smyrnenſes, cum optime magiſtratuum ſuorum dignitatem noſſent, non ſane Aſiarcham, multo minus Irenarcham, inter Magiſtratus, eos notaviſſent, quorum nomen Epochæ loco eſſe poſſit. Parvæ dignitatis & parum noti erant Irenarchæ. Quo jure igitur juxta Proconſulis nomen collocarentur? Cui uſui nomen eorum notaretur, cum ne Aſianis quidem omnibus notum eſſet, adeoque inde tempus Martyrii Polycarpi exſculpi non poſſet? Si tanto ſtudio id tempus deſignare volebant Smyrnenſes, cur non potius Imperatorem & Conſules notabant? ſed laciniæ hujus auctor cum Herodis Nicetæ filii Irenarchæ in Epiſtolâ mentionem fieri videret, eum illico tanquam characterem inſignem, reliquis addidit.

Quarto: Aut notæ non cohærent, aut Proconſul non Statius Quadratus, ſed Statius Priſcus fuit, ut ſupra Cap. XIV. §. 4. dictum. Si prius, an à Smyrnenſibus proficiſci poſſunt? Si poſterius, errarene poterant Smyrnenſes in Proconſulis

ſulis ſui nomine? Nonne potius ignarus aliquis corruptor, cum Polycarpum A. CLXIX. mortuum crederet, & eo anno, præter alia, inveniſſet Statium Proconſulem fuiſſe, in faſtis eum inter Conſules quæſivit, ubi cum primus occurreret L. Statius Quadratus, A. 142 Conſul, audacter eum eſſe credidit, qui A. CLXIX. Proconſul fuerit. Deinde Priſcus vere A. CLXIX. nondum Proconſul erat, ut Cap. præc. §. 4. dixi. Quod manifeſto probat Smyrnenſes hæc non ſcripſiſſe, verum falſarium, qui neſciebat quando Proconſules provincias adirent.

§. 3. Hæc argumenta ſunt generalia, jam ad ſpecialiora tranſeo, & totum hunc locum expendo. §. 3. Aliisque ſpecialioribus & intrinſecis notis.

Quinto igitur, poſt primam Doxologiam — *per filium ſuum unigenitum Jeſum Chriſtum &c.* Epiſtola manifeſto finem habet. Et licet ſalutationes addi potuerunt, Quid facit inepta illa & abrupta Perioche de tempore Martyrii Polycarpi? Nonne extra ordinem locumque ſuum collocata eſt? Quid duæ adhuc poſtea Doxologiæ faciunt?

Sexto, Varietas maximi momenti intercedit, inter verſionem Latinam antiquam & Græcum textum, in fine hujus Epiſtolæ. Omittit enim Interpres aliquot lineas, quæ à nobis uncis incluſæ ſunt. An ita negligenter tanti momenti Epiſtolam vertiſſet? Vel nonne potius videtur, corruptorem in quibuſdam Exemplaribus ſupplementum Epiſtolæ addidiſſe, abſque hâc Periodo, in aliis deinde ſupplementum ſuum auxiſſe.

Septimo, Poſt alias notas Characteriſticas additur in illo ſupplemento, paſſum eſſe Polycarpum *regnante in ſæcula Jeſu Chriſto.* Quam Phraſin in nullis genuinis actis ante Decium reperies. Indicium ergo hoc eſt, poſterius illis temporibus eſſe hoc ſupplementum. Scio eam formulam exhiberi in Actis S. Symphoroſæ, quæ ſub Hadriano paſſa eſt. Sed eam diu poſt additam eſſe, cum hæc Hiſtoria è Julii Africani (ut credunt) opere deſumta, in Actorum formam redigeretur, palam eſt. Non enim cum præcedentibus cohæret. Verba ſunt, *eorum* (Martyrum) *corpora requieſcunt in via Tiburtina, milliario ab urbe octavo,*

Digitized by Google

octavo, *regnante* &c. Idem adhuc manifeſtius eſt in Actis SS. Epipodii & Alexandri. *Non ambigimus vera eſſe, quæ & auditu manifeſta hauſimus & videmus*, *regnante*, &c. Imo ſi locus hic eſſet digreſſionem inſtituendi, non levibus forte rationibus docerem, formulam illam ante quintum ſeculum non uſitatam fuiſſe, & omnia Acta quæ eam præferunt ſuppoſita vel falſata eſſe. Sane in Ruinarto, qui omnia genuina Acta collegiſſe ſibi viſus eſt, rariſſime ea verba occurrunt, & ea Acta, in quibus occurrunt, pleraque νοθείας indicia habent.

§. 4. Aliæ rationes adduntur. §. 4. Octavo, Cum non videantur Smyrnenſes, Epiſtolæ auctores, homines ignari & inepti fuiſſe, ſi ipſorum ea clauſula ſit, velim ſane mihi dici quid ſibi hæc verba velint. *Valete, Fratres, incedentes in Evangelico ſermone Jeſu Chriſti, cum quo gloria Deo & Patri & Spiritui Sancto, pro ſalute ſanctorum Electorum, quemadmodum Martyrium paſſus eſt B. Polycarpus.* Καθὼς ἐμαρτύρησεν ὁ μακάριος Πολύκαρπος. Quo refertur illud *quemadmodum*? An ita paſſus eſt Polycarpus *quemadmodum* Jeſu Chriſto eſt gloria cum Deo, &c?

Nono, Auctor ſupplementi ſub Caji Irenæi diſcipuli nomine, Irenæum Polycarpi diſcipulum fuiſſe dicit. Hoc nempe ex Euſebio aliiſque, qui id incaute ſcripſere, deſumpſit. Alias enim hodie, ex ipſo Irenæo ad Florum ſcribente, omnes norunt, eum valde adoleſcentem Polycarpum in itinere vidiſſe, neque cum eo moratum eſſe.

Decimo, Fingitur Pionius ultimus eſſe, qui publicandis hiſce actis manum admoverit; Et quidem revelatione Polycarpi, quam fabellam per me ſane licet credas, ſed an omnes credituri ſint ignoro, qui adeo frequentes eſſe has revelationes dubitant. Si autem de eo dubitetur, viderint Eruditi, num Pionius, Vir ſanctus antiquiſque laudatiſſimus, revelationes falſas finxerit.

Undecimo, ſupponitur Pionium acta Polycarpi ob vetuſtatem detrita reſtituiſſe. Mirum ſane, nos codices habere ætatis fere Pionii adhuc integros ſatis, & Pionium codices jam ætate detritos habuiſſe, qui forte 30. annis, forte minori temporis ſpatio

ſpatio ante eum ſcripti erant. Nam ex Irenæi codice Cajus deſcripſit, poſt Irenæi mortem, anno circiter 210. quo tempore florebat. E Caji Codice Socrates ſi citius, anno 220. Pionius vero A. 250. mortuus eſt.

Duodecimo, Pionium mortuum dico A. 250 ex traditione communi, quam etiam auctor noſter, impoſtorve ſequitur. Sed abſit id revera credam, qui, Pionium eodem cum Polycarpo anno paſſum eſſe, brevi oſtendam. Unde manifeſtum erit non à Pionio, ſed ab impoſtore aliquo additam eſſe hanc periodum Epiſtolæ Smyrnenſium. Sed etiamſi id incertum foret, certe dubitari non debet, Euſebium illud ſupplementum non vidiſſe. Statuit enim Pionium cum Polycarpo fere mortuum: Si ad calcem Epiſtolæ Smyrnenſium, à ſe tanto ſtudio perlectæ, reperiſſet Pionium diu poſt Polycarpum vixiſſe, cedo commiſiſſetne tantum errorem? Non ſane niſi cœcus ſupponatur fuiſſe. Igitur non legebat iſtuc ſupplementum in ſuis Exemplaribus, quod tamen ſi fictitio Pionio credamus, in omnibus exſtare debebat.

§. 5. Nunc argumenta quædam petam è notis ipſis temporis Martyrii Polycarpi, quas ab imperito homine ſcriptas eſſe oſtendam.

§. 5. Auctor hujus fragmenti Calendarium Orientale ignorabat.

Decimum tertium igitur Argumentum, ex combinatione menſis Macedonici cum Romano, deſumo. Secunda dies menſis Xanthici reſpondebat juxta Auctorem noſtrum alicui diei, VII. Kal. alicujus Menſis, nempe Martii, Aprilis aut Maji, variæ enim ſunt codicum lectiones, vere autem Aprilis legi oportet. Ego autem pernego, d. 7. Kal. ullius menſis poſſe cum d. 2. Xanthici conferri. Ratio hæc eſt. Præcedebant menſes Syro-Macedonici, menſes Romanos diebus modo quinque, unde prima cujusvis menſis Romani erat ſexta menſis Syro-Macedonici. Igitur d. 2. Xanthici erat V. Kal. Mart. vel Apr. vel Maji. Id eſt, vel 25. Febr. vel 28. Mart. vel 27. Apr. Hanc aſſertionem probo auctoritate Marci, qui vitam Porphirii Gazenſis ſcripſit, & qui accuratiſſime menſium Syro-Macedonicorum notitiam dedit. *Præcedunt autem*, inquit, *quin-*

Digitized by Google

quinque diebus eorum menſes, Romanos. Nec aliud demonſtrant exempla quæ ipſe affert. Octava Audynæi juxta ipſum in Januarium incidit, Ergo Audynæus non cœpit IX. Kal. Jan. ut vulgo credunt, alias d. 8. Audynæi eſſet prid. Kal. Jan. Undecima Audynæi erat Epiphaniæ dies, Epiphania eſt 6. Jan. Ergo d. 1. Jan. erat 6. Audynæi, Et dies 1. Aud. 5. Kal. Jan. Et ne à Xanthico diſcedamus d. 23. Xanthici erat d. 17. Aprilis, Ergo d. 1. Xanthici erat VI. Kal. Apr. & d. 2. erat V. Kal. Apr. Et ſic porro.

Deinde analogia Calendarii Syro-Macedonici id docet. Nam Antiocheni omneſque Syri, item Ægyptii, aliique Orientales idem Calendarium adoptaverunt, nominibus modo menſium antiquis aſſervatis. Unde menſem Dyſtrum Syro-Macedonum, menſem Auguſtorum vocat Chronicon Paſchale, ad A. Diocletiani Imp. XIX. ut Scaliger jam obſervavit, licet menſes Auguſtorum proprie Ægyptii dicantur. Igitur menſes Gazenſium ſeu Syro-Macedonum accurate menſibus Ægyptiis, Æthiopicisque reſpondent, qui modo 6. modo 4. plerumque 5. diebus Julianos præcedunt. Non opinor ulterius hanc Theſin probandam mihi eſſe, cum nemo eam negaturus ſit, cui Calendarium hoc familiare ſit.

Scio opponi poſſe loca nonnulla Antiquorum, quæ videntur mihi adverſari. Exempli cauſſâ, Epiphanius Hær. LI. d. 8. Nov. dicit eſſe XVI. Apellæi. Reſpondeo nullum locum poſſe afferri mihi adverſum, qui integer ſit; Et ne ab Epiphanio recedam, locus iſte ſanus non eſt, cum modo Epiphanius 8. Nov. comparaverit cum 8. Dii ſecundum Græcos. Atqui conſtat, Dium Græcorum idem initium cum Apellæo Syrorum habere. Epiphanius ergo id Calendarium ſequitur, juxta quod primus dies Menſis Romani, primus erat quoque menſis Syri & Græci. Ita enim ſequiori ævo numerabant. Et ſane numeri illi cuncti apud Epiphanium fœde corrupti. Immediate antea dixerat 5. Jan. vel potius 6. ut manifeſto corrigendum, eſſe 6. Audynæi. Igitur iterum 1. Audynæi erat 1. Januarii. Pearſonius legit 11. Audynæi, ſed correctioni

ctioni ſuæ diffitetur. Et ſi vera eſſet mihi prorſus faveret. Nam ſi 11. Aud. eſt 6. Jan. Ergo 1. Jan. eſt. 6. Audynæi, ut antea dixeram. Iterum Epiphanius Libro de Pond. & Menſuris, 23. diem Artemiſii cum 17. Kal. Jun. comparat. Sed eruditi volunt 16. Artemiſii legi debere ob rationem jam dictam, nam 17. Kal. Jun. eſt 16. Maji. Refragatur Pearſonius: at fruſtra. Mendum enim certiſſime Epiphanio ineſt. Si 16. Maji eſt 23. Artemiſii, Ergo prima Artemiſii eſſet 24. Aprilis. Sed ex vulgari ſententiâ ipſâ, Artemiſius d. 25. Aprilis incipit. Corruptus ergo Epiphanii locus eſt. Atque apparet nihil nobis jure opponi poſſe; Extra Epiphanium enim nullus, quod ſciam, Auctor, quicquam quod vel ullâ ſpecie veri objici poſſit, habet.

Igitur liquet diem primam menſis Xanthici Syro-Macedonum, menſis Artemiſii Macedonum, & menſis Pharmuti Ægyptiorum pertinere ad d. 27. Mart. & 2. Xanthici eſſe 28. Mart. ſeu V. Kal. Apr. Falſo igitur, in fine Epiſtolæ Smyrnenſium, d. 2. Xanthici cum VII. Kal. Apr. conjungi. Itaque ſupplementum illud ſuppoſititium eſſe, niſi credatur Smyrnenſes proprium ſuum Calendarium ignoraſſe.

§. 6. Decimam quartam rationem præbebit Sabbathi magni deſignatio. Si ſupplementi Auctori credamus, paſſus eſt Polycarpus die Sabbathi magni. Atqui Smyrnenſes eum die, quæ Sabbathum magnum ſequebatur, paſſum eſſe dicunt. Ergo ſupplementum illud à Smyrnenſibus profectum non eſt. §. 6. Et falſo Polycarpum Sabbatho magno paſſum aſſerit.

Paradoxa pleriſque videbitur mea aſſertio, adeo hactenus omnibus creditum eſt, eum ipſâ Sabbathi die martyrium ſuſtinuiſſe. At quo fundamento? nimirum quod dicatur in Epiſtola Smyrnenſium, Polycarpum in civitatem deductum eſſe die magni Sabbathi, & deinde Hiſtoria mortis ejus uno ordine recenſeatur. At vero meminiſſe oportebat apud Romanos eorumque ſubditos, tantum non omnes Diem incœpiſſe à mediâ nocte, adeoque Polycarpum potuiſſe à villâ in Urbem duci, die Sabbathi magni deſinente veſperâ, & in urbem pervenire

venire die ſequenti mane. Idque clarius patebit ſi ordinem rerum geſtarum recenſeamus.

Polycarpus, referentibus Smyrnenſibus, primo in agellum quendam haud procul à civitate receſſerat: Deinde, cum ibi tutus non eſſet, in aliam villam migraverat, ſtatimque quum exiiſſet, advenere qui eum comprehenderent, & quæſtione de domeſticis Polycarpi habitâ, ubi latebram ejus cognoviſſent, inſequuti ſunt eum & egreſſi ex agello, ubi primo delituerat, circa horam cœnæ. Hora cœnæ apud antiquos erat hora diei nona. Et quum Polycarpus circa æquinoctii tempus paſſus ſit, hora diei nona erat, juxta noſtram computandi rationem, tertia poſt meridiem, adeoque prorſus adhuc mature. Pergunt Smyrnenſes; Equites, qui Polycarpum comprehenſuri erant, in eam villam, ubi tunc latebat veſperâ perveniſſe. Veſperâ, id eſt occidente ſole, quod tum uſus vocis exigit, tum inde probatur, quia villa iſta haud longe ab urbe & ab alio agello eſſe poterat; venerunt igitur circa horam noſtram ſextam à meridie. Quum adeſſent, obtinuit Polycarpus horæ moram, quæ tamen prorogata eſt, ita ut duarum horarum ſpatio eum ſibi relinquerent. Quibus elapſis comprehenſus & abductus eſt, horâ noſtrâ nimirum octavâ, adeoque die Sabbathi magni labente. Venit autem in Urbem partim aſino vectus, partim vehiculo, partim pedes, homo decrepitæ ætatis & in itinere pede læſus. Satis ergo lente advenit, & ſi vel ſaltem IV. M. paſſuum villa illa ab urbe remota fuerit, non ante ſolem orientem Smyrnam advenire potuit, alterâ poſt Sabbathum magnum die.

Dices, Smyrnenſes teſtari Polycarpum à militibus feriâ ſextâ in villâ ſuâ repertum eſſe, quod meam ſententiam penitus deſtruit. Reſpondeo hoc quidem in Verſione Latinâ Valeſii reperiri, in Græco textu vero non exſtare. Græca ſunt τῇ παρασκευῇ δείπνου ὥραν, Paraſceve autem hic non neceſſario feriam ſextam deſignat, ſed poteſt ipſum Sabbathum eſſe, quod pridie Paſchatis v. g. incideret, & ob hoc ipſum Sabbathum magnum fuerit.

Ar-

Argumentum autem, quo permotus ſtatuo, poſtridie Sabbathi magni mortuum eſſe Polycarpum graviſſimum ſane, iſtud eſt. Referunt Smyrnenſes, populum ligna & ſarmenta congeſſiſſe ad rogum Polycarpo exſtruendum, præcipue vero Judæos *μάλιςα Ιουδαίων*, &c. alacri animo operam ſuam ad hoc contuliſſe. Quæro nunc, an Sabbathi die potuerint Judæi, ſalvis legibus traditionibusque ſuis, ligna ad rogum ferre? Id adeo ridiculum eſt, ut ridiculum quoque foret me multas citationes idcirco huc afferre, cum res omnibus notiſſima ſit. Sabbatho itaque Judæi hoc non feciſſent, ſed fecerunt: Ergo non Sabbatho mortuus eſt Polycarpus.

§. 7. Decima quinta & ultima ſuppoſitionis nota, hora eſt octava, quâ paſſus dicitur Polycarpus in clauſulâ fictitiâ Epiſtolæ Smyrnenſium. Hora illa non eſt certe octava noctis, nam die non nocte hæc geſta ſunt. Ergo octava diei, nobis circiter ſecunda poſt meridiem. At ex iis, quæ §. 16. dicta ſunt, apparet Polycarpum primo mane Smyrnam adveniſſe, & teſtantur Smyrnenſes, eum rectâ in Amphitheatrum adductum eſſe. Videant ergo Eruditi, num confeſſio & mors ejus octo horarum tempus impleverint, prout à Smyrnenſibus referuntur. Mirum ſi id cuiquam videatur!

§. 7. Etquidem horâ octavâ.

Quibus cunctis rite perpenſis & ponderatis, mihi videor ſummo jure pronunciaſſe, ſuppoſititiam eſſe totam illam clauſulam Smyrnenſium epiſtolæ adpenſam, adeoque Characteres anni emortualis Polycarpi inde deſumptos, longe incertiſſimos eſſe.

CAPUT XVI.

Tempus verum Mortis Polycarpi expenditur.

ARGUMENTUM.

Nota Hiſtorica ejus anni, §. 1. *Quibus alia adjunguntur.* §. 2. *Controverſia de Edicto Antonini pro Chriſtianis* §. 3. *Quod à Pio & Marco datum eſſe probatur.* §. 4. *Et quidem A. CLXI.* §. 5. 6. *Polycarpus eodem anno paſſus* §. 7. 8. *De Pionis Actis* §. 10.

§. I.

§. I Notæ Hiſtoricæ quibus annus ille inveniri poteſt.

SUpereſt nunc aliunde colligamus, quo tandem tempore Polycarpus vitam cum morte commutaverit.

Primo; Irenæus ſcripſit ſub Eleutherio, Eleutherius ex meo ſyſtemate mortuus eſt A. CLXXVI. Et ſane multis probavit Dodwellus Irenæum A. CLXXV. ſcripſiſſe. At jam mortuus erat Polycarpus, cum ſcriberet Irenæus, nam ejus ut defuncti mentionem facit. Ergo Polycarpus ante A. CLXXV. mortuus eſt.

Secundo; Irenæus de ſucceſſoribus Polycarpi in cathedrâ Smyrnenſi loquitur L. III. Cap. 3. Ergo jam ab aliquot annis ante mortuus erat Polycarpus, cum aliquot ſucceſſores habuerit.

Tertio; Irenæo juvene admodum, Polycarpus jam ſenex erat, & Irenæus A. CLXXV. jam ipſe admodum provectæ ætatis, (vid. ſupra Cap. XIII. §. 2.) Utpote labente ſæculo I. vel ineunte II. natus, quemadmodum probavit Dodwellus. Etiamſi ergo tricenarius Irenæus circa A. CXXX. Polycarpum vidiſſet, & Polycarpus utpote Irenæi reſpectu ſenex, ſexagenarius fuiſſet, cum Polycarpus A. LXXXVI. probabiliter vixerit, debuerit circa A. CLVI. plus minus mori.

Quarto;

Digitized by Google

Quarto; Polycarpum LXXXVI. annos vixiſſe ipſe teſtatur, referentibus Smyrnenſibus, Quem annorum numerum male nonnulli de annis profeſſionis Chriſtianæ intellexerunt, à Pearſonio refutati, nec ullo argumento nixi, niſi præconceptis ſuis opinionibus.

Quinto; Ignatius ad Smyrnenſes & ad Polycarpum A. CVII. ſcripſit, Polycarpo jam inter Epiſcopos claro, ut ſupra l. c. monuimus. Unde jam aliquot anni elapſi erant à quo Epiſcopus foret. In antiquiſſimis autem Eccleſiæ temporibus, infra triginta annorum ætatem Epiſcopi non eligebantur, & diſerte eam ætatem præſcribunt Conſtitutiones Apoſtolicæ, quas Ignatianâ ætate ſcriptas eſſe, & ejus temporis Eccleſiam deſcribere, in Diſſertatione huic operi additâ probamus. Unde ſi A. CVII. Polycarpus quinquennis Epiſcopus ſupponatur, adeoque annos natus ſaltem XXXV. annus ipſius LXXXVI. emortualis in A. CLVIII. incidet. Si vero A. CVII. Polycarpus per VII. annos Epiſcopus fuiſſe ſtatuatur, mortuus fuerit A. CLVI.

§. 2. Sexta nota inde deſumitur, quod tempore Martyrii Polycarpi unus tantum Imperator Romanos rexerit; Nam unius Imperatoris nomine omnia geruntur. Jubetur Polycarpus per ſalutem Cæſaris, non Auguſtorum, jurare. Igitur ſequitur, Polycarpum antea obiiſſe, quam M. & L. Veri Imperatores eſſent, & Rem Romanorum æquali poteſtate regerent; Alias nulla ratio eſſet, cur per unius Cæſaris potiusquam utriusque ſalutem Polycarpus juraret, &c. Rexere autem Imperium Divi Fratres ab A. CLXI. ad CLXX. Itaque, vel ante vel poſt paſſus eſt Polycarpus. Non poſtea: nam aliæ notæ Chronologicæ id vetant. Igitur antea. Unde iterum ad A. CLVI. vel CLVIII. vel alios proximos deducimur.

§. 2. Quibus aliæ adjungun-tur.

Septimo. Perſequutio erat publica in Imperio Romano adverſus Chriſtianos, cum Polycarpus moreretur. Nam ipſe, cum cæteris cunctis qui detegi potuere, ſententiâ Magiſtratus, nullo tumultu populari, Cæſaris nomine, morte plectitur. Imo mors ejus ultima victima fuit ab hoſtibus Chriſtiani nominis

 oblata,

Digitized by Google

oblata, & eo defuncto ſtatim Perſequutio ceſſavit, referentibus Smyrnenſibus initiò Epiſtolæ ſuæ. Quæ Perſequutio quum publica fuerit, & auctoritate Imperatoriâ munita, nonniſi eadem auctoritate & Edicto publico ceſſare potuit. Unde patet, non ſub M. Aurelio, etiam ſolo poſt mortem L. Veri, obiiſſe Polycarpum; Nam M. Aurelii perſequutio demum Edicto ejus terminata eſt, poſt bellum Marcomannicum A. CLXXIV. dato, quo uſque Polycarpi vitam prorogare non licet, niſi Centenario multo major fingatur. Et ne hoc quidem fingi poſſe Irenæi loca aliaque multa probant.

Octavo. Perſequutio Antonini Pii durabat adhuc A. CLVIII. & ſequenti, tunc enim Juſtinus Apologias ſuas ſcripſit, ut ſuprà abunde probatum. Duraverat autem jam per plures annos, quod præter Juſtinum, omnes Hiſtoriæ docent. Igitur non ante A. CLIX. mortuus eſt Polycarpus, quia non prius deſiit Perſequutio Antoniniana, quæ tamen ſtatim poſt ejus mortem finem habuit.

§. 3. Controverſia de Edicto Antonini pro Chriſtianis.

§. 3. Nono. Antoninus nullum adhuc Edictum in Chriſtianorum gratiam interpoſuerat A. CLIX. Eo enim anno alteram apologiam à Juſtino traditam eſſe docuimus, Interpoſuit tamen ante mortem ſuam, quæ A. CLXI. contigit. Igitur Edictum illud ad A. CLX. præter propter pertinet. Ad eundem itaque annum ſpectat mors Polycarpi. Sed fuſius hoc probandum & hujus Edicti tempus enucleandum.

Antoninum Pium Edicto Perſequutionem cohibuiſſe, vel ex Melitone conſtat ap. Euſeb. L. IV. Cap. XXVI. qui duo diſertiſſime teſtatur. Primo, Antoninum Edicta hæc dediſſe, quando cum filio M. Aurelio Imperium regeret, id eſt poſt A. CXLVII. quo aſſumptus eſt Marcus in conſortium Imperii. Secundo: Antoninum Edicta hæc ad Lariſſæos, ad Theſſalonicenſes, ad Athenienſes, ad univerſos denique Græcos miſiſſe. Jam exſtat, ad calcem Apologiæ Juſtini ſecundæ ſeu majoris, Edictum ſub Antonini Pii nomine, ad Commune Aſiæ, id eſt, ad cunctas Aſiæ Minoris civitates miſſum,

&c.

Digitized by Google

& ſic inſcriptum IMP. C. T. ÆL. HADR. ANTONINUS AUG. PIUS P. M. TR. P ... COS. IV. P. P. XXI. COMMUNI ASIÆ S. qui tituli ad Antoninum Pium pertinent. At vero Euſebius L. IV. Cap. XIII. idem Edictum referens & pariter Antonino Pio tribuens, titulum ſic concipit IMP. C. M. AUR. ANTONINUS AUG. ARM. P. M. TR. P. XV. COS. III. COMMUNI ASIÆ S. quæ inſcriptio Marcum Philoſophum deſignat. Abeunt igitur hic in partes eruditi, dubitantque an ad T. vel ad M. Antoninum iſtud Edictum ſpectet, non ſane dubitaturi, ſi æquo animo rem totam penderent. Etenim Euſebius diſerte Antonini Pii eſſe dicit, diſerte quoque Epigraphe apud Juſtinum Pii titulos præfert, Duo igitur graviſſima teſtimonia ſuadent Pii eſſe. Contra Epigraphe apud Euſebium Marco id tribuit. Eſt ſane grave teſtimonium, ſed unicum. Unde, in dubio, Pio potius tribuendum foret. Interim ſemper dubia graviſſima naſcentur. Nam quis titulum Pii in Euſebio eraſit & Marci titulos intruſit? Quo fine id factum? nihil probabile reſponderi poteſt, nec video quo prætextu negari poſſit, titulos Marci ſemper in Euſebio fuiſſe. Si Euſebius ipſe titulos Marci in Hiſtoriam ſuam retulerit, quomodo tam craſſum errorem commiſit, Pium cum Philoſopho confundendo? Licetne hoc de viro abſque dubio Erudito & Chronologo ſupponere? Eſto, confundere potuerit, ubi ſolo Antonini nomine deſignabantur, ſed quomodo non diſtinxerit integros eorum titulos, toto cœlo diverſos? Si diſtinxerit, putavit ergo Edictum hoc, licet Marci nomen præferat, tamen ad Pium pertinere.

§. 4. Quod à Pio & Marco conjunctim datum eſſe probatur.

§. 4. Iſtud advertere debebant Eruditi, & omnino miror quomodo non nodum ſolverint, ſolvendo tamen facillimum. Quod ut perſpicue doceam, nonnulla à Lectore perpendi velim. Primo, Adeſt titulus Pii, adeſt alter, Philoſophi perſonam indicans. Neuter intruſus vel ſuppoſititius eſſe poteſt. Nam quis? & cur? & quomodo in omnibus exemplaribus ſuppoſuiſſet? oportet ergo non alterutrum rejicere, ſed utrumque con-

Digitized by Google

conciliare. Deinde, ſi ſuppoſitus eſſet aliquis titulus, & à falſariâ manu profectus, prorſus aliter diſpoſitus eſſet. Id eſt: Euſebius promittit Pii Edictum ſe daturum, & tamen Marci legitur. Facile eſt concipere falſarium, pro Marci titulo, alium Pii intruſurum fuiſſe, ut nempe contradictionem in Euſebio tolleret, at abſurdum eſt eum, Pii titulo ſublato, alium Marci ſuppoſuiſſe, contra verborum Euſebii fidem. In Juſtino nec Pii nec Marci Edictum promittitur, unde nulla erat ratio titulum mutandi, & Pium pro Marco intrudendi. Imo mutatio illa abſurda erat, cum Euſebius pro antiquâ lectione ſtaret. Neuter igitur titulus ſuppoſitus eſt. Poſtea Euſebius, Edicto illo relato, ad Melitonem provocat, qui, in Apologetico ad Marcum, hæc ita geſta eſſe teſtetur, locumque Melitonis refert L. IV. Cap. XXVI. qui ſic Marcum alloquitur, *ὁ δὲ Πατήρ σου ϗ σοῦ τὰ σύμπαντα διοικοῦντος αὐτῷ.* &c. *Pater tuus, te quoque omnia cum eo adminiſtrante, ſcripſit ad Civitates, &c.* Igitur ultima Pii Edicta pro Chriſtianis ad civitates (quorum noſtrum unum eſt) unà Imperante Marco ſcripta ſunt, unde conveniebat utriusque nomen Edictis præfigi. Deinde, Edictum illud Marci non potuit poſt mortem Pii ſcribi, Tum quod L. Veri nulla ibi mentio, & tamen omnia Edicta Divorum fratrum utriusque nomine, & in plurali perſonâ facta fuerint; tum quod nulla mentio fiat in Hiſtoriâ Edictorum, à Marco in gratiam Chriſtianorum ante bellum Marcomannicum datorum; tum quod contra, e Juſtini rebus ſupra diſcuſſis, ex Athenagorâ, ex aliis cunctis pateat, perſequutionem ab initio Marci perpetuo per plures annos duraſſe; tum quod Melito Antonino, & quidem ſolo poſt mortem Lucii, apologeticum offerens, & majorum exemplis eum emollire ſtudens, proprium ſuum exemplum non alleget, ſed ſe ſperare ſaltem dicat, Marcum erga Chriſtianos non minus clementem futurum, quam majores fuerint, &c. Ex quibus patet Edictum noſtrum ante Pii mortem, adeoque à Pio Marcoque conjunctim ſcriptum eſſe. Ulterius, idem docent Edicti verba nonnulla. Apud Juſtinum ubi Pius loquitur, qui primus

ſu-

Digitized by Google

ſupremusque Auguſtus erat, ſemper ſolo ſuo nomine loquitur & Hadriani Patris exemplum citans τῷ θειοτάτῳ μου πατρὶ *Patri meo* inquit; Paulo poſt, iterum, τοῦ πατρός μου *Patris mei.* At apud Euſebium Marcus junior ſecundariusque Auguſtus, alias etiam ſolo nomine ſuo agens, & idem verbo tenus Edictum ſcribens, tamen in utroque loco de Hadriano aliquid in verbis mutat. In primo habet τῷ θειοτάτῳ ἡμῶν πατρὶ *Patri Noſtro*, in altero τοῦ Πατρὸς *Patris* ſimpliciter, quod ſc. Hadrianus proprie Pii Pater eſſet, &c. Tandem notatu dignum eſt, auctorem hujus Edicti filium Hadriani fuiſſe, quod de Pio verum eſt, unde Pium id Edictum dediſſe patet. Nam quæ de Patre illic dicuntur, eum Epiſtolas à Præſidibus Provinciarum de Chriſtianis accepiſſe, iisque reſpondiſſe, Hadriano conveniſſe omnes norunt, Pio vero id nemo tribuit. Et Melito dum accurate Edicta Imperatorum pro Chriſtianis recenſet, Epiſtolas tales Hadriano, nullas Pio tribuit. Adde præterea, vel inde patere, Pium & Marcum una Edictum noſtrum dediſſe. Nam cum ab Imperatore aliquo datum fuerit, qui Hadriani filius fuerit, & tamen à duobus datum ſit, patet à Pio & Marco datum eſſe. A duobus autem proficiſci docet illa Phraſis *Patri noſtro*, cum alias omnia in ſingulari perſonâ dicantur, nec Imperatores plurali in Edictis uſi fuerint. Conſtare igitur debet Pium cum Marco filio, communi conſenſu, hoc Edictum emiſiſſe: Unde uterque, ſeparatim cum ſuo nomine, exemplar ejus Aſianis tranſmiſerit, & inde diverſitatem titulorum oriri. Potuiſſent ſane fuſius rationes hujus Propoſitionis expandi, at brevitati me ſtudere oportuit, reliquum induſtriæ Lectoris relicturus.

§. 5. Sed præcipuum ejus rei Argumentum adhuc mihi proferendum eſt, quod ſolum ita clarum eſt, ut ſufficere debuerit oculis Doctorum aperiendis, & nodo ſolvendo. Inſcriptio Edicti apud Euſebium, Marci TR. P. XV. & COS. III. jungit, & eo anno Edictum datum eſſe indicat. Marcus Conſul tertium fuit anno CLXI. Tribuniciam Poteſtatem XV. eodem anno accepit, ut ex nummis manifeſtiſſime pa-

§. 5. Etquidem A. CLXI.

patet, multis argumentis, v. g. quod in iis TR. P. XIV. COS. II. & TR. P. XV. COS. III. legatur, & ſic porro. Igitur hoc Edictum A. CLXI. datum eſt. Accepit autem Marcus Tribunitiam Poteſtatem d. 25. Febr. ut patet ex Capitolino in Ant. Pio Cap. 2. ex ſumma temporis quo imperavit, ex nummis, &c. Unde Edictum noſtrum datum eſt A. CLXI. poſt 25. Febr. Antoninus Pius autem mortuus eſt eodem A. CLXI. d. 6. Martii. Igitur Edictum hoc à Marco datum eſt eo anno, quo mortuus eſt Pius, & potuit ante Pii mortem dari. Huic obſervationi ſi addas Edictum tale aliquod à Pio datum eſſe, paulo ante mortem ſuam, ut de Juſtino agens probavi: quod Edictum, æque ac noſtrum iſtud, ad Civitates & Concilia Civitatum miſſum fuerit, Melitone teſte; non video certe amplius quid deſiderari poſſit ad probandam meam ſententiam.

Aliquid tamen adhuc addo. Nempe Antonini Pii annos in Edicto notatos conſiderari volo. Apud Juſtinum Pius in titulo COS. IV. vocatur, TR. P. numerus deeſt, ſed e contrario P. P. XXI. legitur. Quod abſurdum, nam titulus Patris Patriæ numerum non patitur. Tranſponendus igitur omnino numerus, & ad TR. P. referendus. Antoninus Pius COS. IV. fuit A. CXLV., TR. P. XXI. vero anno CLVIII. Quo quidem anno & ſequenti perſequutio certiſſime duravit, ut de Juſtino differens dixi, unde Edictum hoc eo anno datum non eſt. Levi ergo mutatione & frequentiſſimâ pro KA legendum KΔ, & ſic TR. P. XXIV. habebimus, quam iniit Antoninus d. 25. Febr. A. CLXI. paucis ante mortem diebus, eodem quo Marcus TR. P. XV. iniit. Extra dubium igitur eſt, tunc Edictum noſtrum datum eſſe. Viden' quam belle omnia conveniant. Atque ſic unâ operâ & nodus ſolvitur, & Euſebius ab errore inepto liberatur. Et Edictum iſtud auctoribus ſuis Antonino Pio & M. Aurelio Auguſtis, temporique ſuo ſc. A. CLXI. inter d. 25. Febr. & d. 6. Mart. reſtituitur.

§. 6.

Digitized by Google

§. 6. Obſervavit V. C. Pagius Edicta hujus generis, in Solemnibus, ut Quinquennalibus &c. Imperatorum proponi ſolita eſſe. Quod iſthic apprime convenit. Nam celebrabantur anno CLXI. d. 25. Febr. & porro, Quinquennalia tertia Imperii Auguſtei M. Aurelii. Præterea Edictum iſtud datum eſt ad Commune Aſiæ, & quidem congregatum Epheſi, ut in Euſebio notatur. Congregabatur autem tempore Ludorum, qui inde nomen ſortiti, & Ludi Communes Aſiæ dicti ſunt. Hi quinquennales erant, ut, præter alios, Seldenus alicubi ad marmora Oxonienſia notavit; & in honorem Imperatorum celebrabantur, unde civitates Neocoræ Imperatorum audiebant; Ex quo facile eſt videre Ludos illos in Quinquennalibus, Decennalibus &c. Imperatorum celebratos fuiſſe, quam Theſin multis ſi vacaret firmarem, alibique forte probaturus ſum. Igitur iterum ſequitur, Edictum noſtrum in Quinquennalibus ſimilibusque ſolemnibus ſcriptum eſſe, adeoque recte à nobis A. CLXI. collocatum, tertiis nimirum Marci Quinquennalibus. §. 6. Qua occaſione?

§. 7. Nunc facile Polycarpi annum emortualem reperire poterimus. Mortuus eſt perſequutione durante, quum tamen ea deſineret, & ſtatim eo mortuo compeſceretur. Mortuus eſt inter *A. CLVI.* vel *CLVIII.* & initium Marci. Nullum ergo tempus morti ejus convenit præter *A. CLXI.* quo perſequutio ultimis Antonini Pii diebus ceſſavit. Et *A. CLXI.* paſſum eſſe Polycarpum nec non Pionium, aſſerit auctor faſtorum Idacius, in Shelſtrateno p. 552. Alia circumſtantia addi debet, quæ mire hanc hiſtoriam illuſtrat. Ludi quidam Smyrnæ agebantur cum Polycarpus moreretur, hoc manifeſtum eſt ex tota Smyrnenſium narratione. Vidimus jam *A. CLXI.* celebrata eſſe Communia Aſiæ. Ludi autem Communes Aſiæ Smyrnæ agebantur, ut docent inſcriptiones nummique. Itaque Ludi Smyrnæ revera erant eo tempore, quo Polycarpi mortem colloco. Et ſic facile omnia conciliari poterunt. Irenæus ſcripſit *A. CLXXV.* cum Polycarpus ante XV. annos obierat, & tertium vel quartum ſucceſſorem in Cathedrâ habere pote- §. 7. Polycarpus A. CLXI. paſſus.

Digitized by Google

rat. Polycarpus vixit *LXXXVI.* annos, adeoque natus eſt *A. LXXV.* Igitur ſi Irenæum *A. CXXX.* viderit adhuc triginta annis minorem, ipſe brevi ſexagenarius, certe ſenex juvenem vidit. Potuit quoque Polycarpus *A. CIV.* vel *CV.*, ætatis *XXX.* Epiſcopus creari, & in quartum annum Epiſcopatum tenuiſſe, quum Ignatius ad eum ſcriberet. Unus quoque Imperator Romanos regebat *A. CLXI.* nam Marcus minor & ſecundarius Auguſtus erat, unde ſolus Pius apud Chronologos recenſetur. Perſequutio erat publica, quam Juſtinus aliique, libellis ad Imperatorem datis incaſſum, avertere tentaverant. Deſiit autem ſtatim poſt Polycarpi mortem. Et ſic omnibus notis ſatisfactum eſt.

§. 8. Quod notâ Aſtronomicâ firmatur.

§. 8. Supereſt nunc videre, an Anno à nobis reperto reſpondeat Character Aſtronomicus. Nam etiamſi clauſulam totam rejiciam, Epiſtolæ Smyrnenſium aſſutam, nihilominus aliqua nota Chronologica in ipſâ Epiſtolâ reperitur. Nempe Polycarpum mortuum, die quæ Sabbathum Magnum ſequebatur, quod quidem Sabbathum fuerit Paraſceve aliqua, quemadmodum ſupra oſtendi. Quum Polycarpus mortuus ſit circa id tempus, quo Edictum Antonini Smyrnam venit, quod Edictum poſt d. 25. Febr. & ante d. 6. Mart. factum eſt, concludo eum menſe Martio mortuum eſſe, quo nulla Feſta Judaica incidunt, præter Novilunium Niſan, & Paſcha, hoc certe anno. Fuitne igitur Sabbathum hoc magnum Paraſceve Paſchatis? Paſcha Judaicum hujus anni, ſi rite computes, invenies è Tabulis Calviſii, novilunium Paſchale incidere in d. 14. Mart. poſt horam 10. ante meridiem feriâ 6. Plenilunium in d. 29. Mart. h. 5. fere ante meridiem, feriâ 7. Si vero ex Phaſi judicium feras utrumque tardius habebis. At veroſimile mihi non videtur, Sabbathum noſtrum fuiſſe Paraſcevem Paſchatis, nam d. 29. Martii neceſſarium erat Smyrnenſes mortem Antonini Pii accepiſſe, quæ ante 23. dies Romæ contigiſſet; unde ſciviſſent Smyrnenſes à duobus Collegis Orbem Romanum regi. Igitur crediderim potius Sabbathum magnum, Paraſcevem eſſe cujusvis feſti; Judæos novilunium ex Phaſi obſer-

Digitized by Google

ſervaſſe; Lunam licet d. 14. Mart. renovatam paulo ante Meridiem, tamen modo d. 16. Mart. apparuiſſe, forte mane; adeoque d. 15. Martii Paraſceven novilunii fuiſſe, quæ cum fer. 7. fuerit ob Litt. Dom. E. hujus anni, Sabbathum magnum aliquod fuerit. Sed hæc ſatis incerta & à me in medio relinquuntur. Nec ulterius immorari vacat, cum jam nimium Polycarpo noſtro immorati ſimus, cujus digreſſionis, veniam à Lectore iterum iterumque expeto.

§. 9. Opus eſſet in præſentiâ de Pionio diſſerere, & in tempus mortis ejus inquirere, ad quam diſcuſſionem ſæpe in præcedentibus Lectorem remiſi. Sed quum id in nimiam molem excreſcere poſſit, malo totam diſquiſitionem ſeponere, & in aliud tempus relinquere, ſi, verbi gratiâ, liceat Hiſtoriam hanc meam Epiſcoporum Romanorum, ad ea uſque tempora producere, quibus Pionius paſſus eſt. Interea id modo moneo, me Acta Pionii pro ſuppoſitis habere, & Pionium meâ ſententiâ unâ cum Polycarpo, vel eodem circiter tempore, morti traditum eſſe. Clauſulam Martyrio Polycarpi additam, etiam antiquis Pionii actis nunc deperditis adjunctam eſſe, & in hodiernis valde licet corruptam legi, quæ ratio eſt, quamobrem Characteres Aſtronomici Martyrio Pionii aſſuti, nec anno quo ejus paſſio collocatur, nec ulli Decianæ Perſequutionis anno conveniant, ſed ex Characteribus Martyrio Polycarpi aſſignatis deturpati ſint. Euſebius autem, qui nec cœcus, nec Hiſtoriæ imperitus erat, nec ita ſtupidus ut Antoninum Pium cum Trajano Decio confunderet, qui Pionii acta legerat, relegerat, tranſcripſerat & Martyrologio ſuo inſuerat, teſtis eſt, Pionium eadem Perſequutione cum Polycarpo paſſum eſſe. Sed de his alias.

§. 9. De Actis Pionii.

CAPUT XVII.

De annis Soteri Et Eleutheri.

ARGUMENTUM.

Soteri tempus, §. 1. *Eleutheri tempus*, §. 2. *E Tertulliano firmatur*, 3. §. *Martyres Lugdunenſes quando paſſi?* §. 4. 5. *Ludi Lugdunenſes an quinquennales?* §. 6. *Quando à Caligulâ ſpectati.* §. 7. *Hiſtoria rerum Judaicarum ſub Caligulâ, maximè è Philone, excutitur, Caji Hiſtoria corrigitur, & Suetonii Dionisque errores oſtenduntur.* §. 8—12. *Annus perſequutionis Lugdunenſis conjicitur.* §. 13.

§. 1.

§. 1. Soteri tempus. §. 1. Relicto igitur Aniceto ad Soterum tranſeo, cujus annos ex Catalogis ſic exhibeo.

Catalogus Liberianus	A. IX.
Juſtinianeus	A. VIII.
Sub litt. B.	A. IX.
Sub litt. E.	A. IX.
Sub litt. F.	A. IX.
Sub litt. G.	A. IX.
Liber Pontificalis	A. XIX.
Euſebius	A. VII.
Nicephorus	A. IX.
Syncellus	A. IX.
Eutychius	A. IX.

Apparet communi conſenſu Sotero tribui IX. annos. Manifeſtum enim Libri Pontificalis mendum non moror. Unde di-

Digitized by Google

dicendus eſt Soter ſediſſe ab *A. CLII.* Glabrione & Omullo Coſſ. uſque ad *A. CLXI.* M. Aurelio *III.* & L. Vero *II.* Coſſ.

Euſebius quidem annos *VII.* modo agnoſcit in Chronico, nam in H. E. prorſus numerum omittit, ſed legi debere *VIIII.* Chronotaxis docet: Collocat enim Soteri initium *A. VIII.* Marci & finem A. XVI. vel *XVII.* ita ut revera ſint *IX.* anni.

Nullas quidem notas peculiares reperi, quibus Soteri tempus confirmari poſſit. Sed ſatis firmo fundamento nititur, toto nempe Chronologicæ meæ Syſtemate; Unde nunc ad Eleutherum tranſeo, qui Sotero in Epiſcopatu Romano ſucceſſit, & qui occaſionem nobis ſuppeditabit nonnulla diſſerendi.

§. 2. Eleutheri annos Catalogi ſic recenſent, tribuunt ei:

Catalogus Liberianus	A. ....
Juſtinianeus	A. XV.
Sub litt. B.	A. XV.
Sub litt. E.	A. XV.
Sub litt. F.	A. XV.
Sub litt. G.	A. XV.
Liber Pontificalis	A. XV.
Euſebius	A. XV.
Nicephorus	A. XV.
Syncellus annos V. ſed lege	A. XV.
Eutychius.	A. XV.

Quindecim annos Eleuthero, communi conſenſu, tribuunt omnes Catalogi, Liberiano antiquiſſimo excepto in quo ſumma annorum deeſt, ex aliis reſtituenda.

Non dubium igitur eſt Eleutherum ſediſſe *XV.* annis, ab *A. CLXI.* M. Aurelio *III.* & L. Vero *II.* Coſſ. uſque ad *A. CLXXVI.* Pollione *II.* & Apro *II.* Coſſ. Quod notis variis mihi nunc firmandum erit.

Digitized by Google

§. 3. E Tertulliano firmatur.

§. 3. Primam harum notarum mihi ſuppeditabit Tertullianus, qui Marcionis & Valentini hiſtoriam referens in libro de Præſcript. Cap. XXX. Et contra Marc. L. I. Cap. XIX. narrat eos ſæpe ex Eccleſiâ ejectos, iterumque receptos, donec, *Eleuthero Pontifice*, *Antonini fere tempore*, penitus ejicerentur. Agit autem ibi de Antonino Seniore vel Pio. Sive vera ſit Tertulliani narratio, ſive ut quidam volunt falſa, ſive ut ſupra dixi, partim vera, ſc. quoad Marcionem, partim falſa, ſc. quoad Valentinum, id certe inde conſtat, Eleutherum vixiſſe *Antonini fere tempore*, auctore Tertulliano, viro Erudito, & qui eodem tempore jam in vivis erat, reſque Eccleſiæ Romanæ non ignorabat.

Antoninus Pius obiit A. CLXI. d. 6. Martii, ut jam alibi dixi, & inter omnes conſtat. Eleutherus igitur antea jam Epiſcopus creatus fuerat. Juxta meam Chronologiam Soter ipſo hoc anno mortuus eſt, & potuit ſtatim initio anni mori: Imo non repugno, quo minus labente anno præcedente mortuum ſtatuas, quoniam plane incertum eſt an completi, an incompleti fuerint anni *IX.* quibus ſedit, imo incompletos fuiſſe ſuadet Catalogus Juſtinianeus auctoritatis magnæ prorſus, qui *VIII.* annos ei tribuit. Quot vero menſes ſupra hos *VIII.* annos elapſi ſint, non magis ſcio, quam quâ præciſe anni parte Soter Aniceto ſucceſſerit, unde tempus mortis Soteri intra plures menſes libere vagari poteſt. Interim manifeſtum eſt, ex mea Chronologiâ, Eleutherum Epiſcopum Romanorum fuiſſe, priusquam Antoninus Pius moreretur. Quod in nullo adeo Syſtemate reperitur, adeoque meam temporum rationem invicte ſtabilit.

Et vide quam accurate loquatur Tertullianus, & quam exacte verum ſit Syſtema meum! Eleutherus Pontifex Hæreticos expulit *Antonini fere tempore*, inquit noſter. Quid vox illa *fere* indicat, niſi Eleutherum exiguo ſaltem tempore ſub Antonino Pio Eccleſiæ Romanæ præfuiſſe, & Tertullianum non plane certum eſſe, an ſub eo Imperatore accurate expul-

ſio

Digitized by Google

ſio Hæreticorum contigerit, initio certe Eleutheri contigiſſe, adeoque circa Antonini Pii finem, &c? Et ſane, paucos modo menſes ante Antonini mortem, Eleutherus cathedram Romanam occupavit.

§. 4. Ad aliam nunc notam annorum Eleutheri tranſeo, nempe celebrem illam perſequutionem Lugdunenſem, quæ in Eccleſiarum illius Provinciæ Epiſtolâ recenſetur apud Euſeb. L. V. Cap. I. ſqq. Et de quâ multæ lites inter Eruditos ſunt, ad quod tempus nempe referenda ſit. Euſebius affirmat eam L. Veri tempore contigiſſe, & non eſſet ſane in dubium revocanda ejus aſſertio, niſi nonnulla ei obſtare viderentur. Verum quidem eſt, Euſebium Epiſtolam Lugdunenſium integram habuiſſe, cujus modo fragmenta legimus, & inde, nec non ex aliis monumentis, facile colligere potuiſſe, quo tempore omnia hæc contigerint. Attamen volunt in ipſâ Epiſtolâ nonnulla eſſe quæ Euſebii Chronologiam deſtruant. Referunt nempe ejus Epiſtolæ auctores Præſidem Lugdunenſem de Chriſtianis ad Cæſarem retuliſſe, Cæſaremque eâ de re viciſſim reſcripſiſſe. Unius Cæſaris mentio, cujus auctoritate cuncta geruntur, non videtur favere Euſebio; Nam L. Veri tempore, duo Auguſti M. Aurelius nimirum & ipſe L. Verus Imperium Romanum æquali poteſtate adminiſtrabant. Nec videtur ſatisfeciſſe huic objectioni Dodwellus, qui eam refellere operoſe nititur. Nam etiamſi Hiſtorici teſtentur, Verum maxime res Imperii neglexiſſe, & in ſpecie cognitiones & Præſidum relationes, hoc enim unicum eſt quod Dodwellus oſtendit, tamen non inde ſequitur, relationes non ad utrumque Imperatorem directas eſſe, reſcriptaque utriuſque nomine inſignita fuiſſe. Certe id ſemper tum in Codice, tum in Legibus citatis obſervatum videmus, *Divi fratres reſcripſerunt*, & ſic porro. Alias de Principe vecordi, & qui omnia Præfectis ſuis committit, dici quidem poteſt eum res ſubditorum non curare, inepte autem diceretur, Edicta ejus nomine non fieri.

§. 4. Martyres Lugdunenſes quando paſſi?

§. 5. Fuerunt itaque qui Euſebium excuſaturi dixerunt, eum, ob præcipitantiam, M. Verum à L. Vero non ſatis diſtinxiſſe, poteſt.

§. 5. Euſebius excuſari

xiſſe, & huic tribuiſſe, quod ad illum pertinebat. Referunt itaque perſequutionem Lugdunenſem ad Imperium M. Aurelii, cum ſolus poſt L. Veri mortem imperaret. Quam ſententiam ſi amplectaris, hiſtoria hæc inter A. CLXX. & *CLXXV.* collocanda erit. Nam *A. CLXXV.* Marcus Edictum in Chriſtianorum gratiam promulgavit, redux è bello Marcomannico, ut omnes antiqui teſtantur, etiamſi tota illa narratio de Legione Melitenâ fabuloſa hodie apud ſaniores habeatur. Quâ tamen rejectâ, non ideo negari debet, Edictum pro Chriſtianis à Marco datum fuiſſe.

§. 6. Ludi Lugdunenſes, an quinquennales?

§. 6. Invenerunt autem Eruditi aliam notam in Epiſtolâ Lugdunenſium, cujus ope eam tempori ſuo vero reſtituere voluerunt. Nempe refertur in eâ ap. Euſeb. L. V. Cap. *I.* pag. 132. eo tempore quo Martyres Lugdunenſes morti traditi ſunt, fuiſſe Lugduni Πανήγυριν longe celeberrimam, ad quam cunctæ gentes confluerent undique. Volunt ſub hâc deſcriptione, intelligi Ludos Lugdunenſes ſeu miſcellos, in honorem Auguſti inſtitutos. Hoſce ludos Dodwellus quinquennales fuiſſe, i. e. quinto quoque anno ineunte celebratos eſſe cenſet. Unde computat quibus annis celebrari potuerint Imperante Marco, invenitque annos 163. 167. 171. 175. At omnes hos calculos turbat Pagius, qui acerrime contendit Ludos Lugdunenſes quotannis celebratos fuiſſe.

Ludos iſtos A. V. DCCXLIII. Maximo & Tuberone Coſſ. Kal. Jul. à Druſo in honorem Divi Julii inſtitui debuiſſe, ob bellum Germanicum autem dilatos, & A. DCCXLIV. Antonio & Africano Coſſ. Kal. Aug. ab Auguſto (Druſo jam defuncto) in proprium ſuum honorem inſtitutos eſſe, teſtis luculentus eſt Dio, conferendus cum Suetonio in Claudio Cap. II. In annum igitur DCCXLIV. ante Chriſtum X. collocandum eſt caput horum Ludorum. Argumentum autem, quo Pagius eos Annales fuiſſe aſſerit, iſtud eſt, C. Cæſar Aug. Ludos iſtos Lugdunenſes vidit & edidit cum in Galliâ eſſet, teſte Sueton. in Calig. Cap. XX. At in Galliâ fuit A. V. DCCXCIII. Chriſti XL. Nam Conſulatum III. quem eo

anno

Digitized by Google

anno geſſit, Lugduni iniiſſe ſcribitur à Suetonio Cap. *XVII.* At annus *XL.*, non erat annus quo Ludi celebrari potuiſſent, ſi quinquennales fuiſſent, id eſt, ſi quinto quoque anno ineunte celebrari ſoliti eſſent. Annus ludorum celebratorum debebat eſſe, urbis *DCCXCII.* Chriſti *XXXIX.*, adeoque præcedens.

§. 7. Hæc Pagius, qui procul dubio ea non dixiſſet, ſi rem accuratius perpendiſſet. Etenim gratis omnino ſupponit Caligulam *A. XL.* Ludos Lugdunenſes ſpectaſſe. Verum quidem eſt Caligulam, Conſulatum *III.* Lugduni iniiſſe, ſed inde hoc modò ſequitur, eum Kal. Jan. *A. XL.* in eâ Civitate fuiſſe, non vero Kal. Auguſti, quibus Ludi agebantur. Ludos autem ab eo *A. XXXIX.* ſpectatos fuiſſe, quo revera ſpectari debebant, ſi quinquennales erant, facile niſi fallor probabo, ea lege atque conditione, ut digreſſionem iſthic patiatur Lector, quam quantum fieri poterit contraham. Opus autem eſt me totam hiſtoriam ultimi Caligulæ biennii expendere. Et quidem ante omnia indicabo, quæ ſit vulgaris rerum harum diſpoſitio, & quâ auctoritate nitatur. Nempe creditur vulgo Caligulam *A. XXXIX.* labente in Galliam iviſſe, ibi Conſulatum *III.* iniiſſe, deinde expeditionem Britannicam & Germanicam ſuſcepiſſe *A. XL.* Quâ abſolutâ, in Galliam redux, Lugdunenſes ludos ſpectaverit, inde Romam properaſſe, & eodem *A. XL.* prid. Kal. Sept. urbem Ovantem introiſſe. Iis antiquitatis teſtimoniis hic ordo rerum nititur, ut prorſus extra omnem dubitandi aleam poſitus eſſe videatur.

§. 7. Quando à Caligulâ ſpectati?

Nam primo, Dio Chronologico ordine & ad Conſulatuum ordinem res geſtas Caligulæ recenſet, atque ejus abitum Româ in *A. XXXIX.* Expeditionem & reditum in *A. XL.* refert. Secundo, Suetonius Cap. 49. refert, Caligulam Romam die natali ſuo intraſſe, Natalis autem Caligulæ eſt prid. Kal. Sept. vel ipſo teſte Suet. cap. 8. Tertio, Dio manifeſto indicat Cajum Româ A. XXXIX. non ante Septembrem abiiſſe. Nam narrat Cn. Domitium Afrum oratorem à Caligulâ, eo anno Romæ in Senatu accuſatum, deinde vero rurſus in gra-

Digitized by Google

riam receptum, & Conſulem eo ipſo anno creatum eſſe, Conſulibus à Cajo honore privatis, quod victoriam Auguſti de Antonio feſtam egiſſent. Victoria vero Actiaca incidit in d. 2. Sept. Igitur tunc adhuc Romæ erat Cajus. Quantumvis hæc certa videantur, nihilominus confido me manifeſtiſſime probaturum, Caligulam *A. XXXIX.* mature Româ abiiſſe, & Cal. Aug. Lugduni Ludos miſcellos ſpectaviſſe, deinde Expeditionem ſuam feciſſe, ex quâ redux, eodem anno Conſulatum *III.* Lugduni inierit, deinde menſe Martio ineunte Romam veniſſe; adeoque Dionem graviſſime errare, & Suetonium nonniſi difficulter ab errore liberari poſſe.

Dionem, Suetoniumque auctores, Cajo multo poſteriores, *συγχρόνων* auctorum teſtimoniis apertiſſimis, refutabo, Joſephi nempe, & maxime Philonis, nam & Joſephum erroris convincemus.

§. 8. Motus Alexandrini in Judæos ſub Caligulâ.

§. 8. Et quidem quoad Philonem; Opuſculum ejus de Legatione ad Cajum egregie Hiſtoriam hanc illuſtrat, cujus temporum rationem ut perſpiciamus, res altius deducenda, & à primordiis expendenda. Primam nempe cauſſam Legationis hujus, fuiſſe Avilium Flaccum Præſidem Alexandrinum notum eſt. Hujus hiſtoriam peculiari libro narrat Philo. Flaccus provinciam ſortitus fuerat in ſexennium. Philo in Flacc. p. 966. 987. cujus maximam partem, 5. ſc. annos ſub Tiberio rexit, ultimum autem annum Imperante Cajo. Ib. p. 966. Nec tamen totum ſexennium exegit, nam durante adminiſtratione captus, & Romam abductus eſt, p. 980. Sub finem tamen temporis ſibi præfixi, utpote deſignato jam ſucceſſore, & brevi venturo, p. 975. Non autem ſtricte accipiendum, quaſi quinque integros annos ſub Tiberio Ægyptum rexiſſet Flaccus, unum autem tantum ſub Cajo. Brevi enim videbimus eum unum & dimidium ſub Cajo exegiſſe, adeoque modo quatuor & dimidium ſub Tiberio. Sed notum eſt hujus generis dicta Auctorum, rotundo numero expreſſa, nunquam premenda eſſe.

C. Cæſar ſtatim ab initio Imperii Agrippam multis provinciis

Digitized by Google

ciis donavit, Regemque conſtituit, referente Joſepho *L. XVIII. Cap. VIII.* aliisque. Deinde eum per annum integrum Romæ detinuit, ita ut Agrippa demum ſecundo anno Caji, veniam acciperet in Patriam navigandi, regnumque ordinandi. Joſeph. l. c. Annus autem *II.* Caji incipit §. *A. C. XXXVIII.* d. 16. Mart. Prima occaſio, quæ Flaccum & Alexandrinos impulit, publice Judæos opprimendi, adventus fuit Agrippæ, qui in regnum rediturus Alexandria tranſiit. Philo p. 968. Igitur Perſequutio hæc Alexandrina incœpit demum *A. XXXVIII.* poſt Martium. Primus motus Alexandrinorum is fuit, quo Proſeuchas Judæis abſtulerunt, Philo p. 971. Alter poſt paucos dies ſequutus Edicto Flacci, p. 972. Tertius, quo Judæi in unam urbis Alexandrinæ regionem pulſi atque ſpoliati ſunt, p. 973. qui motus contigit eo tempore, quo officinæ ob mortem Druſillæ clauſæ fuerant, p. 973. unde iterum tempus harum rerum geſtarum apparet. Nam Druſilla mortua eſt, ſatis diu poſtquam Cajus Imperium obtinuiſſet, ut e Suetonii aliorumque narrationibus apparet *A. XXXVIII.* ut diſerte teſtatur Dio *L. LIX.* ad hunc annum. Igitur eo anno motus ii contingebant. Et quidem æſtate jam labente, & ineunte autumno, ut è duobus Characteribus à Philone allatis egregie patet.

§. 9. Nam primo, notat Philo p. 968. Agrippam ubi in regnum redire voluit, ex Caji conſilio eteſias expectaſſe, quibus flantibus Alexandriam navigaverit. Eteſiæ autem poſt Solſtitium æſtivum, exeunte Junio vel ineunte Julio, flare incipiebant, ut ex Ariſtotele, Plinio, Senecâ, Ammiano, Auctore vitæ Pythagoræ apud Photium, aliisque, & inter recentiores ex Wanſlebio conſtat, quorum loca brevitatis ergo allegare ſuperſedeo. Igitur Julio menſe Alexandriam appulit Agrippa, & motus hi circa Auguſtum & Septembrem contigerunt. Secundo. Teſtatur idem Philo p. 974. Nili exundationem jam factam eſſe, quando tertius ille Alexandrinorum motus contigit, quo Judæi ſpoliati ſunt. Nilum autem circa §. 9. Eorum progreſſus.

Digitized by Google

Solſtitii tempus creſcere, & circa æquinoctium autumnale exundationem ejus deſinere, ex antiquis & recentioribus auctoribus ita certum eſt, quam quod certiſſimum. Motum vero hunc, decreſcente Nilo, menſe Auguſto, contigiſſe oportet, ut jamjam dicturus ſum, nec determinat Philo num tantum decreſcere cœperit, vel num penitus in ſtatum naturalem redierit. Prius verum eſſe inde patet, quod Flaccus Judæis ſpoliatis, magiſtratus eorum comprehenſos miſere flagellis dilaniari juſſerit, Phil. p. 975. Et quidem, inquit Philo p. 976. nullâ reverentiâ habitâ ſolemnium Natalis Auguſti, qui in eos dies incidebat. Natalis vero Caji eſt prid. Kal. Septembres, ut ex Suetonio cap. 8. & aliunde conſtat. Igitur labente Auguſto menſe hi motus fuerunt. Poſt hunc tumultum, alia Perſequutio in Judæos excitata, dum arma iis auferuntur, Phil. p. 977. Poſt hæc Judæi ad Præſidem mittunt, ut ad Cajum de toto hoc negotio referat, p. 979. Paulo poſt Agrippa venit Alexandriam, ad quem de Flacco queſti ſunt Judæi, & cui libellum ſupplicem ad Cajum tradiderunt. p. 980. Quibus factis, Româ miſſus C. Baſſus, Flaccum captivum in Urbem adduxit, accuſandum & judicandum p. 980. Captus autem eſt circa æquinoctium autumnale, quo tempore Judæi Scenopegiam celebrare debuerant, ob perſequutionem tamen intermiſſam. Juxta rationes Aſtronomicas debuit d. 15. Tiſri, quâ feſtum Tabernaculorum celebrabatur, hoc anno in d. 3. Octobr. incidere. Eo igitur tempore abductus eſt Flaccus. Unde Philo dixit eum hiemis initio Alexandriâ ſolviſſe, ut Romam rediret. p. 983. Et ſic determinatum eſt accurate tempus motuum Alexandrinorum adverſus Judæos. Quibus hæc adhuc nota addenda, quam pene omiſiſſem. Caligula menſe octavo Imperii ægrotavit, Philo de Legat. p. 994. Elapſo, à quo convaluit, aliquo tempore, Tiberium interfecit, Ib. p. 995. Poſt aliquod tempus Macronem occidit. p. 997. Macrone occiſo Flaccus Ægypti Præſes de ſalute ſuâ omnino deſperavit, Philo in Flacc. p. 967. Unde prorſus mores mutavit, ami-

Digitized by Google

amicos omnes abjecit, inimicos pro Conſiliariis adhibuit, &c. Ib. Deinde conſilium accepit Judæos inſequendi. p. 968. Quod primo clam aliquandiu fecit, donec tandem adveniente Agrippa eruperit. Ibid. Hæc omnia non certe paucis diebus nec Septimanis facta ſunt. Unde clarum eſt pluſquam annum elapſum eſſe, ab initio Imperii Caji ad adventum Agrippæ, & motus adverſus Judæos, quod & aliunde oſtenderamus.

§. 10. Turbæ illæ à Flacco excitatæ repetuntur iterum in eodem Philone, opuſculo de Legat. ad Cajum p. 1009. ubi eadem legas de Proſeuchis dirutis & profanatis, de Judæis in unum angulum Urbis compulſis, de Præſide iis adverſante, &c. Poſt quæ Judæi conſtituerunt Legationem ad Cajum mittere, ut de his quererentur, cui libellum perferendum dederunt, eadem in compendio continentem, quæ paulo ante Agrippa, ſe Romam miſſurum, ſuſceperat. Videtur itaque ex iſtis, Philonem Legationem eam ſtatim poſt Flacci abitum inſtituiſſe A. XXXIX. Sed aliter ſe res habet. Inter accuſatores Flacci, qui eum aggreſſi ſunt, ubi Romam rediiſſet, & quos Philo recenſet, non apparuere Judæi, qui legationem ſuam demum A. XL. inſtituerunt, cum nempe viderent ſe non tranquilliori ſtatu, ſub novo Præſide, quam ſub veteri frui. Ut hoc probem, ſufficiet totam hiſtoriam ad ductum Philonis narrare, & ubicunque notæ Chronologicæ occurrent, eas obſervare, quemadmodum jam in Flacci Hiſtoriâ feci. Videntur autem ideo, inter cætera, Judæi A. XXXIX. à legatione abſtinuiſſe, quod Cajum expeditionibus ſuis occupatum eſſe ſcirent.

§. 10. Legatio Judæorum ad Cajum.

Profecti ſunt Legati Judæorum Alexandrinorum mediâ hyeme, ut Romam tenderent, Philo de Leg. p. 1019. hoc eſt, ut ego interpretor, A. XL. ineunte. Romæ Imperatorem in Campo Martio viderunt, & deinde eum ad oras Bajanas Puteolanasque ſequuti ſunt, p. 1018. Id ad menſem Martium labentem refero, quum Cajus jam è Gallia rediiſſet, & in hoc Caji itinere Bajano omnia ea contigiſſe cenſeo, quæ de Herode Tetrarcha Joſeph. *L. XVIII.* Cap. *IX.* narrat, ut jamjam pro-

Digitized by Google

probabo. Dum Puteolis eſſent Legati, refertur ipſis, Cajum mandatum mittere ad Petronium, de ſtatuâ ſuâ in templo Hieroſolymitano collocandâ, Philo p. 1019. Quâ occaſione Philo à propoſito digreditur, & totam Hiſtoriam rerum ejus ſtatuæ occaſione geſtarum refert, quam deinde etiam expendemus. Sed p. 1040. ad rem redit, narratque quomodo tandem à Cajo accerſiti ſint, & quid cum ipſo egerint, dum hortos & villas, undique in illis oris confertas, circuiret, quâ in re agenda Cajum occupatum fuiſſe, jam ſupra p. 1018. monuerat, addideratque ſe cum cæteris legatis quotidie, ut Cajum alloqui liceret expectaſſe. Ubi igitur tandem id obtinuit, & alia multa Cajo dixit, & inter cætera Judæos Sacrificia multa obtuliſſe votorum inſtar, pro bello Germanico, p. 1041. Ex quo patet Legationem hanc poſt bellum Germanicum ad Cajum perveniſſe, adeoque non A. XXXIX. ſed A. XL. quæ eſt prima nota.

§. 11. Statua Caji Hieroſolymis ponenda.

§. 11. Jam vidimus Cajum juſſiſſe, ſibi ſtatuam Hieroſolymis poni, quo tempore Legati apud ipſum in orâ Bajanâ erant. Refert Philo litteras Caji hâc de re ad Petronium perveniſſe, Petronium dubium hæſiſſe quid ageret, deinde negotium procraſtinare quæſiviſſe, ſtatuam pulcherrimam fieri jubendo, ſed quæ cito parata non eſſet; Interim primores Judæorum advocaviſſe, & ut Cajo obtemperarent fruſtrà adhortatum eſſe. Quibus in Judeaâ vulgatis, Judæi omnes ad Petronium in Phœniciam agmine facto venerint, eumque precibus flectere quæſiverint, nec fruſtrà; Petronium ad Cajum ſcripſiſſe, & omnia iterum differre conatum eſſe, inter cætera prætexentem, Judæos non irritandos eſſe, ne meſſem negligerent, maturas enim tunc ſegetes maturoſque fructus fuiſſe. Philo p. 1019—1028. Nota hoc: Segetes matureſcere in Judæâ incipiebant labente mente Niſan, id eſt circa ineuntem Aprilem, Fructus paulo ſerius; igitur iſta verſus Majum menſem geſta eſſe oportet. Pergit Philo: Cajum acceptâ Petronii Epiſtolâ valde iratum eſſe, reſcripſiſſeque ut nihil prius dedicatione ſtatuæ haberet, ceſſaſſeque excuſandi rationem,

cum

Digitized by Google

cum jam convectæ ſint fruges, convectique fructus. p. 1029. Tempus meſſis menſe Sivan deſinebat, duo enim menſes meſſi aſſignabantur, fructus colligi paulo ſerius deſinebant, nam ubique fructus ſerius frugibus colliguntur, præcipue ſi de vindemiis cogites, quæ potiores ſunt. Omnia igitur circa Julium menſem perfici penitus potuerunt, vel, ne nimis tempora coarctemus, circa Auguſtum. Quum hæc ſcriberet Cajus, Agrippa qui tum Romæ erat eum inviſit, referente Philone p. 1029. Hic ſubſiſtamus: Nota enim hæc eſt apertiſſima anni geſtarum rerum. Antea monuimus Agrippam *A. II.* Caji, Chriſti *XXXVIII.* Româ in patriam rediiſſe. Vel ex hoc Philonis loco apparet, eum deinde Romam ſecundo veniſſe, ubi eum ad Caji uſque mortem moratum eſſe aliunde conſtat. Sed hoc non ad nos. Quando Herodes Antipas Galileæ Tetrarcha Romam venit, & Regnum à Cajo obtinere conatus eſt, nondum Romam redierat Agrippa, ſed è Judæa, in quâ verſabatur, Fortunatum Romam miſit, cum litteris ad Cajum, quibus Antipam accuſabat, quibusque lectis Cajus Antipam in exilium miſit, ejusque ditionem Agrippæ tradidit. Vid. Joſeph. *XVIII.* 9. & alios. At vero Antipas poſt Martium A. XL. Romam venit, ditionibusque excidit. Nam exſtant nummi ipſius L. MΓ. annum *XLIII.* præferentes, omnibus noti, qui annus ab Herodis magni morte deducendus. Iſtum autem A. V. DCCL. menſe Martio obiiſſe, hodie nummorum beneficio certiſſimum eſt. Inde numeratus annus *XLIII.* incipit A. V. *DCCXCIII.* Chriſti *XL.* poſt Martium. Ergo patet citius Antipam Romam non veniſſe. Itaque nec Agrippa prius Romæ fuit, ſed aliquot certe poſt menſibus. Adeoque Petronii res geſtæ, Legatio Judæorum, aliaque huc cohærentia, non *A. XXXIX.* ſed *A. XL.* geſta ſunt. Quod invicte demonſtratum eſt. Notato autem Antipam, Joſepho teſte, Cajum Baiis alloquutum eſſe, quia nempe tunc in illis oris verſabatur, ut jam è Philone vidimus; Eodem igitur fere tempore Antipas Cajum ſalutavit, quo Legati Judæorum. Jam pergo: Agrippa Cajum delinivit, ut tandem mandatum de ſtatuâ

Digitized by Google

revocaverit, quemadmodum multis narrat Philo. Dum vero hæc Romæ gererentur, Petronius, invitus Cajo obtemperaturus, Judæorum pertinaciam infringere conabatur, ſed incaſſum: Quo referenda quæ Joſephus narrat *XVIII. II.* & ad ſecundum hunc conatum Petronii pertinet, ſecundis Caji litteris acceptis. Nam primus conatus, ut ex Philone vidimus, tempore meſſis erat, iſte, tempore ſementis circa Septembrem, ut diſerte Joſephus teſtatur. Poſt quæ, tertiæ Caji litteræ venere, quibus priores, Agrippâ intercedente revocabat, certus tamen Petronii moras punire, quem in finem aliquamdiu poſt litteras miſit minaces, de quibus Joſephus l. c. Sed antequam eæ advenirent, nuncius venit mortis Caligulæ A. XLI. d. 24. Jan. interfecti. At iſta poſtea geſta, nec ad nos ſpectant. Notato modo Joſephum totam hanc Hiſtoriam confuſe admodum narrare, nec tempora diſtinguere, ſed duos conatus Petronii miſcere, & ſic in reliquis. Bene igitur nobiſcum actum eſt, quod Philonem habeamus auctorem σύγχρονον, & qui ipſe non minimam partem in his negotiis habuit, accurate cuncta narrantem.

§. 12 Suetonii & Dionis error, Caji Hiſtoria corrigitur.

§. 12. Tædetne digreſſionis Lector? Jam deſino. Vidimus res omnes Judæorum tum Petronii occaſione geſtas, tum Legationis Alexandrinæ, ad annum XL. referendas eſſe. Vidimus Cajum toto illo anno vel Romæ vel in oris Bajanis fuiſſe, certe à Martio uſque ad Septembrem & porro deinde, & hoc tempore multa cum Judæis negotia habuiſſe. Inde concludo, Primo, Cajum ante natalem ſuum, prid. Kal. Sept. è Galliâ in Italiam rediiſſe, contra quam è Suetonio vulgo credi vidimus. Secundo, Cajum eo anno Cal. Auguſt. Ludos Lugduni non vidiſſe, adeoque eos anno præcedenti XXXIX. ſpectaſſe. Tertio, Cajum non A. XL. ſed A. XXXIX. expeditionem in Germanos Britannoſque feciſſe, non enim potuit Kal. Jan. Conſulatum III. Lugduni inire, expeditiones facere, in Galliam redire, & Romæ jam Martio menſe eſſe. Quarto, Cajum A. XXXIX. non poſt Septembrem Româ profectum eſſe, ut Dionem ſtatuere ſupra dixi. Non enim

Digitized by Google

enim potuiſſet, reliquâ anni parte, Expeditiones peragere, in Galliam ire & redire, & in eâ diu, ante Expeditionem, immorari pecuniæ exigendæ, multo minus ludos Lugdunenſes ſpectare. Adeoque Quinto, quæ ſupra è Dione retulimus, de rebus à Cajo cum Domitio Afro geſtis Romæ poſt Septembrem, male à Dione ad hunc annum referri, & potius ad ſequentem pertinere. Sexto, Dionem in diſponendis rebus Caji, eo quem ſupra retulimus modo, errare; Sed potius Septimo, noſtram diſpoſitionem, etiam ſupra indicatam, veram eſſe. Octavo, quoad Suetonium, eum hoc modo ab errore liberari poſſe, ſi ſtatuas Cajum Romam rediiſſe, non natali ſuo proprie ſic dicto, prid. Kal. Sept. ſed natali Imperii d. 16. Martii. Si quidem jam tunc temporis natalis Imperii mentio fuerit, alias Suetonium falli manifeſtiſſimum eſt. Sed hæc omnia digreſſionis inſtar & breviſſime dicta ſunto. Potiſſimum eſt, magiſque ad rem facit, ut ad Lugdunenſes Martyres revertamur.

§. 13. Quum igitur C. Caligula Lugdunenſes ludos A. XXXIX. ſpectaverit, quo anno celebrari debuerant, ſi quinquennales ſupponantur; nihil obſtat quominus cum Dodwello eam periodum iſtis ludis tribuamus. Plane indignum mihi autem Pagii judicio videtur, quod ille excipit, Ludos hos nonnunquam dilatos fuiſſe, vel certe differri potuiſſe, quum ipſi Olympici ludi, Neronis in gratiam, dilati fuerint. Actum ſane eſt de Hiſtoriâ, ſi talibus conjecturis indulgeamus. Quia Olympias ſemel dilata eſt, idcirco potuere differri Ludi quoque Lugdunenſes; Quia iſti Ludi differri potuere, fieri quoque poteſt, ut eo anno extra ordinem celebrati fuerint, quo Martyres Lugdunenſes paſſi ſunt. Iſtudne eſt ratiocinari? Hoc potius dicendum erat, ſæpe ludos illos celebratos fuiſſe, utpote qui quinto quoque anno recurrerint, adeoque exacte annum haberi non poſſe, quo Martyres illi paſſi ſint, niſi alii Characteres accedant.

§. 13. Annus perſequutionis Lugdunenſis.

Fateor itaque certo non poſſe pronunciari de perſequutionis hujus anno, nec notam inde deduci, ad confirmandam ſucceſſionem Epiſcoporum Romanorum. Interim ne ἀσύμβολ☉

Ee plane

plane abeam, ſententiam meam vel verius conjecturam propo-nam. Martyres Lugdunenſes paſſi ſunt, quum unus modo Romanorum Imperator eſſet, meâ ſententiâ ſub M. Aurelio, mortuo L. Vero, adeoque inter A. CLXX. & CLXXV. Paſſi ſunt, quum Eleutherus Romanus Epiſcopus eſſet, quod ex meâ Chronologiâ in idem tempus incidit. Paſſi ſunt quum Ludi Lugdunenſes celebrarentur, qui hoc tempore A. CLXXI. & CLXXV. acti ſunt. Tandem Paſſi ſunt A. CLXXI. nam A. CLXXV. Antoninus, Marcomannis victis, Edictum in Chriſtianorum gratiam edidit. Hæc ita mihi videntur, penes lectorem autem ſit judicium.

Ego Eleuthero relicto, ad Victorem ſucceſſorem tranſeo, ultimum Periodi, quam in hoc volumine tractandam ſuſcepi, Epiſcopum, cui caput ſequens impendam.

CAPUT XVIII.

De Victoris annis.

Argumentum.

Victoris anni, §. 1. *Ex Irenæo*, §. 2. *Et Melitone firmantur*, §. 3. *Anonymus auctor contra Artemonitas illuſtratus.* §. 4. *Epiſtolæ duæ Victori aſſertæ.* §. 5.

§. 1.

§. 1. Victoris anni.

Victor Epiſcopus Romanus Eleuthero ſucceſſit, cui tribuunt

Catalogus Liberianus	A. X.
Juſtinianeus	A. X.
Sub litt. B.	A. X.
Sub litt. E.	A. X.

Sub

Sub litt. F.	A. X.
Sub litt. G.	A. XI.
Liber Pontificalis	A. X.
Euſebius	A. X.
Nicephorus	A. XII.
Syncellus	A. XII.
Eutychius	A. X.

De X. annis igitur non dubitandum, utpote qui communi conſenſu tradantur, qui enim ab hoc numero diſcedunt, revera non differunt, ſed, prout annos pro completis vel incompletis habuere, numerant. Ex X. annis itaque completis & ultra, aliquis Chronologus, cui id neceſſe erat, XI. fecit, & ex *XI.* ſimili modo *XII.* enati ſunt.

Sedit itaque Victor ab *A. CLXXVI.* Pollione *II.* & Apro *II.* Coſſ. ad *A. CLXXXVI.* Commodo V. & Glabrione II. Coſſ. Annis *X.*

§. 2. Etiamſi de paucis Epiſcopis Romanis antiquis, tot nobis in Hiſtoriâ prodita ſint, ac de Victore, nihilominus nullæ notæ Chronologicæ ſuperſunt, quibus determinari poſſit accuratiſſime, quo tempore Epiſcopatum gefferit, & ordo noſter confirmari. §. 2. Ex Irenæo firmantur.

Paucæ tamen generales notæ huc referri poſſunt, quæ ſi non Chronologiam noſtram confirmant, certe illuſtrant. Irenæum ſub Victore adhuc vixiſſe & floruiſſe, ſenem licet admodum, notum eſt ex celebri illâ de Paſchate controverſiâ. Si ſtatuamus ipſum circa initium Sæculi II. vel finem Sæc. I. natum eſſe, quod ſtatuendum eſſe Dodwellus probavit, ſequetur eum *A. LXXVI.* circiter natum fuiſſe, quum Victor Eleuthero ſuccederet, & *A. LXXX.* præter propter, quum controverſia de Paſchate maxime vigeret. Item annos plus *LX.* quum Eleutherus Epiſcopus Romanus fieret. Quibus ſuppoſitis, non mirum Irenæum ſub Eleuthero adhuc merum Presbyterum fuiſſe, necdum Epiſcopatum obtinuiſſe, quantumvis celebrem; non mirum eum adhuc eâ ætate fuiſſe, ut ſub Eleu-

Digitized by Google

thero Romam iter facere; non mirum eum litium Paſchalium tempore adhuc vixiſſe. At vero ſi, cum Euſebio vulgarique Chronologiâ, Victoris initium *A. CXCII.* vel alio circa id tempus colloces, ſtatuendum erit Irenæum ad *A. LXXX.* circiter perveniſſe, cum Eleutherus Epiſcopus evaderet: Et non longe à C. annis abfuiſſe, quum controverſiæ Paſchales eſſent. At probabilene eſt Irenæum Centenarium fuiſſe? Et ſi fuiſſet nonne notatum hoc eſſet ab Hiſtoricis? ſitne veroſimile eum octogenarium & forte nonagenarium adhuc Presbyterum fuiſſe, & iter longinquum aggreſſum eſſe?

§. 3. Et ex Melitonis ætate.

§. 3. Ex Epiſtolâ Polycratis ad Victorem ap. Euſeb. L. V. Cap. *XXIV.* liquet Melitonem defunctum fuiſſe, cum hæc controverſia de Paſchate moveretur. Et non dudum mortuum fuiſſe inde concludo, quod Polycrates ibi illuſtriores Doctores Eccleſiarum Aſiaticarum recenſens, Melitonem ultimo loco collocet, indicio eum ultimum obiiſſe, nec poſt eum alios ejuſdem famæ mortuos eſſe. At vero Melitonem circa *A. CLXXV.* vel citius etiam obiiſſe, hoc eſt quod mihi perſuadet. Permultorum librorum auctor fuit Melito, adeoque non facile à libris ſcribendis quievit. Attamen indicat Euſebius, Apologiam ejus, ultimum opus fuiſſe quod ſcripſerit. Nam cæteris recenſitis, ἐπὶ πᾶσι inquit Apologiam. Euſeb. L. IV. Cap. XXVI. Apologia hæc, ut è fragmentis ibidem relatis apparet, ſcripta eſt M. Aurelio ſolo Imperante, igitur inter A. CLXX. & CLXXV. poſt mortem L. Veri, & ante quam Marcus, Commodum ſocium Imperii aſſumeret. Quum Melito poſt eam Apologiam nihil ediderit, videtur non diu poſtea mortuus quam eam tradiderat. Mortuus ergo fuerit circa A. CLXXV. Itaque circiter quinquennio priuſquam lites de Paſchate eſſent. At ſi Victor modo A. CXCII. Epiſcopus evaſerit, Melito *XX.* vel *XXV.* annis ante eas lites mortuus fuerit. Quod non probabile eſt.

§. 4. Anonymus contra Arte-

§. 4. Ex quibus ſatis liquet, quomodo intelligenda ſint verba Anonymi Artemonitarum adverſarii relata ab Euſeb. L. V. Cap. *XXVIII.* ubi inter auctores Victore antiquiores Clementem reponit.

ponit. Nempe de Clemente Romano rem hic eſſe liquet, quem ſane omittere non debebat auctor ille. Clemens enim Alexandrinus, quodcunque ſyſtema ſequaris, Victoris coætaneus ex parte fuit, ex parte autem poſt ejus mortem vixit. Nec obſtat, quod Clementem hunc ſuum poſt Juſtinum, Miltiadem & Tatianum nominet, non enim temporis rationem obſervat. Potius vero, inter ea quæ hic Auctor habet, ad nos facit, quod Victorem tertium decimum à Petro Epiſcopum Romanum vocet. Recte omnino, & amice prorſus cum noſtrâ diſpoſitione. Nam Epiſcopos hactenus habuimus Linum, Cletum, Clementem, Evariſtum, Alexandrum, Xyſtum, Teleſphorum, Hyginum, Pium, Anicetum, Soterum, Eleutherum, Victorem, in univerſum tredecim. Unde patet nos recte Anacletum excluſiſſe. Sed huic rei non immoror, quod de eâ jam actum ſit ample, ubi de Anacleto dicendum erat. Quæ ratio quoque eſt, quam ob rem intermiſerim Irenæi catalogum Epiſcoporum Romanorum, ſub Eleuthero, notæ inſtar citare; Nam ordinem numerumque Epiſcoporum, ſuis locis, ubi dubia res videbatur, expendimus quantum opus erat. De Anonymo autem Artemonitarum Antagoniſta, de quo nonnulla dicenda habeo, opportunior locus erit tractandi ſub Zephyrino, ſi aliquando ſequentes poſt Victorem Epiſcopos Romanos expendere liceat. monitas illuſtratur.

§. 5. Nolo autem Victorem deſerere, quin duas ipſius Epiſtolas, inique, ut mihi videtur, pro ſuppoſititiis habitas vindicem. Edidit nempe aliquis Jo. à Boſco, & deinde Baronius, Litteras Victoris, in Floriacenſi Bibliotheca repertas & ſcriptas ad Deſiderium Viennenſem Epiſcopum, & ad Paracodam Dionyſii ſucceſſorem, qui pariter Deſiderio ſucceſſerat; in quibus de Paſchatis celebratione agitur, & Feſtum id non cum Judæis, ſed Die Dominicâ celebrandum eſſe aſſeritur. Adeo ſuſpecta Eruditis ſunt monumenta, quæ ex Monachorum ſcriniis prodeunt, ut & iſtas Epiſtolas immerito tamen, niſi fallor, rejecerint. Debebat certe in gratiam eorum militare, quod non ex Pſeudo-Iſidori officinâ nobis venerint, nec ulla ſit ratio §. 5. Victori duæ Epiſtolæ aſſeruntur.

 cur

cur Floriacenſis Bibliothecæ Cuſtodes nobis ſuſpecti eſſe debeant. Deinde obſecro eos, qui Litteras has rejiciunt, attendant ſtylo ingenioque earum. Primo ſi vel titulum adſpicias, *Victor Epiſcopus Deſiderio Viennenſi Epiſcopo ſalutem*, *Victor Epiſcopus Fratri Paracodæ Epiſcopo ſalutem.* Quid ſimplicius! Ita ſane illo tempore Epiſcopus Romanus ad alios Epiſcopos ſcribebat. E contrario adſpice Pſeudo-Decretales, & titulos inſcriptionesve lege, *Victor Romanæ ac Univerſalis Eccleſiæ Archiepiſcopus, &c.* Quantum hæc diſtant! Et quam manifeſtum eſt Decretales has meram impoſturam, alias Epiſtolas meram veritatem ſpirare. Secundo, in ipſo Litterarum contextu, nihil ſibi arrogat Victor, quod ſupra illorum temporum morem ſit. Hortatur, rationes affert, non jubet. Eſtne hoc indicium ſuppoſitionis à Monacho quodam factæ, vel nonne potius argumentum eſt, non potuiſſe hæc ſupponi? Vide enim quomodo in Decretalibus tonat Victor, *Celebritatem Sancti Paſchæ Die Dominicâ agi debere, & Prædeceſſores noſtri jam ſtatuerunt, & nos illud vobis eadem die celebrari ſolemniter mandamus.* Tertio. Decretales ſuppoſititiæ diem & Conſulem adnotatum habent, iſtæ vero Litteræ ſine die & Conſule ſunt. Quarto. Nihil in utraque Epiſtola reperiri poteſt, quantumvis attente quæras quod Victoris ætate recentius ſit. Omnia Sæculo Victoriano conveniunt. Critica autem regula eſt, *indicium eſſe ſinceritatis, ſi opus aliquod notis ſuppoſitionis careat.* Quinto. Neſcio quid in toto Stylo Epiſtolæ utriuſque, temporum illorum ſimplicitatem redolet, quod facilius percipitur legentibus, quam demonſtratione aliquâ probari poteſt. Ad ipſas igitur Epiſtolas Lectorem remitto. Tandem Sexto. Certum eſt Victorem Epiſtolas ad variarum Eccleſiarum Epiſcopos ſcripſiſſe de Paſchæ celebratione. Id ex Irenæo, Euſebio, in Chronico Hieronymico de Script. Eccl. Adone in Chron. ad A. CXCIV. & aliis conſtat. Quidni adhuc aliquæ exſtent? Et ſi exſtant, cur hæ ipſæ non ſint, quæ nihil habent quod non poſſit Victoris eſſe?

Dis-

Digitized by Google

DISQUISITIONIS
DE SUCCESSIONE
EPISCOPORUM,
&c.
APPENDIX.

DISSERTATIONES
QUATUOR
De nonnullis ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam
SPECTANTIBUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISQUISITIONIS CHRONOLOGICÆ DE SUCCESSIONE Antiquisſimâ Epiſcoporum Romanorum APPENDIX,

DISSERTATIONES QUATUOR De nonnullis ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Spectantibus, continens.

DISSERTATIO PRIMA.

De Conſtitutionibus Apoſtolicis dictis, Pars prima, ubi earum ſinceritas & Antiquitas, ad Euſebii Cæſarienſis uſque tempora, multis rationibus aſſeritur,

ARGUMENTUM.

Status queſtionis, Epocha notiſſima Conſtitutionum Concilium Trullanum, §. 1. *Epiphanio notæ, & ab ejus ævo ab Hæreticis non corruptæ*, §. 2. *Digreſſio, Ignatii Epiſtolas interpolatas non eſſe*. §. 3. *Arianismi falſo ſuſpectæ Conſtitutiones*, §. 4. *Cum Doctrinâ Patrum Antenicænorum conſpirant*, §. 5. 6. *A tempore Epiphanii nullo modo mutari potuere, nec quicquam Sæc.*

 IV,

Digitized by Google

IV. recentius continent. §. 7. *Epiphanius exemplaria à noſtris diverſa non vidit. Epiph. corrigitur.* §. 8. *De Epiphaniæ tempore Conſtitutiones defenduntur.* §. 9. *Antiquiſſima diverſitas de Paſchate in Conſtitutionibus unde orta? & non interpolata.* §. 10. *Alia Epiphanii loca vindicantur, & cum hodiernis Conſtitutionum exemplaribus in concordiam rediguntur.* §. 11. 12. *Alia pro Conſtitutionibus teſtimonia, Auctoris operis imperfecti in Matthæum, Timothei, Anaſtaſii Sæc. V. VI.* §. 13. *Alia Sæc. V. Philoſtorgii, Socratis, Jo. Chryſoſtomi, Thomæ Syri, Innocentii Papæ, Procli; Sæc. IV. Hieronymi, Greg. Nazianzeni, Theophili Ariani.* §. 14. *Athanaſii multa.* §. 15. *Euſebio notæ Conſtitutiones,* §. 16. *Id multis rationibus confirmatur, & quidem ſub διδαχῆς nomine.* §. 17. *Uſſerii Objectionibus ſatiſfit.* §. 18.

§. 1.

Scopus & tractanda hujus diſſertationis.

Sæpenumero cum de Romanorum Epiſcoporum Succeſſione mihi agendum eſſet, meæque rationes vel explicandæ vel etiam Hiſtoricâ fide demonſtrandæ eſſent, nonnulla Eccleſiaſticarum rerum capita excutiendi, non modo occaſio ſeſe offerebat, ſed & aliqua neceſſitas aderat; tum ut majorem dictis meis lucem affunderem, tum vero ne quidquam indemonſtratum relinquerem. Ne autem extra Oleas vagari viderer, & Lectorem ab argumentorum meorum ſerie revocarem, melius duxi, ibi modo paucis rem indicare, ſeparatis vero Diſſertationibus totum negotium ample expedire.

Status quæſtionis de Conſtitutionibus.

Primam dicendi materiam illæ mihi Conſtitutiones dabunt, quas vulgo Apoſtolicas vel etiam Pſeudo-Apoſtolicas dicunt. Nec illud in mente repoſitum habeo, Apoſtolorum Choro hoc opus, tanquam legitimum, adjudicare, aut è contrario ſuppoſitionem ejus demonſtrare; Hoc poſt doctorum virorum labores ſuperfluum, & omnibus forte exſibilandum foret. Illud jam

vix

Digitized by Google

vix credibile, ne quid durius dicam. Poſt inutiles Whiſtoni conatus, quis tantum ſibi præſumeret, novo tentamine eandem Spartam defendam ſibi arrogare!

Si Pergama dextrâ
Defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent.

Unice mihi propoſitum eſt ætatem harum Conſtitutionum indagare, & quam fidem mereantur inveſtigare.

Conſtitutiones Apoſtolicas, quales hodie editæ ſunt, & in Patrum Apoſtolicorum numerum repoſitæ, multis retro ſæculis cognitas eſſe, nemo eſt qui negare poſſit. Et omnino conſtat eadem illa; quæ ſub hoc nomine habemus jam IXno. VIIIvo. imo VIImo. ſæculo notiſſima fuiſſe, & pro Apoſtolicis habita. Frequentiſſimæ citationes, Manuſcriptorum auctoritas, Criticorum excerpta & judicia, omnia hoc demonſtrant. Et ipſa illa, quæ vitioſa hodie in Conſtitutionibus creduntur, jam tum fuiſſe conſtat, & ſi addiditia ſint, Interpolatorem antiquiorem eſſe. Nimirum hæc ſucceſſio ad Concilium uſque Trullanum ſeu Quini-Sextum Oecumenicum deduci poteſt, quòd Can. 2. Libri hujus mentionem facit. Ab eo tempore is magnâ curâ ſervatus eſt, & æque integer ad nos pervenit ac tum temporis erat. Eſt autem congregatum Concilium iſtud A. 691. Aeræ vulgaris.

Sed cum eo tempore Conſtitutionum mentio fieret, notatum eſt eas Arianiſmi labe inquinatas eſſe. Hoc præter Concilium noſtrum, etiam Photius obſervat Cod. 113. & ab eo tempore, quicunque id monendi occaſionem nacti ſunt. Interim iidem illi Auctores, eadem illa Synodus Apoſtolis, abſque ullâ hæſitatione, Conſtitutiones tribuunt. Sed fuerantne Apoſtoli Arianitæ? Abſit! longè Abſit! Quid itaque dicendum, ut & Auctoritas libri ſalva maneat, & fidei Orthodoxæ fundamenta inconcuſſa ſerventur? Facilè nodum hunc Gordium noſtri ſecuere. Corruptas eſſe Conſtitutiones audacter à Synodo determinatum eſt, quæ earum Lectionem ideo prohibet, vel certe

Num ante Concilium Trullanum ab Arianis corruptæ.

Digitized by Google

te Doctrinam improbat, quod Heterodoxi (Ariani ſcilicet) quædam adulterina & à pietate aliena inſeruerint ad Eccleſiæ perniciem. Inde ab hâc Synodo, plerique tum defenſores Conſtitutionum, tum earumdem adgreſſores, utraque manu Hypotheſin hanc arripuere, & circa V. vel VI. Eccleſiæ ſæculum impoſtorem quendam Arianum finxere, qui antiqua hæc monumenta depravaverit. Imo ne nimis otioſus ille nebulo videretur, qui modo unum librum corrumperet, oneratus eſt etiam Epiſtolarum Ignatianarum interpolatione, quam ſententiam Uſſerius aliique defenderunt.

Num Photius idem ſenſerit jure meritoque dubitaveris, *Conſtitutiones, inquit ille, ob tria quædam ſuſpectæ videntur ... tertio, ob Arianiſmum; Sed & hanc objectionem aliquis, licet violenter, ſolvere poterit*, ὅπερ ἂν τις καὶ βιαίως διακρούσαιτο. Cujus dicti ſenſus dubio procul eſt, voces Arianiſmo faventes emolliri, & bono ſenſu, licet violenter, ſumi poſſe. Non itaque interpolatos hos Libros credebat Photius, ſed eadem de iis judicabat ac de cæteris Antenicænis Patribus, quos duriſſimis Phraſibus uſos eſſe paſſim fatetur.

§. 2. Conſtitutionum mentio apud Epiphanium.

§. 2. Noſtrum nunc eſt expendere, num recte Trullani Patres, Conſtitutiones interpolatas eſſe judicaverint. Tutius ea de re loquemur, ſi primo terminum à quo figamus, ubi conſtet ſanas fuiſſe Conſtitutiones, & tales ab Orthodoxis judicatas. Deinde videbimus num inde ad Trullanum Concilium interpolationi locus fuerit. Diſertiſſime inter Antiquiores Patres præ aliis, de Conſtitutionibus loquitur Epiphanius. Citat enim expreſſis verbis διατάξιν vel διατάξεις τῶν Ἀποστόλων, quas dicit à multis quidem dubias haberi, ſed improbari tamen minime (Epiph. Hær. 70. n. 10.) Imo eas θεῖον λόγον καὶ διδασκαλίαν vocat, Hær. 80. n. 7. & ex iis varia citat, quæ hodieque in Conſtitutionibus reperiuntur, alia verbotenus, alia quoad ſenſum. De hiſce aliiſque circa hanc rem nodis, ubi nempe Epiphanius nonnulla citat, quæ hodie non reperiuntur, alias dicturus ſum. In præſentia ſufficit conſtare, aliquod ſaltem opus Epiphanio notum fuiſſe, quod quoad præcipua cum Con-

Digitized by Google

Conſtitutionibus hodiernis convenerit. Jam illud Orthodoxum prorſus fuiſſe nullum eſt dubium, & Epiphanius diſerte teſtatur, *Omnis*, inquit, *in eo libro ordo Canonicus continetur*, *nihilque à fide adulteratum*, *aut Confeſſione*, *neque ab Eccleſiaſticâ adminiſtratione*, *regula & fide.* Epiph. H. 70. n. 10. Quis dubitaverit itaque ſinceras tunc Conſtitutiones fuiſſe & à fide non alienas? Si itaque corruptæ illæ fuerint, omnino corruptas eo tempore dicemus, quod ab Epiphanio ad Concilium Trullanum effluxit, & quidem ab impoſtore Ariano; Nam hoc loco de illis modo corruptelis agitur, quæ huic ſectæ favere videntur.

tanquam Orthodoxarum.

Scripſit Epiphanius contra Hæreſes anno Aeræ Vulg. CCCLXXIV. uſque ad A. CCCLXXVII. vel ultra. Jam A. 378. Valens Arianorum Imperatorum ultimus moriebatur, & ſtatim Gratianus Imp. Arianis ſeu Anomæis libertate cultus publici interdicebat. Et inde à Conſtantii morte, multis retro annis, in maxima Imperii Romani parte Orthodoxi ſuperiores erant. Poſtea à Gratiani hoc edicto, omnia in deteriora pro Arianis ruebant, & paulatim extinguebantur, donec Sæculo V. labente, eorum, vix ultra memoriam, in Imperio Romano Orientali, quidquam ſupereſſet. Interim Conſtitutionum Apoſtolicarum nomen & auctoritas creſcebant, ut talibus Libris vulgo contingere ſolet. Quas ſæculo IV. modo hæſitantes, & cum aliquâ, levi licet, dubitatione citabant, eas ſæc. V. Auctor Operis Imperfecti in Matthæum, Apoſtolis indubie tribuit. Sæc. VI. ineunte Timotheus Presbyter, labente, Anaſtaſius Sinaita pene Scripturæ S. ad modum citant. Semper plures in manus deveniebant libri illi, & notiores ſanctioreſque evadebant.

E corruptæ fuiſſent poſt Epiphanium.

Fidem veſtram, Lectores! Opus Catholicis magno in pretio habitum & tritum, dum Orthodoxi florent, Ariani quidam rari, miſelli, incogniti & jugo duriſſimo vexati, interpolare & ſuis dogmatibus augere audent! Omnia exemplaria deturpant? Nullus Orthodoxus hoc obſervat, vel de hoc queritur! omnes Arii væſaniam, & athea principia (ſic vocabantur) pro Apoſtolorum Θεοπνεύστοις verbis ſibi obtrudi patiuntur! Demum

Quod abſurdum eſt.

duobus elapſis Sæculis aliqui Patres, minime emunctæ naris viri, tanquam è ſomno profundiori expergefacti, repente queruntur, neſcio quomodo, omnia Conſtitutionum exemplaria depravata fuiſſe, & hoc non indicio aliquo hiſtorico inducti credunt, ſed quia quædam ſuſpecta in illis libris vident, de quibus ſic inferunt. Apoſtoli non fuerunt Ariani, E. non auctores ſunt Arianarum ſententiarum, in Conſtitutionibus ſparſarum. E. interpolatæ ſunt Conſtitutiones. Sed non ab Orthodoxis, E. ab Arianis. Q. E. D. Interim naſutiores alii, Photius, Nicetas, Cedrenus, &c. conjecturas has improbant & adduci non poſſunt, ut interpolatas Conſtitutiones credant.

Si Conſtitutiones Sæculo V. vel VI. ubique deperditæ fuiſſent, & tunc aliquis Arianus aliquas excudiſſet, dogmatibuſque ſuis interpolaſſet, citius credibile eſſet, Orthodoxos eas recepiſſe. Et ne vel ſic quidem id probabile eſſet. Sed nemo me eo adducet, ut credam eo tempore, quo adhuc tot exemplaria incorrupta erant, obſcurum quendam hominem nonnulla periculoſe interpolaſſe, poſſeſſores genuinorum manuſcriptorum differentiam non notaſſe, & corruptionem omnia exemplaria occupaſſe.

§. 3. De Ignatianis Epiſtolis digreſſio. Earum interpolatio vix credibilis.

§. 3. Fortaſſis erit qui mihi objiciat, Ignatianarum Epiſtolarum interpolationem etiam ab Ariano factam. Sed alia longe res eſt. Primo, exemplaria incorrupta permanſerunt. Secundo, non eadem veneratione proſequebantur media ſæcula Ignatium ac Conſtitutiones. Tandem quo jure, quâ probabilitate, Ignatianæ hæ Epiſtolæ ita miſere corruptæ dicuntur? Quis credet repente omnes Orthodoxos, obſcuri & inepti tenebrionis editionem Hæreticam, amplexos? Quis credet, nullum tantæ mutationis veſtigium ſuperfuiſſe? Adeone bardi erant Eccleſiæ Doctores, ut nil notarent diverſum in novâ Editione, ab illâ quâ hactenus uſi fuerant? Doctores illi, antiquitatis adeo tenaces, Doctores illi qui Hæreſes, ubi non erant, etiam olfaciebant. Itane non ſentiunt eruditi, Ignatianæ communis editionis

Digitized by Google

editionis adverſarii, quam ἄλογον quid & ab omni probabilitate alienum afferant, quam à regulis ſanioris Critices alienum? Adeo tot miræ ſuppoſitiones, ut hoc Syſtema cohæreat, admittendæ ſunt.

Supponendum primo, inter lapſi Arianiſmi rudera, aliquem adeo audacem repertum eſſe, qui præſumeret toti Eccleſiæ imponere. Secundo, ſtatim omnes hanc novam editionem pro veteri quadam recepiſſe. Tertio, neminem κακοπλασίας, & Arianiſmi veſtigia in ea vidiſſe. Quarto, omnes antiquam editionem & ſimpliciorem, omnibus Eccleſiis tanquam ſacram receptam, pro aliâ vix ortâ editione deſeruiſſe. Quinto, veteris editionis memoriam omnino obliteratam eſſe. Sexto, neminem, ex tot Ignatii locis à Patribus antiquis citatis, ſuppoſitam eſſe novam editionem didiciſſe. Septimo, neminem Criticum, neminem Hæreticum, quem nova editio feriebat, neminem Orthodoxum, neminem in auctorum antiquiorum lectione verſatum reclamaſſe.

Quid ergo dicendum? Suntne genuinæ prolixiores Ignatii Epiſtolæ? Iſtud in medio hactenus relinquo. Sed paucis, hoc pro certo habeo. Cum abſurdum ſit interpolatas eſſe has Epiſtolas, oportet editionem prolixiorem antiquam eſſe, breviorem IVti. ſæculi Patres citant, Ergo & iſta antiqua eſt.

Præterea non modo quædam addita ſunt in ampliori editione, vel quædam mutata, ſed & duæ editiones in verbis & vocibus plerumque differunt. Quæ neceſſitas impoſtores adigebat, ut hæc mutarent? nonne potius conati fuiſſent ſartumtectumque ſervare genuinum textum, & modo ibi interpolare, ubi ſe aliquid inde lucraturos crederent? Statim initio primæ Epiſtolæ, ad Epheſios ſcriptæ, incipit Ignatius, Ἀποδεξάμενος ἐν Θεῷ τὸ πολυαγάπητόν σου ὄνομα. Epiſtola eadem, in editione interpolatâ dictâ, habet Ἀπεδεξάμην ἐν Θεῷ τὸ πολυπόθητον ὄνομα, &c. Quæ, amabo, hujus mutationis ratio? Hoc impoſtoribus ſolemne non eſt.

Longiores Interpolatæ non videntur.

Deinde

Et genuinæ auctoritatis indicia habent. Deinde fruſtra fingitur, interpolatas illas (ut volunt) Epiſtolas corruptionis indicia habere. Nihil ibi eſt Ignatio indignum, vel ejus ætate ſequius. Et ſtylum Ignatianum maxime ſapere ex confeſſo eſt. Hæc omnia fuſe demonſtrare poſſem, & forſitan ſi vacet ſpeciali Diſſertatione examinabo.

Ultimo neſcio, num non omnes qui, depoſito partium ſtudio, utramque editionem legunt, obſervaturi ſint, melius editionem ampliorem cohærere, ita ut altera modo ejus excerptum videatur. Legatur quævis Epiſtola brevioris editionis, plerumque ſententiæ nullo junguntur nexu, & neſcitur quomodo Ignatius tam deſultorio ſtylo utatur. Adſpice vero ampliorem editionem; Nullam ibi tranſitionem niſi opportunam reperias, nihil ibi confuſum.

Utraque Editio authentica videtur, & quomodo. En itaque paucis quod probabile credo. Ignatius ſingulis Eccleſiis Epiſtolas illas ſcripſit, quas hodie ampliores habemus, & interpolatas vocamus. Deinde ubi Polycarpus eum rogaret de Epiſtolis ſuis ſecum communicandis, Ignatius, qui earum exemplaria non habebat, vel ex memoriâ vel ex primo quodam & nondum digeſto conceptu, à quodam ſuorum illas deſcribi curavit, quæ hodie breviores exſtant. Has Polycarpus collegit, & hæ notiores erant. Præcipua autem ratio cur IV. & V. Sæculo citarentur, longiores vero negligerentur, ea erat, quod Orthodoxi iſtas Arianis favere crederent, unde, cum liberum eis eſſet alterutram editionem allegare, breviore uti ſolebant, & à Polycarpo confirmata. Sequentibus ſæculis, cum novis quibuſdam opinionibus, uſibusve, prolixiores magis favere viderentur, ad eas reditum eſt, & breviores tanquam non ejuſdem pretii neglectæ ſunt.

Ad hæc me non novitatis ſtudium adduxit. Nam antea, ſi ullus, firmiter pro breviori Ignatii editione ſtabam. Sed cum attente utramque editionem, alias ob rationes, legerem, non potui non in hæc cogitata incidere & multa præſtantiſſima in longioribus Epiſtolis detegere.

Hac ratione apparet, cur Patrum citationes à noſtrâ longiori

giori editione differant. Alias quis crederet, Impoſtorem citationes has religioſe non ſervaturum fuiſſe, & ita ſeſe ſuo indicio ſtatim prodere voluiſſe, neminem tamen id obſervaviſſe? Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Ad Conſtitutiones redeo.

§. 4. Abſque ratione Arianiſmi ſuſpectæ ſunt Conſtitutiones, & nil aliud profitentur, quam quod Eccleſia ante Concilium Nicænum docuit.

§. 4. Omnes itaque Probabilitatis regulas ille ſane excuteret, qui firmiter contenderet cum Concilio Trullano, corruptas eſſe Arianorum manu Conſtitutiones. Nec ita impudentes Impoſtores, nec ita bardi Eccleſiæ Doctores ſtatuendi ſunt. Neque temere fingendum, repente libri antiqui, orthodoxi, & quaſi ſacri memoriam in Eccleſia intercidere, ut alter abſurdus, recentiſſimus & ab obſcuro Hæretico conſarcinatus ubique adoptetur; Idque eo magis, quod nulla ejus mutationis veſtigia appareant.

Attamen ſi corruptæ non ſint Conſtitutiones, pronum eſt quærere, unde Arianiſmi veſtigia in ipſis? Fueruntne Apoſtoli Ariani? Probabatne Epiphanius, tanquam Orthodoxum, librum Arianiſmum redolentem? Facilis eſt reſponſio, modo duo notentur. Primo, nullo modo Conſtitutiones ab Apoſtolis ſcriptas eſſe aſſero, nec ab aliquo IVti. Sæculi ſcriptore orthodoxo, quo tempore caute admodum de Trinitate loquebantur ſcriptores, ſed ante Concilium Nicænum, cum adhuc, quoad verba ſaltem, parum de hoc dogmate inter Patres conſtabat. Secundo, nihil in Conſtitutionibus adeo Arianum eſt, ut nullo ſano ſenſu ab orthodoxo dici poſſit. Nihil ibi Filii æternitatem vel ὁμοούσιον deſtruit, ſed pauciſſima modo duriuſcula, de ordine & dignitate Perſonarum, in tranſitu & leviter dicuntur.

Hiſce præmiſſis, non video quod dubium amplius ſuperſit. Etenim conſtat, Patres Ante-Nicænos multa valde dura hanc in rem ſcripſiſſe, & quæ IV. vel V. Sæculo, vel rogó digna viſa eſſent, cum major dógmati lux affuſa fuiſſet. Conſtat iterum, non ideo ſuppoſitos eſſe illos Patres. Quis Tertullianum & Lactantium rejiceret & νοθείας inſimularet (licet IV. Sæc. jam propiores) ob Arianis ſimiles Phraſes, quibus toties utuntur,

Digitized by Google

ut Bullus ipſe eos deſeruerit, Bullus qui ex quovis quidvis conficere noverat? Recognitiones centuplo durioribus dogmatibus, quam Conſtitutiones ſcatent, & tamen IIdo. Sæc. eas nemo non tribuit.

Tertio, conſtat ſcriptores illos Ante-Nicænos, à Poſt-Nicænis Orthodoxis magno nihilominus in pretio habitos, & Orthodoxos vocatos. Tempus mihi deficeret, ſi laudes recenſerem Clementi utrique, Athenagoræ, Theophilo, Juſtino, Tertulliano, &c. datas. Quæ ab iis contra Orthodoxam Doctrinam dicta aut erant, aut videbantur, illa ſequenti ævo diſſimulare ſolebant Doctores, ſi ſaltem non nimis dure dicta eſſent.

Sed forte melius ſententiam meam firmabo, ſi ordine omnia illa loca percurram, quæ Arianiſmi in Conſtitutionibus ſuſpecta ſunt, & ea cum locis Patrum Ante-Nicænorum parallelis conferam. Ad hoc opus jam me accincturus ſum.

§. 5. Quod Pater ſit ſuper omnia Deus & ſic à Filio diſtinguatur, Conſtitutiones ſtatuunt.

§. 5. Ad paucas Claſſes loca illa reduci poſſunt, quæ (inique licet) ſuſpecta habent plerique in Conſtitutionibus. Primo videntur eas Filio ſupremam Deitatem abrogare. L. III. Cap. XVII. ſic Trinitatis Sanctiſſimæ perſonas diſtinguunt, Πατὴρ ὁ ἐπὶ πάντων Θεός. *Pater ſuper omnia Deus. Chriſtus unigenitus Deus & dilectus filius, Dominusque gloriæ. Spiritus S., Paracletus à Chriſto miſſus.* Manifeſtum eſt, inquiunt, hic characteres diſtinctionis inter tres Perſonas tradi. Pater non eſt Unigenitus, nec Filius, nec Paracletus. Filius non eſt Paracletus. Eadem ratione nec Filius, nec Spiritus S. ſunt ſuper omnia Deus. Clariſſima eſt oppoſitio, & clarum de Deitate Filii, non humanitate ibi agi, ex Dei titulo & Spiritus S. mentione. Nullum illic eſt ſubterfugium. Sed ſi forte dubites adhuc, & Filium aliquo ſenſu ἐπὶ πάντων Θεὸν dicas, diſerte Hæreticus à Conſtitutionibus habeberis, quæ L. VI. Cap. XXV. Inter alias Hæreſes quas recenſent, *nonnullos Hæreticos eſſe*, dicunt, *qui* αὐτὸν τὸν Ἰησοῦν *Jeſum audeant* τὸν ἐπὶ πάντων θεὸν *Suſpicari.* Sed forte de Jeſu homine ibi mentio eſt. Abſit! nam ſtatim additur *illos ipſum illum Filium cum Patre ac Paracleto confundere.*

Cave

Cave tamen, amice Lector, ne hæc quantumvis plauſibilia credas, vel idcirco male de Conſtitutionibus ſuſpiceris. Hæc eadem in optimis ſæculi II. & III. Patribus tibi oſtendam, quos orthodoxiæ laude omnes mactarunt, & quos ſuppoſitos eſſe nemo dicet. Neque vel Clementis Alexandrini, vel Theophili, vel Tatiani, vel Origenis, vel aliorum teſtimonia proferam. Unum modo antiquiorem, & ſimplicitate atque Orthodoxiâ commendandum, proferam Juſtinum M. Is paſſim Patrem δεσπότην τῶν πάντων nominat, & hoc titulo eum à Filio diſtinguit. Vide omnino ejus Apolog. II. pag. 60. 76. &c. & Dial. cum Tryphone paſſim. Nonnulla exempla referre ſufficiet. Apol. II. pag. 83. dicit *quod ex virgine Homo natus ſit, & Jeſus cognominatus, id per virtutem Logi ex conſilio & voluntate Domini Dei ac Parentis omnium* πατρὸς πάντων καὶ δεσπότου Θεοῦ. Quam diſerte ibi Deus Dominusque omnium, non à Jeſu homine modo, ſed & à Logo diſtinguitur! In pag. 94. Baptiſmum adminiſtrari dicit Juſtinus, *In nomine Patris Dominique Dei omnium, & Jeſu Chriſti Servatoris noſtri & Spiritus Sancti.* Quod infra in ead. pag. repetit. In Dial. cum Tryphone pag. 284. affirmat λόγον ſeu Angelum illum Dei, qui Patriarchis apparuit, fuiſſe miniſtrum illius Dei, qui ſupra mundum eſt. ὑπηρετοῦντα τῷ ὑπὲρ κόσμον Θεῷ. Et pag. 356. ſeq. ſæpe repetit, non Deum Patrem omnium rerum, ipſiusque Chriſti Dominum, olim apparuiſſe, ſed λόγον ſeu Filium ejus.

Sed & idem dicunt Orthodoxi antiquiores.

Probatur ex Juſtino Martyre.

Quum tamen nemo ſit, qui idcirco ſuppoſitum Juſtinum, vel ab Arianis interpolatum dicat, quo jure contra omnem probabilem rationem talis corruptela Conſtitutionibus tribuitur?

§. 6. Alterum accuſandi caput, quod adverſus Conſtitutiones proferunt, hoc eſt, quod nempe Filium Dei, etiam ante nativitatem è Mariâ, adeoque quâ Deum, ſerviiſſe Patri dicant. *Fecit Deus mundum ſolâ voluntate, dum Chriſto id opus juſſu ſuo injungeret,* προσετάγη. L. V. Cap. VI. *Verbum Deum Deo Patrique ſuo ſerviiſſe* ὑπηρετούμενον, *in creando mundo, docemus,*

§. 6. Deus Filius Deo Patri, juxta Conſtitutiones, miniſtravit.

L. V. Cap. ult. & L. VIII. Cap. XII.

Similiter juxta Patres Ante-Nicænos.

Forſitan hoc apud Patres melioris notæ non reperitur? Abſit. nullus eſt Ante-Nicænorum Patrum qui hoc non doceat: Et tamen nemo eos vel interpolatos vel ſuppoſitos credit. Exempla afferre oportet. Ecce illa!

Juſtinus ille Philoſophus & Martyr, contra Tryph. p. m. 280. *ille qui apparuit Patriarchis, atque Deus, Angelus & Dominus dicitur, ſerviebat ὑπηρετῶν Patri omnium*, quod non multo poſt iterum repetit, & adhuc p. 357. paſſim. Irenæus L. IV. Cap. 17. ap. Petavium Dogm. Th. L. I. Cap. III. §. VII. *Miniſtrat enim ei* (Deo Patri) *ad omnia ſua progenies & figuratio ſua, id eſt, Filius & Spiritus S., Ratio & Sapientia.* Theophilus L. II. pag. 88. *Deus itaque Rationem habet miniſtrum vel ſub ſe operantem ea quæ ab eo fiunt ὑπουργόν.* Item pag. 100. *Cum itaque Ratio ſit Deus & à Deo orta, quando vult Parens omnium, mittit eam in aliquem locum.* Alios Patres memoraſſe ſuperfluum esſet. Sufficit tres citaſſe antiquiſſimos, ſanctiſſimos, Orthodoxos, & qui brevi poſt illud tempus floruere, quo Conſtitutiones deinde collocaturus ſum.

Alia nonnulla Conſtit. duriora dicta.

Tertio, Conſtitutiones eo nomine ſuſpectæ ſunt, quod gradus in Trinitate ſtatuant, Patrem Epiſcopo, Filium Presbytero vel Diacono, Spiritum S. Diacono aut Diaconiſſæ comparantes.

Hoc paſſim in illis reperiri nullus nego. Sed è præcedentibus aperte fluit. Cum præcedentia ævo illo docuerint Patres, nec hoc tunc dictum fuiſſe abſurdum erit. Sed præterea diſertis verbis idem docet Ignatius paſſim, qui Patrum fere eſt antiquiſſimus, & Apoſtolorum Diſcipulus, & Conſtitutionibus fere antiquior.

Tandem in Conſtitutionibus Spiritui S. injuria fieri dicitur, & ejus dignitas longe minui. Dum *Pater ejus Deus* dicitur, L. VIII. Cap. 6. & *Dominus* L. eod. c. 38. & *cum per Chriſtum, cum aliis Ordinibus Angelorum, feciſſe* affirmatur, L. VI. C. II. item *glorificari Chriſtum à Sp. S. & hunc illius juſſa expectare* L. II. c. 26.

Hæc

Digitized by Google

Hæc duriuſcula eſſe quis negaverit? Sed quis iterum neget in Antiquiſſimis Patribus talia reperiri. Quid de hâc re Origenes, Clemens Alexandrinus, aliique dixerint notiſſimum eſt. Quam altum de Spir. S. in multis aliis ſilentium, iterum omnes optime norunt.

Deinde Conſtitutionum de Spir. S. verba emollire multi quæſivere, quorum interpretationes ab illis rejici non poſſunt, qui Bullum in explicandis Patribus Ante-Nicænis ſequuntur. Nam utrobique paulo coactiores videntur commentarii, quam par eſſet. Ergo ſive Orthodoxum ſive Arianum lectorem habeo, ſilentium ei impono. Poſterior, Ariana hæc, antiquis Patribus digna credet. Prior, ea pie interpretari debet, nec Conſtitutionibus iniquior eſſe, quam aliis antiquorum ſcriptis? Coteler. ad loca Conſt. cit.

Sed quid multis? Si quæ protuli nondum omnibus ſatisfaciunt, conſulant Petavium, ipſum Bullum aliosque, qui talia tractarunt, & loca Parallela noſtris Conſtitutionibus affatim reperient.

Itaque cum non ſine violentis ſuppoſitionibus, & abſurdis figmentis, ſupponi poſſit, Arianos Conſtitutiones corrupiſſe; cum nihil valde Arianum in iis reperiatur; cum nil dicant quod non alii Patres affirment, qui ſemper pro Orthodoxis habiti ſunt; nonne jure concludo, Conſtitutiones Apoſtolicas ab Hæreticis corruptas non fuiſſe, & fidei reſpectu non differre ab illis, quas Epiphanius pro Orthodoxis laudavit?

§. 7. Conſtitutiones ab Epiphanii ætate incorruptæ.

§. 7. Sed enimvero alius hic & gravis nodus adeſt, quam negligere non oportet. Pauca in Conſtitutionibus dogmatica circa fidem ſunt, & concedent facile multi ea ſalva permanſiſſe. Verum pleraque ad ritus Eccleſiæ ſpectant, & illa interpolata credentur. Duo præcipue huic ſuppoſitioni favere videntur. Primo dicitur, multa in iis præſcribi Epiphanii ætate ſequiora. Secundo, Epiphanium ex iis quædam citare, quæ hodie non exſtant, vel aliter reperiuntur. Hæc jam mihi expendenda veniunt.

Digitized by Google

Primum argumentum retorquere non ſufficeret, quod facile facere poſſem dicendo multa, & pleraque præſcribi, quæ poſt Sæc. IV. in deſuetudinem abierunt. Nam hoc non obſtat, quin objici poſſit quædam addita eſſe, quæ modo deinde orta fuerint. Interim tamen retorſio mea aliquod quaſi præjudicium eſt pro Conſtitutionibus. Si enim aliquis Impoſtor eas interpolaſſet, & ritus recentiores iis addidiſſet, procul dubio & illa mutaſſet quæ recentiori Praxi adverſa erant. Sed de hoc deinde ubi, ultra Sæc. IV. aſcendendo, oſtendam præcepta Conſtitutionum eo ſæculo antiquiora eſſe.

Secundo, adhuc eadem memoriæ revocari precor, quæ ſupra adverſus illos dixi, qui Conſtitutiones ab Arianis interpolatas crediderunt. Agnoſco faciliorem eſſe mutationem, ubi modo de ritibus agitur, præcipue ubi mutatio Eccleſiæ dominanti favet. Interim tamen interpolatio nunquam præſumitur, & præcipue prorſus improbabilis eſt, in hujus generis caſu, ubi de Libro agitur vulgo notiſſimo, pro genuino Apoſtolico habito, & magnâ cum veneratione tractato. Præterea notandum omnia exemplaria in his locis congruere, nullam mutationum Epocham dari poſſe, neminem olim id notaſſe, vel de eo queſtum eſſe, nullas ſectas id exprobraſſe, & quæ ſimilia ſunt. Hæc omnia ſi junctim perpendantur, nemo non agnoſcet parum veroſimilem, imo ſic ſatis abſurdam eſſe, hujus interpolationis ſuppoſitionem.

Nec quicquam continent Sæc. IV. inferius.

Tertio tandem, nego & pernego quicquam in Conſtitutionibus reperiri IV. ſæculo ineunte inferius. Nam ibi ſaltem collocanda erit Conſtitutionum Epocha, utpote quas Epiphanius jam circa A. 370. pro genuinis Apoſtolicis & receptis citet. Et omnino peto tale quid afferri, de quo id liqueat. Hactenus præſtitum hoc non eſt, nec præſtari poſſe certum habeo. Unde non opus eſt huic objectioni immorer. Præterea deinde oſtendendum mihi erit, nihil in illis Conſtitutionibus eſſe III. imo II. ſæculo indignum, multo magis itaque de IV. id verum erit, quo plura jam circa ritus Eccleſia adoptaverit.

Digitized by Google

verit. Non circa ritus modo nihil eſt, quod Sæc. IV. ſequiora tempora ſapiat, ſed nec circa hiſtoriam vel alia. Semper κακοπλασία Conſtitutionibus oppoſita fuit, ſed eatenus, ut probaretur eas Apoſtolorum non eſſe, quod nec ego ajo, aut II. vel III. ſæc. poſteriores, quod deinde refellam. Nunquam Sæculo IV. juniores eas eſſe probatum fuit. Uſſerii conjecturam non moror, nemini, ne Pearſonio quidem probatam, Conſtitutiones ab eodem interpolatas eſſe, qui Ignatium corruperit, & hoc Sæc. VI. contigiſſe. Primo enim demonſtrandum foret eas interpolatas eſſe, ne de aliis futilibus hujus conjecturæ fundamentis loquar.

§. 8. Majoris momenti videbitur, quod ex Epiphanii diſertis auctoritatibus deducitur, & quod Uſſerius dedita opera fuſe pertractavit in ſuis Ignatianis Diſſertationibus Cap. 7. 8. & 9. Nempe volunt Epiphanium varia ex Conſtitutionibus Apoſtolicis afferre, quæ hodie in iis non reperiuntur, imo quorum contraria in ipſis hodie legantur.

§. 8. Num Epiphanius exemplaria earum viderit a noſtris diverſa? Negatur. Uſſerii objectiones.

Ut de hoc conſtet, perluſtranda ſunt, cum magno Uſſerio, loca Conſtitutionum ab Epiphanio citata, quibus primo præmittenda objectio ejuſdem Uſſerii ex eo petita, quod Epiphanius toto cœlo à Conſtitutionibus differat, in die natali & Baptiſmali Chriſti figendis; Quod proculdubio deſignat eum in Conſtitutionibus ea non legiſſe, quæ de his hodie in iis leguntur; Cum alias ab iis non receſſiſſet, utpote qui eas pro genuinis Apoſtolicis haberet.

Nempe Epiphanius Chriſtum ipſa die Epiphaniarum natum credit, quam V. Januarii collocat. Baptizatum aſſerit VIII. Novembris. Vide Epiph. Hær. LI. n. XXIV. &. n. XVI. & Expos. fidei n. XXII.

Conſtitutiones Apoſtolicæ Epiphaniam dicunt VI. Januarii celebrandam. Natalem Domini d. 25. Decembris. Baptiſmum Chriſti ipſo Epiphaniæ die collocant, quo Chriſtum dicunt Deitatem ſuam manifeſtaſſe, quod alibi interpretantur de miraculo in Baptiſmo facto. Vide Conſtit. Apoſt. L. V. Cap. XIII.

XIII. & L. VIII. Cap. XXXIII.

Mendum in Epiphanio, 5. Jan. pro 6. Jan. quod cum Conſtit. concordat.

Prima diverſitas circa Epiphaniæ diem eſt, quam Epiphanius V. Jan. collocat, VI. Jan. Conſtitutiones. Sed quis non videt in mendo Epiphanii locum cubare? Nam 5. Jan. per 8vam Iduum Jan. interpretatur. Sed 8. Id. non 5. ſed 6. Januarii eſt. Adeoque 6. Jan. omnino in Epiphanio legenda. Nec obſtat Hieronymum in Cap. I. Ezech. & alios antiquos Epiphaniam 5. Jan. collocare. Non enim de illorum, ſed de Epiphanii ſententia quæſtio eſt, qui, ex illorum ſententiâ, procul dubio à ſcribis corruptus eſt. De quo ſi adhuc dubites, & forte potius alterum numerum nempe 8. Id. corruptum credas, nullo negotio ex reliquis Epiphanii verbis convinceris, qui hanc eandem diem dicit apud Ægyptios eſſe 11. Tybi, apud Syros & Græcos Audynæi 6. &c. qui characteres omnes, non V. ſed VI. Jan. manifeſto indicant. Quis itaque non videt citius unum numerum in Epiphanio corruptum eſſe, nempe notiſſimum, quam plures numeros Calendariorum vulgo pene ignotorum? Nec obſtant numeri Cypriorum & Hebræorum, quos Epiphanius adhibet & quos Petavius 5. Jan. denotare putat. Nam incerta hæc ſunt & meris conjecturis nituntur, cum numeri alii ſc. 8. Id. Jan. II. Tybi, 6. Audynæi, 6. Mæmacterionis, extra omne dubium ſint. Tandem omne hoc diſerte ex N. XVI. ejusd. Hær. firmatur, ubi Epiphanius Baptiſmum Chriſti 8. Novembris collocans, inde 60. plenos dies eſſe dicit ad diem natalem ſeu Epiphaniam. Jam ſi 5. Jan. pro natali habuiſſet, inde ad 8. Nov. retro, utroque etiam termino computato, ſunt modo 59. dies. Sed 6. Jan. eſt revera 60. dies ab 8. Nov. utraque die in numerum relatâ. Et §. XXIX. ejusd. Hær. non modo repetitur Chriſtum 8. Id. Jan. natum eſſe, ſed & plures adhuc notæ adduntur quæ eodem redeunt, & quas hic, brevitatis ergo prætermitto.

§. 9. Conſtitutiones ab Epiphanio non

§. 9. Altera diverſitas in eo verſatur quod Conſtitutiones Epiphaniam, & feſtum Baptiſmi Chriſti confundant, & à natali Chriſti ſeparent, quem d. 25. Dec. collocant; Epiphanius

phanius viciſſim Epiphaniam cum Natali confundat, & à Baptiſmali feſto ſeparet, quod 8. Nov. collocat. Difficultas hæc ineluctabilis viſa eſt, ſed bono animo ſimus. Incogitans Uſſerius & cum eo alii fallaciam hic gravem commiſere. Quod ut appareat, nec adeo παράδοξον lectoribus videatur, paucis propoſitionibus probandum erit, & diſtincte ſeparandum, quid proprie Conſtitutiones dicant, quid proprie Epiphanius. Deinde liquebit num invicem contradicant. Diſcrepant circa Epiphaniæ tempus.

Propoſitio prima. Epiphanius diem præcipuarum Chriſti actionum aſſignat, de feſtâ eorum celebratione nihil dicit.

Non nego Epiphanium diſerte dicere Chriſtum natum eſſe 11. Tybi ſeu 6. Januarii: Baptizatum 8. Novembris: ſed nusquam affirmat feſtum natale Chriſti d. 6. Jan. Baptiſmale d. 8. Nov. celebrata fuiſſe. Toto cœlo hæc differunt. Clemens Alexandrinus nonnullos Chriſtum natum crediviſſe dicit d. 24. vel 25. Pharmuthi, alios quos ſequi videtur d. 25. Pachon. Quis ideo dixerit Eccleſiam tunc illis diebus natale feſtum celebraſſe. Sic Epiphanius privatam ſuam ſententiam, non Eccleſiæ morem refert, de quo nusquam mutit.

Propoſitio ſecunda. Conſtitutiones Apoſtolicæ tempus feſtorum, in Chriſti honorem inſtitutorum, notant, non Chriſti actionum.

Conſtitutiones L. V. Cap. XIII. jubent, *feſtum natale Domini d. 25. Decembris celebrari. Epiphaniam quâ Dominus ſe manifeſtaverit tanquam Deum d. 6.* Jan. Non dicunt, ſecundum ἀκρίβειαν Chronologicam, hæc omnia ita contigiſſe, ſed Eccleſiam feſta iſta illis diebus celebrare. L. VIII. Cap. XXXIII. Dicunt celebrandum eſſe Feſtum Domini natale, quo natus eſt in carne, & feſtum Epiphaniæ, quo Baptizatus eſt. Sed non dicunt quando illa feſta celebranda ſint. Cæterum de illo, quod Chriſtum die Epiphaniæ Baptizatum dicunt, infra dicetur.

Propoſitio tertia: Antiquitus dies natalis Chriſti, dies Baptiſmi ejus, & dies adventus Magorum Epiphania dicebantur. Epiphania multiplex.

Propoſitio quarta: Antiquitus omnes hi dies feſti eadem die i. e. 6. Jan. celebrabantur.

Propoſitio quinta: Eccleſia Occidentalis, omnium prima, natalem Chriſti ab Epiphaniâ ſeparavit. Quam paulatim Orientis Eccleſiæ ſecutæ ſunt, & omnes circa Sæc. IV. labens & V. incipiens.

Omnes hæ propoſitiones extra omnem dubitationis aleam collocatæ ſunt. Si quis abundam hanc in rem eruditionem deſideret, ille Cotelerium conſulat ad Conſt. Ap. L. V. Cap. XIII. & præcipue Cel. Binghamum orig. Eccleſ. L. XX. Cap. IV.

Propoſitio ſexta; Feſtorum hæc diſpoſitio, non ad amuſſim veritatis Chronologicæ fiebat, ſed commoditatis ergo.

Poſt omnes has ferias ſic ſtatutas, multi privati ab Eccleſiâ diſſenſere, & alibi Chriſti acta collocavere. Præterea, quod Natalis Chriſti in diem 25. Dec. fuit translatus, non ideo factum, quod tunc revera Chriſtus natus crederetur, ſed quia incommodum erat tot feſta unâ die Epiphaniæ celebrare: Unde paulatim ea ſeparata ſunt, ut & alia probant, & in ſpecie ſatis liquet ex Anonymo, cujus fragmentum refert Coteler. l. c. de Juvenale feſta hæc mutante.

Quomodo in concordiam reducantur Conſtitutiones cum Epiphanio. Propoſitio ſeptima. Conſtitutiones jubent Natalem Domini d. 25. Dec. celebrari, Epiphaniam d. 6. Jan. ex uſu multarum tunc Eccleſiarum, ſed non ad veritatem Chronologicam, quod nunquam primis ſeculis factum. Ergo Epiphanio licuit alio tempore Chriſti geſta collocare. Ergo non differt à Conſtitutionibus.

Propoſitio octava. Conſtitutiones alio loco dicunt, diem celebrandum eſſe, quo Chriſtus natus eſt, & Epiphaniam quâ baptizatus. Unde videtur primâ fronte eas Epiphanio obſtare, ut qui ſedulo tempus Baptiſmi Chriſti ab Epiphaniâ ſeparet. Sed cum 1.) Conſtitutiones ibi non dicant, quando dies illa celebranda ſit, 2.) Epiphaniæ nomen late ſumatur ex præcedentibus, & 3.) in ſpecie dies Baptiſmi Chriſti ſic dictus fuerit;

Digitized by Google

rit; Concludo, id modo velle Conſtitutiones, aliquem Epiphaniæ diem eſſe, quo Chriſtus fuerit Baptizatus & qui celebrandus ſit, ſed qui differat ab alterâ illâ Epiphaniâ 6. Jan. celebrandâ, & quam recte à Baptiſmo diſtinguit Epiphanius. Hoc eo facilius eſt, quod Conſtitutiones, ut ſuo loco dicam, ex pluribus Auctoribus corraſæ ſint, qui potuere ſub Epiphaniæ nomine diverſa feſta intelligere. Dices Conſt. L. V. Cap. XIII. ubi dicitur Epiphaniam 6. Jan. eſſe, addi, *illâ die Chriſtum Deitatem ſuam manifeſtaſſe.* Et L. VIII. Cap. XXXIII. de Epiphaniâ dici, *illâ die Chriſtum in Baptiſmo ſuam Deitatem manifeſtaſſe.* Ergo de eadem Epiphaniâ utrobique rem eſſe. Ergo Conſtitutiones Baptiſmum Chriſti d. 6. Jan. collocare. Reſpondeo, multis modis Chriſtum Divinitatem prodidiſſe, Et antiquos eadem hâc Phraſi uſos eſſe ad adventum Magorum notandum, aliaque quæ ſub Theophaniæ etiam nomine idcirco includebant.

Illam ergo Epiphaniam, quâ Magi Chriſtum adorarunt, d. 6. Jan. collocabant Conſtitutiones. Alteram ſtatuebant, quâ Chriſtus baptizatus eſt, cujus tempus non notant, & quam Epiphanius d. 8. Nov. collocat.

Itaque probe Conſtitutionibus cum Epiphanio convenit. Iſte Chronologum agit. Illæ ritus Eccleſiæ deſcribunt. Male Uſſerius in utroque ἀκριβείαν Chronologicam quæſiit, adeque male inde concluſit, Conſtitutiones interpolatas eſſe.

§. 10. Alter locus Epiphanii, quem Uſſerius adducit, & qui ſupra omnem exceptionem ipſi aliisque videtur, eſt de Paſchate. Refutat nempe Epiphanius Audianos, & hâc occaſione monet illos, utpote qui Paſcha cum Judæis celebrarent, pro ſe Apoſtolorum Conſtitutiones adducere, quibus continentur inter cætera & hæc verba, *Vos ne in diverſam ſententiam abite, ſed Paſcha cum fratribus veſtris, qui ex Circumciſione ſunt, celebratote, cum iis feſtum hoc agite.* Non modo hæc verba hodie in Conſtitutionibus non leguntur, ſed & contraria eorum prorſus ibi exſtant. Legitur enim ibi L. V. Cap. XVII. *Paſcha* §. 10. Locus Conſtit. de Paſchate ab Epiphanio citatus.

Digitized by Google

poſt Æquinoctium vernum celebrandum eſſe: non amplius cum Judæis, cum quibus nulla communio porro habenda ſit, eos enim valde in eo errare. Manifeſto tòto cœlo hæc diſſident.

Hujus diverſitatis antiquitas & ratio.

Non ſane negari poteſt, alio hic exemplari Audianos, & Epiphanium uſos eſſe. Sed non ſtatim inde ſequitur locum hunc poſt Epiphanii tempus interpolatum eſſe, adeoque Conſtitutionum quas habemus ſuſpectam fidem eſſe. Multo probabilius & pene certum eſt, diverſitatem hanc, jam hujus Patris tempore, in Διαταξέων codicibus occurriſſe. Nam ſi deinde corruptæ fuiſſent (& hoc Sæc. V. vel certe VI. contigiſſet) Teſſares-cædecatitæ, Audiani aliique Paſcha cum Judæis celebrantes, qui tunc adhuc magno numero erant, reclamaſſent. Sed ſi jam ab initio nonnulli codices id prætulerint, quod hodie legitur, planum eſt eos, utpote Orthodoxis faventiores, paulatim frequentiores evaſiſſe, alios vero parvo numero & neglectos cum ſectis ſuis interiiſſe. Jam unde hæc diverſitas orta fuerit & hoc facile eſt intellectu. Nempe notum eſt, jam ſæculo II., magnum in Eccleſia diſſenſum circa Paſcha fuiſſe, & utramque partem Apoſtolorum traditiones, & mandata pro ſe adduxiſſe. Præterea infra oſtendam Conſtitutiones has, ex variis Apoſtolorum vel ſcriptis, vel Pſeudepigraphis, vel traditionibus Sæc. II. corraſas eſſe. Veroſimile itaque eſt, ſeu unus ſeu plures eas compilaverint, varias iſtas traditiones ab iis relatas fuiſſe. Unde varii exſcriptores eam in ſua exemplaria retulerint, quæ verior iis videbatur.

Inde patet cur Epiphanii exemplar Paſcha cum Judæis celebrandum juſſerit, & Epiphanius Audianique non videantur alia exemplaria vidiſſe, quia in Oriente ſcribebant. Orientales uſque fere Concilium Nicænum Paſcha Judaicum obſervaverant ex Apoſtolorum, ut credebant, præcepto. Itaque codices eorum idem præferebant, & illis utebantur Audiani & Epiphanius. Præterea etiamſi Epiphanius alios codices vidiſſet, non mirum eum de iis tacuiſſe, & Audianæos pro genuinis habuiſſe, cum huic ſectæ ſupra modum favere obſervetur,

Digitized by Google

vetur, & à nonnullis ipſi nomen dediſſe ex parte credatur.

Unum adhuc notandum: Qui Paſcha à Judaico diverſum celebrabant, illi negare non poterant, initio Apoſtolos, cum Judæis viventes, eos ſequutos eſſe? Et ſic procul dubio tunc oppoſitæ traditiones conciliabantur. Hujus veſtigia in Conſtitutionibus reperiuntur hodiernæ editionis, ubi Apoſtoli ſatis innuunt, ſe olim aliter egiſſe, & Judæos ſequutos eſſe, *non amplius*, inquiunt, *cum Judæis feſtum agimus. Nullam nunc porro cum ipſis Societatem habemus*, *μηκέτι νῦν*, voces illæ mutationem indicant. Et ſic reſponſum eſt huic Uſſerii objectioni.

§. II. Alia Epiphanii loca vindicantur.

§. II. Eodem loco ubi Epiphanius locum de Paſchate citavit, i. e. Hær. LXX. §. X. alium ſtatim affert, dicitque Apoſtolos jubere *agendas eſſe vigilias in feſto Azymorum.* Hoc reperitur fuſe L. V. Cap. XIX. Conſtit. adeoque hic dubium nullum eſt, ſed potius inde liquet Conſtitutiones has noſtras Epiphanio viſas.

Sed ibidem fere, Epiphanius alium locum Conſtitutionum allegat, qui non *αὐτολεξεὶ* in hodiernis exemplaribus legitur. Sic ſe habent verba allegata, *Quando illi convivantur* (ſc. Judæi) *vos jejunantes pro ipſis lugete, quoniam in die feſtivitatis Chriſtum crucifixerunt. Et quando ipſi luxerint, azyma edentes cum intybis, vos convivamini.* Hoc verbotenus citatum eſſe nemo affirmabit, qui Patres legerit, eorumque citandi modum obſervaverit, præſertim ubi breves locos & ſibi non accurate notos citant, memoriæ confiſi. Senſus tamen in Conſtitutionibus repræſentatur, & quidem integri loci, non modo prioris partis, ut Uſſerius ait. Sic nempe Conſtit. L. V. Cap. XV. habetur. *Chriſtus ergo præcepit nobis jejunare his ſex diebus propter Judæos ... ut defleamus eos ... quia ignorant tempus quo viſitantur ... Jejunandum eſt ... quia Dominum comprehenderunt die ipſis feſtâ ... in medio ſolemnitatis ... Oportet ergo lugere de ipſis, &c.* Itaque quod Epiphanius citat, conſequentia modo eſt eorum quæ hic dicuntur. Perinde poſterius membrum ſimili conſequentia ex

Digitized by Google

L. V. Cap. XIX. &. XX. deſumptum, ubi Apoſtoli de feſtis, & gaudio Chriſtianorum ob Chriſti reſurrectionem & futurum adventum, & Judæorum è contrario idcircò luctum & triſtitiam, &c.

Deinde iterum Epiphanius aliam ſententiam citat, *Maledict.s Deo, qui animam ſuam die Dominicâ affligit.* Hoc, Uſſerio fatente, quoad ſenſum Conſt. L. V. Cap. ult. reperitur.

Jam monui Patres citationes infidas facere ſolere, præcipue ubi parva fragmenta citant ex libris ſibi tritis, ſed quorum tamen ipſa verba non exacte memoriæ mandarunt. Non eſt itaque quod mireris, Amice Lector, verba ab Epiphanio citata aliter hodie legi, modo de ſenſu conſtet. Alias, quam abſurdum foret ſupponere, Conſtitutionum interpolatorem abſque ullâ neceſſitate, ſenſu relicto, verba mutaſſe ab Antiquis citata, & ſic ſeſe ipſum prodidiſſe! Ne nobis homines nimium ſtultos fingamus.

Quoad alterum & ultimum Epiphanii locum in eadem Hær. LXX., ubi Conſtitutiones citat obiter, & ait eas magnam Hebdomadam Paſchalem inſtituiſſe, hoc cum hodiernis exemplaribus convenire Uſſerius fatetur.

Multo magis adhuc hoc de illâ ſententiâ conſtat, quam citat Hær. XLV. Epiphanius ex principio Conſtitutionum, ubi illa verbotenus reperitur. Et circa aliam illam de barbâ & greſſu Hær. LXXX. nullum etiam dubium eſt.

§. 12. Poſtrema Epiphanii loca.

§. 12. Tandem Cap. VIII. Diſſertationis ſuæ in Ignatium, operoſe Uſſerius expendit citationes Conſtitutionum apud Epiphanium Hær. LXXV. ubi de quibusdam ritibus ad eas provocatur. Quo majori ordine hoc inquirere poſſimus, citationes illas cum eodem Uſſerio, ad quosdam articulos redigemus.

Primo, Synaxes & conventus Eccleſiaſticos feriâ primâ, quartâ & ſextâ, fieri debere ex Conſtitutionibus notat Epiphanius, in Synopſi doctrinæ Panario adjectâ. Hoc in Conſtitutionibus non reperitur. Reſpondeo; ambiguum eſſe Epiphanii

Digitized by Google

phanii locum. Verba ſunt; Συνάξεις δὲ ἐπιτελούμεναι, ταχθεῖσαι εἰσὶν ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων, τετράδι καὶ προσαββάτῳ καὶ κυριακῇ. Senſus eſſe poteſt, non quidem Apoſtolos 4. & 6. feriâ Synaxes ſtatuiſſe, ſed eos in genere Synaxes fieri juſſiſſe, quæ (deinde ſc.) his diebus obſervatæ fuerint. Apoſtoli enim in Conſtit. quotidie Synaxes indicant. Sed hoc poſtea ab Eccleſiis relictum, & certi dies hunc in finem electi. Niſi hic ſenſus eſſet Epiphanii, diebus illis addidiſſe Sabbathum, quo in ſpecie Synaxes extra ordinem in Conſtitutionibus jubere noverat.

Secundo, Quartæ & ſextæ feriæ jejunium auctoritate Apoſtolorum ſtabilit Epiphanius. Reſpondeo. Nemo, nec Uſſerius ipſe, dubitat hoc hodie in Conſtitutionibus reperiri L. V. Cap. XIV. L. VII. Cap. XXIV.

Tertio, Pentecoſtes tempore, id eſt à Paſchatis die ad diem Pentecoſtes, jejunandum non eſſe, etiam ex Conſtitutionibus haurit Epiphanius. Reſpondeo. Hæc non modo implicite L. V. Cap. ult. paſſim traditur, ſed & diſerte ſub finem, ubi vetatur *jejunium Pentecoſte*, quod non de Dominicâ nudâ intelligendum eſſe, utpote quæ jam ſeparatim nominata fuerat, ſed de toto Pentecoſtes à Paſchate tempore, ipſe agnoſcit Uſſerius.

Quarto, Epiphanius ex Conſtitutionibus allegat, jejunium feriæ quartæ & ſextæ hora nonâ ſolvi, quod hodie in illis non reperitur. Reſpondeo, falſum eſt, Epiphanium hoc citare. Recenſet ritus Eccleſiæ, & hunc inter illos refert, ſed non Apoſtolorum auctoritate firmat. En verba ex Uſſerii ipſius verſione, *Conventus fieri ordinatum eſt ab Apoſtolis, quartâ & proſabbato & Dominicâ. Quartâ vero & Proſabbato jejunium ſtatutum eſt, uſque ad horam nonam. Quoniam illuceſcente quartâ comprehenſus eſt Dominus, & proſabbato crucifixus: & tradiderunt Apoſtoli ut in his diebus jejunia fierent.* Viden' eum hoc ut ritum referre, cujus rationem ex Apoſtolorum juſſu promit, ſed ut Apoſtolis modo tribuat inſtitutionem *jejunii bis diebus*, non du-

durationem ejus uſque ad horam nonam.

Quinto, De jejunio ſex dierum ante Paſcha, quæ citat Epiphanius exſtant Conſtit. L. V. Cap. XII.

Sexto, Pane, ſale & aquâ in jejunio utendum Conſtit. L. V. Cap. XVIII. legitur, & inde citat Epiphanius. Conſtitutiones olera hodie addunt, quod Epiphanio, memoriæ defectu, elabi poterit, vel quod ideo non refert, quia in deſuetudinem abierat, non enim directe Apoſtolorum verba citat, ſed modo Hiſtorice Eccleſiæ ritus, ſuo tempore uſitatos, referens, ad Apoſtolos provocat.

Septimo, *qualem diem agere oporteat, & quomodo dimittere in illuceſcentem Dominicam*, ex Conſtit. L. V. Cap. XIV. XVIII. XIX. refert Epiphanius.

Nota omnes has citationes in Epiph. Hær. LXXV. reperiri, exceptis Ima. & IVta., quæ in Expoſit. compendioſa ad calcem Panarii leguntur.

Concluſio ex Epiphanii teſtimonio. Et hæc ſunt quæ Epiphanius ex Conſtitutionibus affert, è quibus jure meritoque, ni fallor, concludo.

Primo, probari non poſſe Conſtitutiones ab Epiphanii tempore interpolatas eſſe.

Secundo, quoniam tamdiu aliquis bonus vir manet, donec contrarium probetur, Conſtitutiones noſtras eaſdem eſſe, quæ Sæc. IV. notæ & magnæ auctoritatis erant. Præcipue cum

Tertio, quæcumque diſerte è Conſtitutionibus allegat Epiphanius, ibi partim quoad verba, partim quoad ſenſum leguntur.

§. 13. Alia teſtimonia. §. 13. Quo magis veritas hujus eluceſcat, operæ pretium erit, alias adhuc nonnullas, ex iiſdem præter propter temporibus, auctoritates afferre, pro Conſtitutionum Auctoritate & antiquitate.

Operis imperfecti in Matthæum. Exeunte Sæc. IV. floruit Johannes Chryſoſtŏmus. Huic tribuitur opus imperfectum in Matthæum, forte non ſine ratione. Si ipſius non ſit, æque antiquum vel non multo recentius

Digitized by Google

tius eſſe, conſtat. Ibi Canonum Apoſtolorum, id eſt Conſtitutionum Liber *VIII*vus citatur, & ex eo hæc verba præferuntur, *Qui autem ex hominibus ordinatus eſt, quantum ad Deum, non eſt Diaconus aut Sacerdos.* Ita tamen ut hæc non citentur, ut ipſa Conſtitutionum verba, ſed verba ſint Auctoris, quæ ex Conſtitutionibus firmat: immediate enim præcedit, *Quomodo autem quidam ſacerdotes ex hominibus ordinantur, manifeſte in L. VIII. Canonum Apoſtolorum dicitur*; Nempe, ut ait Auctor ille, quando miniſterium ſuum non fideliter conſummant. Agitur vero Conſtit. L. VIII. Cap. II. de malis ſacerdotibus, qui ſunt ex hominibus & non à Deo. Jam ergo hujus Auctoris tempore Conſtitutiones exſtabant, & quidem in libros plures diviſæ, uſque ad octo.

Alias adhuc idem auctor ad Apoſtolorum Canones provocat ad Matth. VI. 3. his verbis. *Alias certe, ſicut Apoſtoli interpretantur in libro Canonum, qui eſt de Epiſcopis; dextra eſt populus Chriſtianus, qui eſt ad dextram Chriſti; ſiniſtra autem omnis populus, qui eſt ad ſiniſtram. Hoc ergo dicit; ne Chriſtianum facientem eleemoſynam, qui eſt dextra, infidelis aſpiciat, qui eſt ſiniſtra.* Perperam Cotelerius aliique credunt, auctorem in Conſtitutionibus hanc explicationem Chriſti verborum legiſſe. Nihil aliud vult, niſi Apoſtolos populum fidelem alicubi dextram vocaſſe, quod procul dubio in Conſtitutionibus legitur, licet non vacaverit mihi id inquirere.

Sæculo VI. ineunte, vel V. exeunte, floruit Timotheus Conſtantinopolitanus, qui de Hæreticorum in Eccleſiam receptione ſcripſit. Is locum Conſtit. L. VI. Cap. XVI. *Vide &c.* citat.

Sæculo VI. eodem vixit Anaſtaſius, cujus quæſtiones & reſponſiones, ſingulis paginis, Conſtitutionum citationibus plenæ ſunt. Inde ab eo tempore frequenter eorum mentio fit.

§. 14. Quæ hactenus retuli teſtimonia, ea ad caput Conſtitutionum in Cotelerii editione leguntur. Sed alia multa reperiri poſſent, quæ æque diſerta quidem non ſunt, ſed talia tamen, §. 14. Teſtimonia variorum in ſpecie.

men, ut in dubium revocari non poſſint. Quædam ſeligam, prout mihi forte fortuna in manus incident.

Philoſtorgii. Sæculo V. ineunte clarus erat Philoſtorgius, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcripſit. Is ait, *Quartæ feriæ & Paraſceves jejunium non in ſolâ carnium abſtinentiâ conſiſtere, verum* κανονίζεσθαι *Canonibus definiri, Ne omnino alimenti quidpiam ad veſperam uſque ſumatur.* Hoc fruſtra in Canonibus Apoſtolicis ſeu Codice Eccleſiæ Ante-Nicæno, fruſtra in codice Eccleſiæ univerſæ, fruſtra ubique quæris. Sed in noſtris Canonibus, nam & Conſtitutiones *Canones* à Pſeudo-Chryſoſtomo aliiſque olim vocabantur; In noſtris, inquam, id L. V. Cap. XVIII. reperies, ubi quidem hoc de Paraſceve & Sabbatho dicitur; Sed quartam feriam addendam eſſe, & mendo exſcriptorum excidiſſe, qui vocem τετράδα cum τό μή τοι confuderint, quæ ibi legitur, ex eo concludo, quod addant Conſtitutiones, *In his itaque diebus nobis ablatus eſt Chriſtus à Judæis & crucifixus. Ablatus* refertur ad feriam quartam, quæ ideo jejunio tranſigebatur, quod tunc contra Chriſtum Judæi conſpiraſſent. Hoc pro Chriſto *ablato* habebant antiqui, ut apparet vel ex Epiphanio in Synopſi Doctrinæ: Et quod hic Conſtitutiones ſub *his diebus*, non totam hebdomadam Paſchalem, ſed modo ferias jejunio totali tranſigendas intellexerint, apparet ex principio Cap. ſequentis XIX.

Socratis & Jo. Chryſoſtomi. Circa idem tempus florebat Socrates etiam Hiſtoricus Eccleſiaſticus. Is L. VI. Cap. XIV. narrat, Johannem Chryſoſtomum Epiphanio exprobraſſe, quod contra *Canones* ageret, primo, in alienâ Eccleſiâ Clericos ordinando, ſecundo, ibidem injuſſu Epiſcopi loci miſſam celebrando. Primum quidem horum, manifeſto contra Concilium Nicænum aliaque & Canones Apoſtolicos peccat. Sed contra quos Canones aliud factum ſit, edoceri velim, niſi, quod ſupra omne dubium mihi videtur, indicaverit Chryſoſtomus Conſtitut. L. *II.* Cap. *LVIII.* Ubi aperte docetur Epiſcopum, in alienâ Eccleſiâ, modeſte ſe gerere debere, & invitandum eſſe ad miſſam Celebrandam, verum & hoc

Digitized by Google

hoc, ſi ſapiat, recuſare oportere, &c.

Circa A. *CCCCVII.* Thomas Harchalanus Syrus Clementis Romani Liturgiam, ex Conſtitutionibus ſc. deſumptam, Syriace vertit. V. Uſſer. in Ignat. Cap. I.

Circa ipſum Sæc. V. initium, Pontifex Romanus erat Innocentius. Is Ep. ad Decentium Cap. 4. (ap. Coteler. in Conſt. L. V. Cap. XIX.) *Conſtare*, dicit, *Apoſtolos in mærore fuiſſe iſto biduo* (Paraſceve & Sabbatho Paſchali) *& ſe occuluiſſe. Quod utique non dubium eſt ... eos jejunâſſe ... ut traditio Eccleſia habeat, iſto biduo, ſacramento penitus non celebrari.* Unde hoc *conſtat?* Unde liquet, ab *Apoſtolorum jejunio* Eccleſiam morem hunc deduxiſſe? Id ſcilicet aperiunt Conſtitutiones L. V. Cap. XIX. ſub init. Innocentii Papæ.

Eodem tempore Proclus Conſtantinopolitanus celebris erat, qui tractatum ſcripſit de Miſſâ, tum ſeparatim, tum in Bibl. Patrum editum. Ibi multos dicit Miſſæ ordinem ſcripſiſſe, in ſpecie *Beatum Clementem principis Apoſtolorum diſcipulum & ſucceſſorem, qui ex SS. Apoſtolorum ore eam* (Miſſam) *exceperit.* Nempe Libro VIII. Conſtit. tota Miſſa continetur. Hoc teſtimonio quodnam clarius haberi poſſit, ego ſane non video. Procli.

Antiquior adhuc Hieronymus Sæc. IV. ad Matth. XXV. 6. *Unde reor & traditionem Apoſtolicam permanſiſſe, ut in die vigiliarum Paſche, ante noctis dimidium, populos dimittere non liceat, expectantes adventum Chriſti: & poſtquam illud tempus tranſierit, ſecuritate præſumptâ, feſtum cunctos agere diem.* Traditiones Apoſtolicæ videntur, & olim credebantur, in Conſtitutionibus ſervatæ eſſe. Eo ergo reſpicit Hieronymus. Et revera Conſt. L. VI. Cap. XIX. ea quæ citat reperiuntur, exceptâ clauſulâ de expectato adventu Chriſti, quæ tamen tacite in ſequentibus exſtat. Sed illa clauſula, Hieronymi eſt conjectura, ut patet ex vocibus *unde reor*, quæ ad hunc expectatum adventum referuntur, de quo in præcedentibus egerat. Si diſerte Conſtitutiones eo vigilandi uſum retuliſſent, non hæſitaſſet Hieronymus in hac Cauſâ figendâ. Hieronymi.

 Gre-

Digitized by Google

Gregorii Nazianzeni. Gregorium Nazianzenum ad Conſtitutiones reſpexiſſe, non nunquam ſcholiaſtes ejus Nicetas contendit, quod, veroſimile licet, in medio relinquo. Vid. Cotelerium ad Conſt. L. VIII. Cap. VI.

Theophili Ariani. Notiſſimum eſt Sæc. IV. Theophilum Æthiopas Habeſſinos in fidem Chriſtianam confirmaſſe, & diſciplinam Eccleſiaſticam, Canoneſque de Ordine Cultus divini, ipſis reliquiſſe, de quibus ſat prolixe Philoſtorgius. Nec legimus Æthiopas ab inde, alios è Græciâ Doctores accepiſſe. Interim conſtat eos, ab antiquiſſimis temporibus, Conſtitutiones pro ſcripto Sacro & Canonico atque cultûs regulâ habere. Abſque dubio hoc Theophilo acceptum retulerunt, præcipue cum Theophilus Arianus fuerit, Ariani vero non illibenter Conſtitutiones admittere debuerint. Ergo jam Theophili ævo Conſtitutiones notiſſimæ, & in ſummâ auctoritate paſſim erant.

§. 15. Athanaſii. §. 15. Alium jam teſtem producam, prolixius illum expendendum, ob multas ad Conſtitutiones alluſiones. Is Athanaſius eſt. Primo in Apol. I. de Fugâ ſuâ, pag. 749. de ordinatione Georgii Alexandrini queritur, & eam contra canones factam aſſerit. Quâ in re vero Canones ibi violatos crediderit, hoc iſtis verbis teſtatur. *Non decuit novos iſtos modos in Eccleſiâ introduci. Quis Canon Eccleſiaſticus, aut quæ traditio Apoſtolica hic obſervabantur? Eccleſia in pace agente, & Epiſcopis cum Athanaſio amicitiam colentibus, immittitur Georgius extraneus, Alexandriæ non Baptizatus, plerîſque ignotus, nec ab Epiſcopis, nec à Presbyteris, nec à Diaconis expetitus, is Antiochiæ ordinatus Alexandriam cum militibus mittitur. Conceſſo, Athanaſium removendum fuiſſe, non debebat nova Ordinatio, ita illegitime & contra Eccleſiaſticum Canonem, fieri, ſed in ipſâ urbe, ex ipſis Sacerdotibus, ex ipſo Clero, ab Epiſcopis Provinciæ conſtituendus erat Epiſcopus, nec qui ab Apoſtolis ſunt Canones violari.* Ubi, amabo, Canones illi Apoſtolici & Eccleſiaſtici, traditiones illæ Apoſtolorum? Hi tituli nullis aliis regulis quam Conſtitutionibus conveniunt. Præterea tales Canones citat Athanaſius, qui juberent 1. ordinatio-

Digitized by Google

nationem in ipſo loco ſedis vacantis fieri. 2. Ordinatum ex Clero loci eligendum. 3. ab Epiſcopis Provinciæ. 4. conſentiente Populo & Clero. 5. abſque violentiâ. 6. Epiſcopum non intrudendum alio vivente, qui non accuſetur & pacem cum omnibus habeat. Ubi hæc reperiuntur vel in Apoſtolicis, vel in Nicænis, vel in aliis Canonibus? Sed ea omnia leges Conſtit. Apoſt. L. II. Cap. I. L. VIII. Cap. IV. & alibi paſſim, tum diſertis verbis, tum per manifeſtas conſequentias.

Secundo, idem Athanaſius in Epiſt. ad omnes Orthodoxos pag. 944. 945. non modo adhuc ſimilia præcedentibus repetit, & Canones in eadem Georgii ordinatione violatos clamat. Sed & hoc inter cætera profert, *Oportuit ex Eccleſiaſticis Canonibus & Pauli dicto, præſente omni plebe & ſpiritu, eorumque, qui Epiſcopum conſtituere debent, cum poteſtate Jeſu Chriſti Domini noſtri, omnia Canonice inquiri & fieri, præſentibus Populis qui petunt, & Clericis.* En formam ordinationis quam nullibi, niſi in Libris Canonum ſeu Conſtitutionum præceptam invenies! ſed non ovum ovo ſimilius, quam Conſtitutionum verba Athanaſii verbis. En priora ex Conſt. L. *VIII.* Cap. *IV. Ordinandus eſt Epiſcopus .... congregatâ Plebe & Presbyterio, & præſentibus Epiſcopis ... quorum præcipuus interroget Presbyterium ac plebem, ... quaſi ante judicem Deum ac Chriſtum, præſente etiam Spiritu Sancto, &c.* Quis non videt Athanaſium hæc ipſa verba è memoria citare?

Tertio, Athanaſius ad Dracontium ſcribens, qui Epiſcopatum fugiebat, monet eum ut reſipiat, nec (quod in fine Epiſtolæ dicit) Eccleſiaſticam διάταξιν Conſtitutionem violet, quam extra noſtras hodiernas Conſtitutiones fruſtra, ni fallor quæſiveris.

Quarto, Idem in Syntagmate Doctrinæ ab Arnoldo edito, quod neſcio quare Eruditi quidam Athanaſio abrogaverint, ita fideliter Conſtitutiones imitatur, imo exſcribit, ut fere omnia inde hauriat, & illi, qui ambo hæc ſcripta conferat, manifeſtum ſit, Athanaſium hic Syntagma dare voluiſſe Con-

Digitized by Google

ſtitutionum, quas procul dubio ſub Traditionis Eccleſiæ nomine, non procul à fine indicat.

§. 16. Extitere runt Conſtitutiones initio Sec. IV.

§. 16. Videmus itaque Conſtitutiones Apoſtolicas, Sæculo IV. & ulterius notiſſimas, multis pro regulâ Eccleſiæ conſtantiſſimâ citatas, ab Epiphanio, Proclo, Pſeudo-Chryſoſtomo, imo Athanaſio aliisque, Apoſtolis tributas, ab omnibus pro ſanis agnitas, & tanquam certos Canones citatas. Credibilene foret, tantam auctoritatem ſubito operi tributam eſſe, heri nudiuſque tertius orto! Credibilene foret, Athanaſium & Epiphanium opus pro Apoſtolico venditaviſſe, quod ſuo adhuc tempore natum editumve eſſet? Quis ergo dubitaverit circa initium IVti ſæculi jam extitiſſe Conſtitutiones? Brevi poſt vivebat Euſebius Cæſareenſis, & Hiſtoriam Eccleſiaſticam, jam claro Athanaſio, ſcribebat. Ibi nullum Eccleſiæ monumentum, ſeu genuinum, ſeu Apocryphum, ſeu Pſeudepigraphum omittit. Mirum ſane foret, eum Conſtitutiones non nominaſſe, quæ tamen ſuo tempore notæ erant, & tunc, certe paucis poſt annis, in ſummâ auctoritate habebantur, pro Apoſtolorum ſcriptis, & Eccleſiæ regulis tradebantur. Sane nil minus probabile quam hoc Euſebii ſilentium.

Euſebio eſſe notæ debuerunt.

De διδαχῇ Euſebio memorata.

Ab alterâ parte Euſebius Hiſt. Eccl. L. *III*. Cap. XXV. libros ſuo judicio nothos N. T. recenſens, ut Actus Pauli, Paſtoris libellum, Petri Revelationem, Barnabæ Epiſtolam, illis addit καὶ τῶν ἀποςόλων αἱ λεγόμεναι διδαχαὶ, *& Apoſtolorum quæ dicuntur doctrinæ*. Oportet ut fuerit Liber magni nominis, & magnæ auctoritatis, utpote quem Euſebius cum Hermâ, Barnabâ, aliisque collocet, quos, licet ipſe rejecerit, conſtat, à pleriſque etiam Eccleſiis, pro ſacris habitos. Id magis adhuc ex Athanaſio firmatur, qui, in Epiſtolâ feſtali, Libris Canonicis recenſitis alios addit, quos quidem genuinos credit, ſed qui in Canonem relati non ſint, qui tamen legi jubeantur & magni ponderis ſint, tales inter alios ait Hermam & διδαχὴν καλουμένην τῶν Ἀποςόλων *Doctrinam ut vocatur Apoſtolorum*. Cæterum Hermam ſæpe citat, & magni facit Athanaſius. Jam

δι-

διδαχὴ illa, ab Euſebii & Athanaſii temporibus, nuſquam citatur, quaſi intercidiſſet; quod tam repente factum vix credibile eſt, præcipue ob venerationem, quæ huic Libro tribuebatur.

Quam librum Conſtitutionum fuiſſe probatur.

Cum Tertio, duo hi libri inter ſe, tituli ratione, conveniant, cum uterque Conſtitutiones nempe & διδαχὴ, Apoſtolorum traditiones & mandata continere debuerint: mihi videtur, manifeſtum eſſe unum eundemque librum eſſe, ſub duobus his nominibus notum. Alias dicendum foret, unum librum fere ſacrum repente diſparuiſſe, & alterum ſucceſſiſſe, qui ſtatim pro quaſi ſacro etiam habitus fuiſſet, quod abſurdum. Unde ſummus gradus probabilitatis eſt hoſce libros non differre, idque pro hiſtorice certo aſſumi poteſt. Sed multa alia id prorſus demonſtrant, quantum res facti demonſtrari poteſt.

§.17. Id multis Argumentis confirmatur.

§. 17. Nempe quarto, revera Conſtitutiones Apoſtolicæ varia nomina ſortitæ ſunt, quorum plura ad titulum Euſebianum valde accedunt, & quæ Uſſerius recenſet in Ignat. Cap *VII.* vide etiam Titulum Conſtitutionum, & quæ ibi Coteler. Epiph. Hær. LXXX. & Conſtitutiones ipſas L. I. Cap. I. L. II. Cap. XII. & XXXIX. L. VI. Cap. XIV. & XVIII. ubi Conſtitutiones ſub nomine διδασκαλίας veniunt.

Quinto, Ipſum διδαχῆς nomen, Conſtitutionibus tributum eſſe, ſuadet Concilium Trullanum Can. II. ubi de Hæreticis queruntur Patres, eos, interpolationibus ſuis, genuinam & integram Apoſtolorum διδαχὴν corrupiſſe. Et Claudius Rex Habeſſinorum Æthiopum apud Hottingerum Α'ρχαιολογίας Oriental. Part. 2. p. 77. Conſtitutiones Doctrinam Apoſtolorum vocat, quod apud Coteler. in Conſt. L. V. Cap. XIX. διδασκαλίαν reddi video, cum poſſit procul dubio & διδαχὴ reddi, de quo illi judicent, qui Hottingerum ad manus habent.

Sexto, Athanaſius Conſtitutiones noverat; Hoc ex præcedentibus conſtat. In Epiſtolâ ſuâ Feſtali XXXIX. Libros tum Sacros, tum illos recenſet, qui dubii ſunt, ſed alicujus

au-

Digitized by Google

auctoritatis. Vidimus eum magno in pretio Conſtitutiones habuiſſe. Ergo debuiſſet earum mentionem facere. Sed de iis nihil mutit, διδαχὴν autem Apoſtolorum nominat. Ergo ſub διδαχῆς nomine Conſtitutiones intelligit.

Septimo, multi Auctores, qui poſt illud tempus ſcripſere, quo ex confeſſo Conſtitutiones notiſſimæ erant, in Catalogis ſuis Librorum dubiorum & Apocryphorum, Conſtitutiones omittunt, διδαχὴν & illam, quam tamen nemo unquam citat, recenſent. E. διδαχὴ à Conſtitutionibus non differt. Auctores illi ſunt, ſcriptor Synopſεως S. Scripturæ inter Athanaſii Opera, Nicephorus Conſtantinopolitanus in Stichometria, manuſcriptum Barocianum ap. Uſſer. in Ign. Cap. *I.* Vide & Niceph. Caliſti H. E. L. *II.* Cap. XLVI.

Octavo, cum διδαχῆς illius mentionem adhuc faciunt omnes iſti Auctores, patet eam debuiſſe notam eſſe Zonaræ & Matth. Blaſtari. Sed horum ille in Athanas. Ep. XXXIX. Feſt. apud Uſſer. in Ign. Cap. *VII.* iſte in Collect. Canonum litt. *β.* Cap. *II.* apud Coteler. diſerte dicunt διδαχὴν Apoſtolorum eſſe Conſtitutiones noſtras. Cur illis non fidem haberemus, qui de eo accurate judicium ferre poterant.

§.18. Uſſerii objectionibus reſpondetur.

§. 18. Adeo validæ ſunt omnes hæ præſumptiones & probationes, ut certitudinem invictam producant, quæ non niſi graviſſimis objectionibus deſtrui poſſit. Itaque, quæcunque Uſſerius in contrarium affert, non ſufficiunt ad eam evertendam. Sed præterea, omnia illa quæ objicit nullius pretii ſunt, & pleraque jam Cotelerius ſolvit. Ne tamen quicquam negligam, non gravabor ea repetere & reſponſiones meas addere, præcipue cum Coteleriannæ mihi non ex omni parte ſatisfaciant.

Primo, Athanaſius διδαχὴν inter illos Libros reponit, qui Catechumenis & nuper ad fidem accedentibus legendi ſunt. Conſtitutiones vero Epiſcopis ſunt dicatæ, & Canon Apoſtolicus 88. eas in vulgus efferri vetat.

Reſpondeo, Liber iſte & Epiſcopis & toti Eccleſiæ, ipſiſque Laicis, & dicatus eſt & præcepta tradit, atque pleraque ad Ethicam ſpectantia habet, multa ad Catechumenos ut Liturgiam,

Digitized by Google

gìam, &c. quæ iis ſolebant explanari, ut è Cyrillo Hieroſol. patet. Canon Apoſtolicus eo tempore factus eſt, quo Ethnici Imperatores erant, *II.* vel *III.* ſæculo, quo tempore ob infideles, diſciplina arcani circa nonnulla obſervanda erat.

Secundo, Nicephorus ejusque interpres Anaſtaſius modo 200. verſiculos huic διδαχῇ tribuunt, qui exiguus numerus Conſtitutionibus non convenit.

Reſpondeo, Incerti illi numeri non poſſunt rationum mearum certitudinem deſtruere, nam mendis pleni ſunt, quod ex inſpectione ſolâ apparet; deinde in variis mannſcriptis, varii ſunt. Imo in hoc ipſo loco, varietas eſt magni momenti, nam manuſcriptum optimum legit teſte Cotelerio verſus ϛ,. id eſt VI. M. quod omnino Conſtitutionum ſtaturæ par eſt.

Tertio, In indiculo librorum Apocryphorum Anaſtaſii, Quæſtionibus ſubjecto, διδαχαὶ Ἀποςόλων & διδασκαλία Κλήμεντ☉ diſtinguuntur.

Reſpondeo, illic, ſub titulo Doctrinarum Apoſtolorum, non intelligitur liber ille in ſpecie ſic dictus. Titulus integer eſt περίοδοι καὶ διδαχαὶ Ἀποςόλων, i. e. *Circuitus & doctrinæ Apoſtolorum*, ſub *doctrinis* eorum, intelliguntur eorum prædicationes in genere. Nam plerique *Circuituum Apoſtolorum* libri, etiam eorum *prædicationes* vocabantur. Senſus itaque tituli eſt, *Hiſtoria eorum, quæ Apoſtoli in ſuis itineribus fecerunt, dixerunt, docueruntve.* Alias nunquam διδαχαὶ Apoſtolorum cum eorum circuitibus confundi potuere.

Quarto, in Interrogationibus à Marco Alexandrino Theodoro Balſamoni propoſitis, quæritur quid ſentiendum ſit de quibusdam Libris, qui in Orientalibus & Meridionalibus regionibus videantur, ut Doctrinæ (Διδασκαλίαι) SS. Apoſtolorum, Viſiones S. Pauli, &c. Reſpondet Balſamon Eccleſiam recipere Libros, in LXXXV. Canone Apoſtolorum nominatos, alios vero nullos. Jam in illo Canone mentio Conſtitutionum fit, E. diſtinxit eos Clemens ab illis Didaſcaliis.

Reſpondeo. Non rejicit illas Didaſcalias. Dicit Eccleſiam modo ea recipere, quæ Canon LXXXV. Apoſt. recipit. Sed

Digitized by Google

non dicit, num Didaſcaliæ in illo receptæ ſint, adeoque cum Conſtitutionibus coincidant, vel num omiſſæ ſint. Adde quod appareat nec Balſamonem nec Marcum illas Didaſcalias vidiſſe, ſed modo ex auditu earum mentionem facere. Sed quid multis? Reſpondet Balſamon, *Eccleſia agnoſcit διδασκαλίας Apoſtolicas, & viſiones & διδάξεις, Libros nempe (τὰ .... βιβλία) in Canone Apoſt. LXXXV. nominatos.* E. Didaſcalias & διδάξεις pro Conſtitutionibus habebat. Hoc non obſtat, quin eas interpolatas crediderit, ut notat Uſſerius. Unde ſacras quidem habebat, ſed non omnibus legendas, quæ ſententia fuerat Conc. Trullani.

Tria alia Argumenta bene ſolvit Cotelerius, unde ea non repeto, præcipue cum inepta ſint, & nemo iis inſiſtat. Sed de Anaſtaſii loco, qui, ἐκ τῶν διδαγμάτων vel διαταγμάτων Apoſtolorum, fragmentum citat de die Chriſti nati, Baptizati, &c. omnino cenſeo, non, ut Cotelerius, ex aliis quibusdam Didaſcaliis, ſed interpolatum eſſe & Paraphraſi ornatum, cujus fundamentum tamen in Conſtitutionibus exſtat. Hoc vel variantes demonſtrant, cum in duobus Anaſtaſii codicibus toto cœlo fragmentum hoc differat, prout quivis plura pauciorave addidit vel extendit, dum alius diem menſemque ſecundum Ægyptios, alius ſecundum alios adderet. Id mirum non eſt in hoc Anaſtaſii Libro, quo nullus majores eſt interpolationes paſſus.

Omnia itaque probant, Euſebio notum fuiſſe Conſtitutionum opus, & nihil obeſt. Ulterius retrogrediendum nunc eſt, & hoc capite ſequenti facturus ſum.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

De Conſtitutionibus Apoſtolicis dictis, Pars ſecunda: ubi ætas earum genuina aſſeritur, & ad Sæc. II. prima initia refertur.

ARGUMENTUM.

Conſtitutiones nulla veſtigia quarti ſeculi continent. Loca earum de converſione Romanorum, & Epiſcoporum poteſtate defenduntur. §. 1. *Nec ritus recentiores præſcribunt. Digreſſio de Templis Chriſtianorum.* §. 2. *Indicia, Conſtitutiones Sec. III. extitiſſe, intrinſeca. Ex precepto de Sabbatho Obſervando.* §. 3. *Ex locis de Trinitate, ordinatione Epiſcoporum, ſilentio de Metropolitanis.* §. 4. *Ex verbis de Exorciſtis, Ordinibus minoribus, Symbolo, Cælibatu.* §. 5. *Teſtimonia pro iis, è Tertio Sec. Dionyſii Alex. Canonum Apoſtol. Anonymi de Baptiſmo, Origenis, Cornelii, Firmiliani & aliorum, Hippolyti, qui earum partem edidit.* §. 6. *Conſtit. erant Sec. II. Satisfit Objectionibus.* §. 7. *Indicia ex earum locis, de Epiſcopis & Presbyteris, de Precationibus, de Conventibus quotidianis, de Sabbatho, de Cultu Eccleſiæ.* §. 8. *Viſæ ſunt Conſtitutiones Clementi Alex. Irenæo, Auctori Recognitionum & Epiſtolæ Clementis ad Jacobum.* §. 9. *Luciano Sophiſtæ, Ignatio, cujus locus aliquis vindicatur.* §. 10. *Collectæ Sec. II. ineunte, è monumentis Apoſtolorum eorumque Canonibus, de quibus Clem. Rom. de Libro* duæ viæ *Conſtit. inſerto.* §. 11. *Conſtitutionum auctoritas & uſus.* §. 12.

Digitized by Google

§. I.

§. I. Removentur à Conſtitutionibus κακοπλα-σία & veſtigia quarti ſæculi.

Euſebii tempore jam notiſſimas fuiſſe conſtitutiones vidimus, & inter libros dubios collocatas, cum Hermâ aliiſque antiquiſſimis ſcriptoribus. Inde maxima præſumptio naſcitur, jam dudum illos extitiſſe, & ad eadem tempora referendas, ad quæ ſcriptores illi alii, id eſt, ad prima Eccleſiæ Chriſtianæ tempora. Hinc earum auctoritas inter Chriſtianos. Attamen forte ſufficere non videbitur hæc præſumptio, & aliæ majores auctoritates exquirentur. Jam itaque probare adgrediar, III. ſæculo eas jam extitiſſe, & dicenda in tres partes dividam. Primâ parte illa excutiam, quæ viderentur Sæc. III. recentiora eſſe. Secundâ, oſtendam ritus ibi præſcriptos multos Sæc. IV. antiquiores eſſe, aliaque intrinſeca Argumenta producam. Tertiâ, teſtimonia quædam ex III. Sæc. adducam de Conſtitutionibus.

Quicquid Conſtitutionum Antiquitati Sæc. III. objici poſſet, vel à Silentio Auctorum illius temporis deſumetur, vel à rebus ipſis quas continent, & quæ recentiores eſſe debeant. Quoad primum, in genere notandum, paucos nobis illius ſæculi libros notos eſſe, vel ſupereſſe, & pauciſſimos, ubi mentio Conſtitutionum injici, occaſione data, potuerit. Præterea oſtenſurum me, revera in pauciſſimis illis earum mentionem fieri.

Quoad ſecundum, plura gravioraque habent, quæ objiciant Adverſarii, ſed ea tamen ſi recte expendantur nullius revera momenti. Quæcunque hactenus contra Conſtitutiones ſcripta ſunt, hoc unum probavere, eas ab Apoſtolis ſcriptas non eſſe. Sed Apoſtolis recentiores multo eſſe non probavere. Interim, quantulumcunque ſit quod opponitur, expendendum illud erit.

Conſtitutiones de Impp. Romanorum

Ante omnia, unum aliquod memoratu dignum eſt, ubi ſeſe prodere Conſtitutionum Auctorem ajunt, tanquam qui Sæc. IV. poſt Conſtantinum M. ſcripſerit. Nempe L. VI. Cap. XXIV.

Digitized by Google

XXIV. Romanos ad fidem Chriſtianam converſos dicit. At vero, an nulli Romanorum ante Conſtantinum M. Chriſtiani fuere? ſed, inquies, abſolute Auctor Romanos dicit converſos, non nonnullos modo. Ita ſane ſequeretur eum modo VII. vel VIII. ſæculo ſcripſiſſe, cum omnes Romani Chriſtiani forent, quod abſurdum. Deinde nexus conſiderandus eſt verborum hujus Auctoris. Agit de Judæis ad fidem Chriſti converſis, tum addit *non modo autem juſtitiæ legem per nos vult manifeſtari, ſed & per Romanos eam conſpici ac reſplendere cupivit.* Pergit deinde Gentium vocatione. Manifeſtum itaque eſt, eum id modo velle, etiam Ethnicos fidei Chriſtianæ nomen dediſſe. Quod vero Romanos nominat, hoc ideo fit, quod tunc non alii Gentiles Eccleſiam ingreſſi eſſent, quam qui ex Orbe Romano forent. Itaque nullum eſt in iſtis verbis dubium. converſione non agunt.

Alterum κακοπλασίας exemplum, quod Conſtitutionibus opponitur, immodica eſt Epiſcopatus laudandi libido. Epiſcopus huic auctori, Deus eſt in terrâ, Rex Eccleſiæ, ſupra omnes mundi poteſtates conſtitutus. Hoc, inquiunt, & in Conſtitutionibus & in Ignatii Epiſtolis ſequiorem ætatem indicat, quâ ſub Imperatoribus Chriſtianis poteſtas Clericorum ſupra fidem creverat. Sed diſtinctionem precor hic obſervari. Nempe non ajunt Conſtitutiones, Epiſcopos ſuo tempore revera in illo pretio paſſim fuiſſe. Tantum abeſt, ut potius eos in maximâ ſimplicitate vixiſſe doceant. Hoc modò volunt, Epiſcopos ſpirituali quodam modo hos titulos mereri. Quod ſi Apoſtolus non dubitet, Chriſtianos omnes gentem Regum vocare, & Doctores Eccleſiæ ſupra alios aliquam dignitatem habeant; Quidni Epiſcopi etiam Reges, principes Eccleſiæ ſc. in Chriſto dicantur? Ne dicam exempla hujus generis etiam in antiquis ſcriptoribus reperiri, & plura ſane reperienda fore, ſi modo multos auctores Sæc. II. & III. haberemus, qui de Epiſcopis, vel Eccleſiæ ritibus agerent. Sed cum plerique illorum temporum Auctores Polemici ſint, vel Chriſtianiſmi defenſores, mirum non eſt, nos pauca reperire, quæ ad ritus Eccleſiæ ſpectent. Circa Epiſcopatus laudes defenduntur.

Kk 3 §. 2.

Digitized by Google

§. 2. Ritus recentes in Conſtit. non præſcripti.

§. 2. Ita etiam eliditur alia generalis objectio contra Conſtitutiones. Nempe eas multos ritus præſcribere, qui quidem Sæc. IV. fuerint, non legantur autem prius obſervati eſſe. Quaſi ullos Auctores haberemus illorum, qui ritus Eccleſiæ deſcribant. Deinde quam mirabilis concluſio! Illi ritus Sæc. IV. in uſu erant. E. non III. Nemo occaſionem habet de iis loquendi. E. non exſtabant. Ego rectius concludo. Exſtabant Sæc. IV., nihil obſtat extitiſſe Sæc. III. E. exſtabant tunc. Certe præſumptio mihi favet. Conſtitutiones tam diu fida primæ Eccleſiæ delineatio habebuntur, donec quis oſtendat eas ritus deſcribere, qui ſerius uſitati fuerint & non primis temporibus. Tandem adhuc hoc notandum eſt, non omnes ritus, quos præſcribunt, habendos eſſe, quaſi jam Conſtitutionum tempore exſtarent. Multi habendi ſunt tanquam præcepta vel propoſita, tunc exſequenda ubi occaſio faveret. Verbi cauſâ; ſtructura Eccleſiarum quæ præſcribitur, non ita aſſumenda eſt forte, quaſi jam tunc omnia accurate ita fierent; ſed quaſi juſſum ita exſtruendi, ubi facultas dabitur Templa publice habendi. Nihil aliud verba indicant. Et cum tanta fuerit hujus Libri auctoritas, non mirum eſt deinde Chriſtianos juſſa hæc ſecutos eſſe.

Exemplum circa Templorum fabricam.

Non obſtat itaque nobis generalis objectio iſta, & transeundum eſt ad ſpeciales, quæ fieri poſſent ex ritibus ante Sæc. IV. certo non uſitatis. Sed ſane nihil revera eſt quod tuto opponi poſſit. Nam quicunque ritus in Conſtitutionibus præſcribuntur, & à nonnullis Sæc. III. juniores creduntur, ab aliis antiquiores ſtatuuntur. Unde in dubio, Conſtitutionibus auctoritas ſua conſtabit, & ipſæ litem decident. Tandem non ita dubia hæc ſunt, quin ſemper melior judicioſiorque pars rituum horum antiquitati faveat. Exemplum aſſumam ex Templorum fabricâ, quam Conſtitutiones præſcribunt. Multi olim crediderunt, & adhuc forte nonnulli credunt, Chriſtianos templa ante Sæc. IV. non habuiſſe, ſive ante tempus, quo poteſtas eorum crevit. Quod quam abſurdum ſit, non modo antiquiora

Digitized by Google

tiquiora teſtimonia probant, ſed & ipſa Sæc. IV. praxis. Arii Hæreſis ineunte Sæc. IV. orta eſt, & cum Chriſtiani adhuc ſub Tyrannide Gentilium eſſent. Tamen multa templa tunc fuiſſe Alexandriæ à Presbyteris erecta conſtat. Ante illud tempus adhuc, cum Meletius ad metalla duceretur & perſecutio eſſet, in ipſo ad metalla itinere, conſtat eum Templa ædificari curaſſe; teſte Epiphanio de Melet. Si tot Eccleſiæ tunc erant, ſi in ipſâ perſecutione extruebantur, quis crediderit novum hoc inſtitutum fuiſſe? Præterea adeo apodictice Medus, Binghamus, aliique Eccleſias tertii ſæculi probavere, ut abſque inſania ab iis diſcedi non poſſit, cum nullus illius ſæculi Auctor non de Templis loquatur. De ſecundo ſæculo non adeo liquet, ſed probabile eſt; Id nonnulla illius ſæculi teſtimonia clare innuunt. Sæc. III. Chriſtiani jam antiquas Eccleſias habebant, non videtur hoc repente ortum eſſe. Longa pax, quæ ſæpe Sæc. II. apud Chriſtianos fuit, id ſuadet: Omnes Religiones, ſtatim ubi ortæ ſunt, quærunt publice cultum ſuum exercere. Hæc omnia extra dubium ponunt, Eccleſias Sæc. II. fuiſſe, Et cum nihil in contrarium dici poſſit, ſua Conſtitutionibus Auctoritas manet, & ipſæ litem terminant.

Si Eccleſiæ exſtiterint, & liberum fuerit eas quovis modo exſtruere, quid mirum aliquam formam communem iis datam, qualis in Conſtitutionibus præſcribitur, quæ cum ritibus illius temporis concordat? Alias unde tantus conſenſus, Sæc. IV. & ſequentibus, in Eccleſiis ſemper ita ædificandis? Si Templa fuerint, nonne aliqua diſtinctio ſedium debebat oriri, inter Clericos & Laicos, viros & mulieres, adultos & pueros, fideles & catechumenos, &c? Quid mirum præſcribi quædam talia in Conſtitutionibus? Si Templa fuerint, & Synaxis habita in iis fuerit, nonne menſæ in hunc uſum erant? Nonne planum erat, eas Altaria vocare, pro temporum more & ſtylo? Nonne de altaribus Sæc. III. omnes, Sæc. II. Irenæus, Ignatius, aliique agunt? Quid mirum Conſtitutiones de iis agere? Ita cum omnibus ritibus ſeſe res habet, potuerunt abſolute antiquiſſimis

Digitized by Google

quiſſimis temporibus in uſu eſſe, nihil diſertum obſtat, omnia potius ſuadent. Cur ergo idcirco Conſtitutiones rejicere? Quicunque in aliâ ſententiâ verſantur, nonniſi per Circulos argumentari ſolent, v. g. Ritus non uſitatos fuiſſe ex Eccleſiæ ſimplicitate probant. Eccleſiam ſimplicem ex eo demonſtrant, quod ritus in uſu non fuerint, &c.

Hæc generalia omnino contra omnes objectiones ſufficient. Pauci ritus recentiores Conſtitutionibus objiciuntur, ſed de omnibus perinde ſeſe res habet.

§. 3. Indicia pro antiquitate Conſtitutionum ante Sæc. III.

§. 3. Tranſeo itaque ad alteram partem, quâ oſtendere mihi propoſitum eſt, ritus in Conſtitutionibus multos præſcriptos eſſe, qui modo primis ſæculis conveniant, quarto vero jam in deſuetudinem abierint. Hinc manifeſtum erit, cum Conſtitutiones prima ſæcula præ ſe ferant, & nihil iis indignum habeant, ſed multa quæ modo primis ſæculis convenire poſſint, omnino fidem iis habendam eſſe, & eas pro antiquiſſimis recipiendas. Præterea Impoſtores ſolent Eccleſiæ, pro quâ ſcribunt, favere, & ejus ritus pro antiquis obtrudere; hoc quoque Conſtitutionibus, ſed falſo, objectum fuiſſe vidimus. Nunc contraria exempla apparebunt.

Ex obſervatione Sabbathi injunctâ.

Libro II. Cap. LIX. & XXXVI. L. V. Cap. XX. L. VI. Cap. XXIII. L. VII. Cap. XXXVI. L. VIII. Cap. XXXIII. Obſervatio Sabbathi quam arctiſſime injungitur, & ita ut nulla diſtinctio inter ipſam & Dominicam ponatur, imo potius Dominicæ præponatur & præferri videatur. Nullum opus eâ die permittitur, Cultus in Eccleſiâ, totâ die injungitur, jejunium & triſtitia prohibentur, &c. Hæc omnia jam Sæc. IV. & antea ceſſaverant. Concilium Laodicenum Can. XXIX. *vetat Chriſtianos Judaizare, & in Sabbatho otiari, ſed opus agere jubet, contrarium agentes Anathemate percutit.* Hoc Concilium ab Eccleſiâ univerſâ receptum & Sæc. IV. habitum eſt. Euſebius L. I. c. IV. H. E. diſerte negat Chriſtianos Sabbathum obſervare. Interim conſtat primis temporibus id factum fuiſſe, præcipue, dum Judæi primas in Eccleſiâ tenerent, i. e. uſque

Digitized by Google

uſque ad Hadriani tempora. Nam Sæc. III. ineunte, jam rejectum fuiſſe Sabbathum, liquet ex Tertulliano contra Judæos C. IV., qui Liber anno Chriſti *CCVIII.* ſcriptus eſt, ubi Tertullianus probat Sabbathum ad Chriſtianos non ſpectare, & ejus obſervationem modo temporalem fuiſſe.

Non nego tamen, etiam Sæc. IV. aliquo modo Sabbathum obſervatum fuiſſe. Jejunio Romæ & in occidente, Congregationibus ſeu cultu aliquo, non in toto Oriente, ſed in nonnullis modo locis, ut ex Epiphanio liquet in Compend. Doctr. Hæc omnia miſcuit Binghamus cum aliis, & totum negotium turbavit. Mihi non vacat in præſentiâ ſeparanda ſeparare. Loca Patrum ad hoc cuivis ſufficient, modo verba eorum in ſuis terminis reſtringat. Nihil probant quæ adducit Binghamus, quàm aliquo modo nonnullis in locis feſtum habitum fuiſſe. Sed non probant, Dominicæne vel comparatum; non probant otio tranſactum fuiſſe, & alia, quæ Conſtitutiones dicunt, & olim in uſu erant. Laodiceni vero Patres, Euſebius, & Tertullianus diſertiſſime de ſuo ævo negant.

§. 4. Si Liber Conſtitutionum Sæc. IV. prior non ſit, aut ſcriptus eſt ab Orthodoxo aut ab Ariano. Si prius, abſque dubio diſertius de Myſterio Trinitatis ſcripſiſſet Auctor., & loquutiones aliquo modo Arianis faventes vitaſſet. Si poſterius, Eccleſia tam cito, & tam facile eum non recepiſſet, nec ſtatim Athanaſius, Epiphanius, aliique viri docti, Arianorumque hoſtes infenſiſſimi, eum laudaſſent & recepiſſent. E. Liber iſte ante Sæc. IV. ſcriptus eſt. Et ſane modus, quo ibi Myſteriorum Trinitatis, &c. mentio fit, omnino prima ſæcula ſapit, & duriuſculum illorum temporum loquendi modum, atque pauca quæ de iis tunc fieri ſolebant verba.

§. 4. Ex doctrinâ Conſtitutionum circa Trinitatem.

Tertium teſtimonium intrinſecum pro Conſtitutionibus mihi ſuppeditabit, mandatum circa ordinationem Epiſcoporum. *Epiſcopus à tribus duobuſve ordinetur.* Verba ſunt Conſt. L. III. Cap. 20. Jam Sæc. II. omnes Provinciæ Epiſcopi requirebantur, Cypr. Ep. LXVII. Euſeb. L. VI. Cap. XI. Sæculo

Ex earum præcepto circa ordinationem Epiſcoporum.

culo IV. & V. plerumque vel duodecim (Conc. Carth. III. c. 39. ap. Cotel.) vel octo, (Conc. Arel. I. Can. 21.), vel certe ſeptem, aut ſi ſumma neceſſitas ſit, non minus unquam quam tres (Conc. Nic. Can. IV. Arelat. I. c. 21. Arelat. II. c. 5. Carthag. III. can. 2. Carthag. V. can. 2. Theodor. L. V. Cap. XXIII. H. E. &c.) & quidem non numerato Metropolitano (vide pleroſque locos citatos); Unde ordinatio à paucioribus, ſc. duobus facta rejiciebatur (vid. Exempla Conc. Araus. I. Can. 21. Conc. Reienſe, &c.) Si quæ exempla ſunt in contrarium, æque irregularia ſunt, ac ordinatio Evagrii à ſolo Paulino (Theodoret. l. c.), & in transgreſſores animadverti ſolebat. Regulariter omnes comprovinciales requirebantur, & numerus modo in ſubſidium figebatur, V. Cypr. l. c. Euſeb. l. c. Conc. Nic. Can. 4. & pleroſque Canonum citatorum. In Conſtitutionibus nihil de Provinciâ, nihil de pluribus Epiſcopis, nihil de illegitimâ à duobus Ordinatione, multo minus de advocandis vicinarum Provinciarum Epiſcopis, ut volunt Concilium Generale II. Conſtant. ap. Theodor. L. V. Cap. IX. & Concilium Chalcedonenſe Act. XVI.

Ex ſilentio de ſubordinatione inter Epiſcopos.

Sed Provinciarum mentionem non deſero. Nulla in Conſtitutionibus veſtigia, nec diviſionis Eccleſiarum in Provincias, nec Primatum, nec Metropolitanorum. Hæc omnia tamen, jam initio Sæculi III. in Eccleſiâ orta ſunt. E. jam antea Conſtitutiones exſtabant. Sæc. II. jam hæc inſtituta fuiſſe, cum Anglis pleriſque aliiſque multis Doctiſſimis viris, credere non poſſum.

Quæ III. ſæculo orta.

Loca quæ producunt id mihi probare non videntur. Irenæum in Galliâ Metropolitanum fuiſſe male concludunt ex Euſebii verbis L. V. c. 23., ubi Irenæus Galliæ parœciis Epiſcopus fuiſſe dicitur. Senſus eſt modo eum quaſdam in Gallia Parœcias, quæ unam Diœceſin conſtituebant, rexiſſe, plures enim Eccleſiæ uni Epiſcopo parebant, & à Presbyteris regebantur. Alias improprie loqueretur Euſebius παροικιῶν ἃς Εἰρηναῖος ἐπισκόπει, nam Metropolitanus nunquam dictus eſt, Provinciæ integræ *Epiſcopatum* geſſiſſe, hoc enim ſupponeret alios Epiſ-

Digitized by Google

Epiſcopos ſub eo non fuiſſe. Quod Philippus Cretenſium Epiſcopus dicatur Euſebio L. *IV.* Cap. *XXIII.* hoc ſenſu modo intelligendum, quod inter Cretenſes Epiſcopatum geſſerit. Theophilum, Narciſſum aliosque multis Epiſcopis præſediſſe dicit quidem Euſeb. L. V. Cap. *XXIII.*, ſed nempe in Synodum coactis, ubi ſane Præſidem eligere oportebat, non alias. Polycrates non dicitur præfuiſſe Epiſcopis Aſiæ, eidem Euſeb. L. V. Cap. *XXIV.* ſed eos duxiſſe (ἡγεῖτο) id eſt, in celebri circa Paſcha Schismate, primas inter eos tenuiſſe, qui Aſianorum ſententiam ſequerentur, præcipueque præ aliis pro illâ opinione ſcripſiſſe. Hæc aliaque ſuadent, ut Metropolitanorum uſum Sæc. *II.* probatum non credam. Multa etiam faciunt ut pro parum probabili habeam, licet libenter concedam, quosdam Epiſcopos præ aliis aliquem honorem, vel aliquam auctoritatem ſortitos eſſe, non modo ætatis, aut eruditionis, aut ſanctitatis cauſâ, ſed & ob Eccleſiæ ſuæ antiquitatem, vel urbis dignitatem, aut ſimiles cauſas. Ita tamen, ut non ſingulæ provinciæ tales Epiſcopos habuerint, ſed modo paſſim aliqui exſtiterint, ut Romanus, Antiochenus, alii. Quidquid de eo ſit, ſufficit indicium hinc ſumi, Conſtitutiones Sæc. *III.* præceſſiſſe.

§. 5. Exorciſtæ in Conſtitutionibus ordinem peculiarem non conſtituunt, imo ordinatio eorum vetita eſt Conſt. L. *VIII. C. XXVI.* quod Exorciſmus ſit donum omnibus fidelibus, quos eo favore Deus dignetur, commune, &c. Sic primis temporibus erat. Quivis Chriſtianus exorcizabat, Orig. c. Celſ. L. *VII.* Tertull. Apolog. C. *XXIII.* Minut. Octav. Juſtin. Apol. *I.* p. 45. aliique, non tamen ſemper nec regulariter, ſed prout aliquis fide & Dei gratiâ plenus erat. Hæc omnibus conſtant. Viciſſim conſtat Sæc. *IV.* ordinatos fuiſſe Exorciſtas, & certum in Eccleſia ordinem conſtituiſſe, quod ſuperfluum foret exemplis comprobare, cum ſingula concilia ſingulique Patres de hoc facto teſtentur. Sed non modo Sæc. *IV.* hic uſus invaluit, verum jam uſitatum erat Sæc. *III.*

§. 5. Ex vetitâ Exorciſtarum ordinatione.

Digitized by Google

III. medio, tanquam aliquid jam commune & antiquum. Nam Cornelius Epiſcopus Romanus, non longe ab anno 250., Fabiano ſcribens, dicit in Eccleſia Romana eſſe Presbyteros 44. Diaconos 7. Subdiaconos 7. Acoluthos 42. Exorciſtas, & Lectores cum Oſtiariis 52. Certus ergo erat Exorciſtarum ordo in Clero, perinde ac Lectorum & aliorum. Oportet ergo mos iſte ordinandi Exorciſtas circa initium Sæc. *III.* ortus ſit, adeoque Conſtitutiones prius ſcriptæ ſint.

Ex ſilentio circa ordines quosdam minores. Conſtitutiones, præter tres ordines majores, paucos minores memorant; de Acoluthis nihil prorſus dicunt, ut nec de Copiatis, aliisque. De Cantorum & Oſtiariorum ordinatione altum in ipſis ſilentium, cum tamen L. *VIII.* omnes alios ordines percurrant. Attamen, non modo Sæc. *IV.* ſed & jam medio tertio, hæc officia eorumque ordinationes notiſſimæ res erant, & Cyprianus atque Cornelius paſſim de iis agunt.

Ex Symbolo Conſtitutionum antiquiſſimo. Conſtitutiones varias fidei formulas paſſim præſcribunt, quæ maxime cum illis conveniunt, quas ante-Nicæni Patres fecere, toto Cœlo vero diſtant à Poſterioribus. Sed ſymbolum Conſtitutionum L. *VII.* Cap. 41. quod Catechumenis recitandum injungitur, præ aliis mihi memorabile eſt viſum, ob ſummam ejus cum aliis antiquiſſimis Symbolis convenientiam, quæ ante Conc. Nicænum in uſu fuerunt, & ab Apoſtolis derivabantur, nempe cum Hieroſolymitano ap. Cyrill. Catech. *VI.* & ſeqq. Antiocheno ap. Caſſianum de Incarnat. Libr. *VI.* Orientali ap. Euſeb. Epiſt. ad Cæſareenſes in Socr. H. E. L. *I.* Cap. *VIII.* Alexandrino ap. Socratem L. *I.* Cap. XXVI. & alio, quod circa Trinitatis dogma auxit, & commentatus eſt Lucianus Martyr in Athanaſ. de Syn. Arim. & Seleuc. To. *I.* p. 892. Si modo ex Symbolis iſtis quædam aliena auferas, ut additiones Luciani in ultimo, & voces *Deus ex Deo*, *conſubſtantialis Patri*, in Antiocheno, quæ poſt Conc. Nicænum additæ ſunt. Apparet omnia hæc Symbola unum idemque eſſe, pauculis in locis mutatum vel variatum, & omnia ſuadent Conſtitutionum Symbolum fontem aliorum eſſe. Alia illa Symbola iſtic referrem

&

Digitized by Google

& cum Conſtitutionibus conferrem, niſi prolixitatem timerem, & illa paſſim obvia eſſent.

L. *IV.* Conſt. Cap. *XIV.* de virginibus agitur, & virginitas potius improbatur aliquo modo, quam commendatur. Qui ſtylus quidem Sæc. *II.* ſapit, ſed *III.* & *IV.* extra uſum jam erat. Jam tunc utraque pagina, in ſingulis libris, immodicas cœlibatus laudes continebat, & omnes præ eo fere virtutes contemnebantur. Ex doctrinâ earum de Cœlibatu.

En octo graviſſima indicia, quæ Conſtitutiones Sæculo *III.* priores demonſtrant. Jam ad teſtimonia tranſeundum, videndumque nullusne adeo illo Sæculo Conſtitutiones viderit, citaveritque.

§. *6.* Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus medio Sæc. *III.* clarus erat. Huic tribuenda eſſe Pſeudo-Dionyſii Areopagitæ ſcripta, pluſquam probabile deinde efficiam. In iſtis autem manifeſte ad Conſtitutiones alluditur, & quidem in opere de Hierarch. Ecclef. Cap. I. §. 4. & 5. pag. 201. & 202. Indicat ibi Auctor, unde, quæ de Hierarchiâ dicit, habeat. Recurrit nempe ad primos fidei Chriſtianæ Doctores, i. e. Apoſtolos, qui in Sacris ſcripturis & libris Theologicis hæc doceant. Apparet eum per libros Theologicos, alia Apoſtolorum monumenta intelligere à Scripturis diſtincta. Deinde alia dicit per Traditionem ab Apoſtolis prodita eſſe, quæ maximo cum arcano ſerventur, & extra Clericos digniores non propagentur, &c. Apparet Conſtitutiones intelligi, quæ ut arcanum ſolebant ſervari, ut patet ex Can. Apoſt. LXXXV. nec niſi Clericis communicari, ſaltem Sæc. *II.* & *III.*, & quæ revera traditiones Apoſtolorum erant, fere omnes viva voce editæ, & poſt eorum mortem litteris traditæ. §. 6. Teſtimonia, pro Conſt. è III. Sæculo, Dionyſii Alexandrini.

Demonſtratum dedere & alii, & in ſpecie Beveregius, Codicem Canonum Apoſtolorum, jam *III.* Sæc. exeunte, compoſitum fuiſſe, ex antiquorum Conciliorum decretis. Jam in hujus Can. LXXXV. & ultimo, Conſtitutionum ut ſacrarum & Apoſtolicarum mentio fit. Scio Beveregium partem hanc Canonum Apoſtolicorum pro interpolatâ habuiſſe. Sed abſque ratione, Canonum Apoſtolſcorum.

Digitized by Google

tione, unica enim quam affert nullius eſt pretii. Dicit Canones Apoſtol. Paſcha cum Judæis celebrandum vetare. Antiquas vero & genuinas Conſtitutiones teſte Epiphanio id juſſiſſe. Ergo Conſtitutiones non poſſe à Canonibus approbari. Sed jam ſupra dixi, in antiquiſſimis & genuinis Conſtitutionibus, diverſitatem, hoc in loco, inter varia Exemplaria fuiſſe. Adeoque Canones ea commendare, quæ ſecum conveniant.

Anonymi de Baptiſmo in Cypriani opp.

Anonymus aliquis medio Sæc. III. librum ſcripſit *de Baptiſmo non iterando*, qui inter Cypriani opera reperitur. Ibi inter cætera aliquo loco de Baptiſmi ſolemnitate ſic loquitur, *Salus noſtra ... in Baptiſmate ... eſt conſtituta. Siquidem per nos Baptiſma tradatur, integre & ſolemniter, & per omnia quæ ſcripta ſunt, aſſignetur, atque ſine ulla ullius rei ſeparatione tradatur, aut ſi à minori Clero traditum fuerit &c.* Nota has voces, *per omnia quæ ſcripta ſunt.* Ergo ſcriptum erat aliquid tempore hujus Anonymi de Baptiſmi formâ, ſolemnitate, & per Epiſcopos traditione &c., & quidem aliquid ſcriptum ſacrum, vel certe ubique agnitum. Hoc ubi niſi in Conſtitutionibus reperies?

Origenis.

Origenes & alibi, & in ſpecie circa Pædobaptiſmum longe manifeſtiſſime ad Conſtitutiones reſpicit. Originem enim Baptiſmi Infantibus adminiſtrati oſtenſurus ſic infit, *Eccleſia ab Apoſtolis traditionem ſuſcepit, etiam parvulis Baptiſmum dare.* Orig. in Roman. L. V. Cap. VI. Ubi illa traditio erat, & quo fundamento nitebatur? ſc. relata eſt in Conſtitutionum Lib. VI. Cap. XV.

Cornelii Ep. Romani.

Cornelius ad Fabium Antiochenum contra Novatum ſcribens, medio Sæc. *III.* apud Euſeb. H. E. L. *VI.* Cap. *XLIII.* inter cætera ejus Baptiſmum reprehendit, & de eo ſic ait, *Sed neque poſtquam convaluiſſet* (in morbo nempe Baptizatus) *reliqua accepit, quæ ex Eccleſiæ Canone accipere debebat, neque ab Epiſcopo ſignatus eſt.* Hic Eccleſiæ Canon, nec in S. ſcriptura, nec in Canonibus Apoſtolicis exſtat. Agitur nempe de Chriſmate, Impoſitione manuum, aliiſque Baptiſmi cærimoniis. Reſpicit omnino

Digitized by Google

omnino Cornelius ad Conſtit. L. *III.* Cap. *XVI.* & L. *VII.* *C. XXII. XXVII.* ubi hæc omnia diſerte inſtituuntur.

Non longe poſt Cornelium, ſcribebat Firmilianus Cæſareæ Cappadocum Epiſcopus, cujus ad Cyprianum epiſtola in hujus operibus exſtat. Vigebat de Hæreticorum Baptiſmate altercatio. Stephanus ad Apoſtolos provocabat, qui Hæreticos Baptizandos prohibuerint. Firmilianus aliique hoc falſum eſſe dicebant. Inde ſaltem patet, quædam Apoſtolorum mandata tunc fuiſſe. Forte eadem varietas in Conſtitutionum exemplaribus hic reperiebatur, quam circa Paſchatis celebrationem vidimus. Nam Firmilianus traditionem Romanorum humanam vocat, & illi aliam conſuetudinem veritatis, ut dicit, opponit, quam ab Apoſtolis etiam deducit. Nempe Conſtitut. L. *VI.* Cap. XV. Hæreticos iterum Baptizandos eſſe decernitur. Quod ipſum, ut in tranſitu moneam, indicium aliud eſt antiquitatis Conſtitutionum ante Conc. Nicænum, nam ab eo tempore tota Eccleſia hanc opinionem rejecit. Firmiliani & Stephani Rom. aliorumque.

Primo Sæc. *III.* initio floruit Hippolytus Portuenſis. Huic, in antiquo & notiſſimo monumento, tribuitur liber ſub titulo Ἀποστολικὴ παράδοσις. Hodie nullus ſub hoc ditulo exſtat. Citat Syncellus Hippolyti ipſius παράδοσιν. Apparet eundem librum eſſe. Itaque non eſt dubium, non differre ab hâc *Traditione Hippolyti*, ejusdem διδασκαλίαν, quæ in multis Catalogis nominabatur, & quæ debuit eſſe collectio Traditionum Apoſtolorum, utpote quæ inter Apocrypha Apoſtolorum reponatur. Deinde inde etiam manifeſtum eſt διδαχὴν vel διδασκαλίαν Hippolyti, quæ hodie in Bibl. Oxonienſi exſtat, & Collectio decretorum Apoſtolicorum eſt, non differre ab illâ παραδόσει. Unde eandem διδαχὴν in Bibl. Vindobonenſi exſtare conſtat, ſub nomine διδάξεις ἀποστόλων δι' Ἱππολύτου, ſicut olim modo Hippolyti traditio, modo Apoſtolorum traditio per Hippolytum dicebatur. Vide de his libris Caveum de ſcript. Eccl. Erat itaque διδαχὴ aliqua Apoſtolorum, ab Hyppolyto vel collecta, vel edita. Jam in Codicibus illius Hippolyti Port.

di-

Digitized by Google

διδαχῆς, qui hodie ſuperſunt, continetur unicus liber *VIII.* Conſtit. Apoſtol. Ergo ipſæ hæ Conſtitutiones erant διδαχὴ illa Hippolyto nota. Sed num ab eo compoſita? Non, nam modo edita ab ipſo ſeu per illum dicitur. Id eſt, vel ſeparatim librum hunc edidit Hyppolytus, vel ex rariori notiorem effecit, vel quod magis arridet, primus in Occidente edidit ex Oriente acceptum, unde primis illis temporibus, ab Orientalibus quidem mentio fit Conſtitutionum, vel ab iis qui in Oriente fuerant, ſed non ab Occidentalibus, ne ab ipſo quidem Cypriano. Quidquid de hoc ſit, inter cætera & iſtud inde concludo, ritus in Conſtitutionibus memoratos, & qui fere omnes Libro *VIII.* continentur, jam Hippolyti tempore antiquos fuiſſe, & quidem adeo ut Apoſtolis tribuerentur. Sed de Hippolyti Collectione forte adhuc ſemel agendi locus erit. Et ne quis de his dubitet, edidit Cel. Fabricius in Hippolyti To. I. p. 245. ſqq. hanc παράδοσιν ſeu διδασκαλίαν Apoſtolorum Hippolyteam, quæ partem L. *VIII.* Conſt. complectitur. Et Abeſſini Conſtitutionum religioſiſſimi cultores 38. Canones ſervant Hippolyti, inde fere omnes deſumptos, quorum titulos habet laudatus Fabricius Præf. p. XXII.

§. 7. Conſtitutiones Sæc. II. exſtabant. §. 7. Hæc ſunt Sæc. *III.* pro Conſtitutionibus teſtimonia, ex quibus & aliis antea dictis concludo, Conſtitutiones Sæc. *III.* non modo exſtitiſſe, ſed & eo antiquiores eſſe, adeoque Sæc. *II.* jam fuiſſe. At vero num ſolum eo labente? Minime: nam jam ulterius progrediar, & ex Sæc. *II.* perinde Auctoritates allegabo.

Objectionibus ſatisfit Hiſtoricis. Et primo, objectiones in contrarium præoccupabo. Hæ vel Hiſtoricæ ſunt, vel ex ritibus ibi præſcriptis deſumptæ. Ex Hiſtoricis partem maximam facile removebo, dum monebo me, nullo modo omnia & ſingula ex Conſtitutionibus, Apoſtolis tribuere, vel Apoſtolis viventibus facta credere. Sed illæ mihi Objectiones refutandæ ſunt, quæ Conſtitutiones maximorum errorum incuſant, contra Hiſtoriam Apoſtolicam. Nam credibile non eſt, tam ſupinam negligentiam collectori tribuendam

Digitized by Google

dam eſſe, quem immediate poſt Apoſtolos vixiſſe credo, & eorum monumenta collegiſſe. Et hoc concedo de iis, quæ Hiſtorice tanquam certa referantur. Sed nego & pernego de nonnullis, quæ temere ignorantiæ imputantur, ut de congregatis omnibus Apoſtolis, tunc quum hoc fieri non potuit, &c. Nam hæc omnia modo connexionis ergo facta ſunt. Compilator nempe, cum Apoſtolorum quædam præcepta communia referre vellet, & generalia, quæ nulli in ſpecie tribuere poterat, (ut de Liturgiis aliisque ſpecialibus fecit) non melius ſe poſſe ea nectere putavit, quam fingendo conſeſſum omnium Apoſtolorum, non realem, ſed modo ſymbolicum, ut ſic dicam, utpote qui modo ideo excogitatus ſit, ad communem eorum Doctrinam repræſentandam. Hâc reſponſione tolluntur omnes difficultates Chronologicæ. Nec novum eſt inſolitumve tales fictiones admittere. Quid aliud ſunt Recognitiones, omniaque illa ſcripta Apoſtolis tributa? Præterea multa ſuadent, ut Chronologica illa dubia parvi ponderis eſſe credam, & Conſtitutiones iis abſolvi poſſe. Sed hoc pro noſtro propoſito nimis prolixum eſt. Unde in aliam occaſionem his ſervatis, priore reſponſo contentus ſum. Interim & hæc & alia, quæ afferuntur, non me feriunt, & illis diluenda relinquo, ſi potis ſint, qui Apoſtolis Conſtitutiones tribuunt.

Cum vero eas ineunte Sæc. II. collocem, forte videbor peccare in Uſſerii rationes, qui inter alia Conſtitutionibus, Baſilidis & Saturnini mentionem objicit, qui modo ſub Hadriano orti ſunt. Sed hac in re diſcedunt ab eo recentiores, & inter alios Pearſonius, qui hos Hæreticos antiquiores fuiſſe demonſtravit. Ego eos adhuc propius Chriſti temporibus admoveo quam Pearſonius, & id aliquando evictum me dare ſpero.

De ritibus pauca quæ dicam habeo. Peſſime, jam dixi, & ſine ratione rituum multorum novitas adſtruitur. Nullæ auctoritates obſtant. Ritus iſti ævo Hippolyti jam antiqui admodum erant, & pro Apoſtolicis habebantur. Hæc omnia jam

Num Conſtitutiones ritus Sæc. IV. recentiores præſcribant?

Mm

jam dixi & ea repetat Lector. Nil niſi antiquorum i. e. Sæc. II. Auctorum ſilentium opponitur. Sed quo jure, cum nullus eorum ex profeſſo, imo ne occaſione data quidem, de ritibus Eccleſiæ agat aut agere poſſit. Omnes illi ſcriptores, vel Gentilium Theologiam impugnant, vel Hæreſes capitales, ubi nulla de ritibus quæſtio. Sed ubi rara hanc in rem fragmenta occurrunt, ibi apparet Eccleſiam cærimoniis deſtitutam non fuiſſe. v. g. in unico Juſtini M. angulo, exſtat vinum in S. Cœna cum aquâ miſceri ſolitum fuiſſe, & Euchariſtiam ad ægrotos delatam fuiſſe. Hoc nemo Sæc. IV. vel V. antiquius crediſſet, ſi duæ treſve illæ voces in Juſtino defuiſſent. Hiſce adde Diſciplinam arcani, quæ antiquiſſimis temporibus præcipue circa ritus obtinebat. Tum notato paucos ritus in Conſtitutionibus præſcribi, & valde ſimplices. Ultimo: Conſtitutionum Antiquitatem rationibus affirmativis probo. Non ſufficit exceptiones negativas mihi opponere, eaſque non circa opus ipſum, ſed modo quaſdam ejus minutias.

§. 8. Loca Conſt. earum Antiquitatem probantia. De Epiſcoporum & Presbyterorum diſcrimine.

§. 8. Tranſeo itaque ad rationes intrinſecas, id eſt, præcepta quæ Conſtitutionibus continentur, & modo Sæc. II. & quidem ineunti conveniunt.

Auctoritatem Epiſcoporum antiquiſſimam eſſe nemo negat. Sed eam per varios gradus auctam eſſe inter omnes conſtat. Unde Sæc. I. & II. ineunte multo minor diſtinctio inter Epiſcopos & Presbyteros erat, quam poſtea, etiamſi non illis credatur, qui duos iſtos ordines initio pro uno habitos eſſe ſtatuunt. Jam in Conſtitutionibus rariſſima fit mentio diſtinctionis Epiſcoporum à Presbyteris, imo plerumque videntur confundi hi ordines, & modo Epiſcopi & Diaconi nominantur, Presbyteris ſub Epiſcoporum nomine manifeſto incluſis. Hoc antiquitatis remotæ indicium eſt, & modo initiis primis ſæculi II. convenit, atque adeo ante Ignatii Epiſtolas ſcriptas, quas credo primum opus eſſe, poſt Epiſcopatus majorem dignitatem introductam, ſcriptum; Unde eam Ignatius νεωτερικὴν τάξιν vocat, quod violentâ detorſione, Pearſonius aliique de juventute Epiſcopi

Epiſcopi ipſius intelligunt. Sed de his diſputandi hic locus non eſt. Non modo Presbyteri ſub Epiſcoporum nomine, in Conſtitutionibus abſorbentur, ſed & Epiſcopi ſub Presbyteris, ut vel ex ipſâ inſcriptione apparet, quæ ſic ſe habet *Apoſtoli & Presbyteri*, omiſſis Epiſcopis, quorum tamen plures adfuiſſe finguntur.

Precationes variæ quæ Libro VII. & VIII. Conſtitutionum interſperſæ ſunt, genuina ſunt pignora antiquitatis earum, ſeu ſtylum ſpectes, ſeu antiquos auctores, qui de primis Precibus & Liturgiis agunt, & ad has manifeſto reſpiciunt. Sic Hymnum Δόξα ἐν ὑψίςοις Θεῷ &c. Conſt. L. VII. Cap. XLVII. citant Athanas de Virgin. Chryſoſtomus Hom. LXVII. in Matth. & III. & IX. in Coloſſ. Cæſarius & Aurelianus in Regulis, Conc. Tolet. *IV.* Can. *XIII.* &c. & adhibet Eccleſia Græca; imo liquet ex illis auctoribus univerſam Eccleſiam recepiſſe. Sed videatur Binghamus Orig. Eccl. L. *XIII.* & *XIV.* ubi paſſim Liturgiæ antiquiſſimæ fragmenta exquiruntur, & cum Conſtitutionibus conferuntur. De Precationibus.

Quotidianos publicos Conventus indicunt Conſtitutiones, & quidem mane & veſperi. Conſt. L. *II.* Cap. *LIX.* Agnovit Coter., in not. ad h. l., id moris modo Sæc. I. & ineunte *II.* in uſu fuiſſe. Deinde mutatum eſſe, & modo Sæc. *IV.* iterum cœpiſſe. Jam cum Conſtitutiones Sæc. *IV.* antiquiores ſint, reſtat eas Sæc. *I.* vel *II.* ineunte compoſitas. Vide etiam Bingham. L. *XIII.* Cap. IX. Et ſane C. Plinii ſecundi & Juſtini aliorumque teſtimonia invicte demonſtrant, jam ſub Trajano quotidianos conventus ceſſaſſe, & die ſolis modo fideles congregatos fuiſſe, ob perſequutionem ſcilicet. De Conventibus quotidianis.

Supra, ex obſervatione Sabbathi injunctâ, Conſtitutiones ſæculo *III.* antiquiores eſſe probavi. Jam ulterius progredior. Obſervatio Sabbathi apud pleraſque Eccleſias jam ceſſavit Hadriani temporibus, ut ibi innui: E. prius ſcriptæ ſunt Conſtitutiones. Certe non Irenæus modo in Occidente ſcribens (L. De Obſervatione Sabbathi.

IV. Cap. XXX) negat Sabbathum à Chriſtianis obſervari; ſed & Triphon & Juſtinus, ſtatim poſt Hadrianum idem ſæpe inculcant, ii. ſc. quibus Eccleſiæ Orientales & Occidentales, earumque leges notiſſimæ erant. Vide Dial. cum Triph. p. 226. 235. ſqq. 240.

De Cultu Eccleſiæ. Tandem conferri, precor, cultum Eccleſiæ in adminiſtratione Baptiſmi & S. Cœnæ à Juſtino M. deſcriptum, & quæ de eodem C. Plinius habet, cum Conſtitutionibus, & omnino apparebit, idem circiter tempus ubique deſcribi, niſi quod plura in Conſtitutionibus exſtent, utpote quæ ex profeſſo totum negotium tractant, & ſingulas minutias deſcribunt.

Nonne hæc apud æquum lectorem ſufficient? Certe ſummum mihi gradum veroſimilitudini efficere videntur. Interim neſcio, num forte mihi quis objiciet hiſtoriam Simonis Magi, & Sybillinorum oraculorum citationem in Conſtitutionibus, quæ recentiorem originem habent, nam Simonis Magi hiſtoria Recognitionibus, Actis Petri, aliiſque talibus Libris inſerta fuit, & omnibus credita medio Sæc. *II.* Poterat ergo eodem ineunte jam nota eſſe. Sibyllina oracula Sæc. *II.* ineunte nota, imo citius Beveregius aliique demonſtravere. Et locus quem inde Conſtitutiones citant, de Chriſto non agit, ſed de Reſurrectione. Ea vero, quæ Chriſtum ſpectant, ſerius aliis interpolata eſſe conſtat, cum cætera etiam à Judæis ipſis, diu ante Sæc. II. potuerint ſuppoſita eſſe.

§. 9. Citantur Conſtitutiones à Clemente Alex. §. 9. Jam ad auctoritates teſtium progredior ex Sæc. *II.* deſumendas. Clemens Alexandrinus Strom. L. *VII.* Cap. Apoſtolorum dicit unam eſſe διδασκαλίαν, & unam παράδοσιν, & opponit hoc falſæ cuidam παραδόσει, qui liber erat Matthiæ ab Hæreticis tributus. Nonne ergo indicat revera aliquem librum talem ab Apoſtolis ſcriptum, vel certe iis tributum, ubi omnes idem docerent, & non in diverſas ſententias abirent?

Ab Irenæo. Irenæus, citante Auctore Quæſt. & Reſp. ad Orthodoxos inter Opp. Iuſtini M., affirmavit in libro de Paſchate conſuetudinem,

Digitized by Google

tudinem, genua die Dominicâ in Oratione non flectendi, ab Apoſtolis ortam & ab iis obſervatam fuiſſe. Unde hoc noverat? Conſtit. L. *II.* Cap. LIX. Jubetur tres precationes illâ die habendas eſſe, & quidem *Stando*, quod extra ordinem eſt. Hanc Apoſtolicam Conſuetudinem Eccleſia tota ſequebatur, & multi Patres antiqui referunt. Inter alios notato Petrum Alex. Epiſc. Sæc. IV. ineunte, qui Can. 15. (ap. Coteler. in Conſt. l. c.) de Jejunio magnæ hebdomadæ, aliisque ita loquitur, ut, ſi conferas cum Conſt. L. V. Cap. XV. &c., manifeſtum ſit ad eas reſpicere & eas verbotenus citare Petrum. Unde non mirum eum omnia hæc accepta referre mandato παραδόσεως, i. e. Conſtitutionum, quæ etiam ſic vocabantur. Ergo hic teſtis aliis Ante-Nicænis addendus. Alius memorabilis Irenæi locus eſt, fragmentum ejus, è Mſcr. Taurinenſi, editum à Cel. Pfaffio, & Opp. Hippolyti To. *II.* p. 64. inſertum, ubi de S. Cœnæ inſtitutione & cærimoniis agens, ad δευτέρας τῶν Ἀποςόλων διατάξεις remittit. Et nequis dubitet noſtras intelligi, quædam deinde addit tanquam ex iis deſumpta, Προσφέρομεν γὰρ τῷ Θεῷ &c. quæ ad verbum Conſt. L. *VIII.* Cap. *XII.* reperiuntur, & in ſpecie formula ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τὸ σῶμα τȣ̃ Χριςȣ̃, &c. Dignum eſt fragmentum quod legatur.

Ab Auctore Recognitionum.

Auctorem Recognitionum ſæculo *III.* priorem fuiſſe conſtat. Et certe vel ipſum, aut monumenta ex quibus ſua collegit, ut Acta Petri, Predicationem Petri, &c. jam *II.* ſæculo medio & labente citari videmus. Hæc & alia multa ſuadent ejus ætatem medium ſæc. *II.* præcedere. Potiſſima Recognitionum pars, & quæ maximam auctoritatem habuit, eſt Epiſtola Clementis ad Jacobum, quæ quaſi præfatio eſt. Hanc ſi legas & Conſtitutiones Apoſtolicas diligenter evolvas, invenies verbotenus fere Epiſtolam illam, ſaltem quatenus Orationem Petri ibi relatam continet, ex variis Conſtitutionum locis deſumptam eſſe. Illuſtriores parallelos locos notavit in margine Cotelerius. Non modo præcepta, ſed ipſæ adeo comparatio-

Digitized by Google

nes, licet longe petitæ, communes ſunt. Et in ipſis Clementinis Homil. *III.* cui Parallelum Recogn. L. *III.* Cap. *LXVII.* ſed brevius, ut Recognitiones plerumque multo contractiores, eadem pleraque repetuntur. Jam Conſtitutiones fontem eſſe Clementinarum, non contra, multa demonſtrant. Primo Clementinæ fuſius omnia extendunt, & ideas paucis verbis in Conſtitutionibus indicatas multis verbis amplificant. Exemplum egregium eſt in comparatione Eccleſiæ cum navi, quam in Conſt. Apoſt. L. *II.* Cap. LVII. paucis lineis relatam, repetit Pſeudo-Clemens, & ita auget §. XIV. & XV. Epiſt. ad Jacobum, ut videatur deſerere non poſſe, & ſic de aliis. Sola comparatio vel lectio attenta parallelorum, manifeſte indicat fontem in Conſtitutionibus quærendum. Secundo, manifeſte ſatis indicant Clementinæ fontem ſuum. Etenim in Ep. ad Jacob. §. *II.* coll. c. §. V. Petrus omnia illa præcepta ex Canone Eccleſiæ eſſe indicat, in quo Clementem verſatiſſimum eſſe affirmat. Et §. V. ſe jam hæc Clementem docuiſſe ait. Nempe in Conſtitutionibus, Apoſtoli & præcipue Petrus, qui primas agit, Clementi omnia præcepta dictant. Tertio, Differentia inter Epiſcopos & Presbyteros in Clementinis magis inculcatur; Imo ubi Conſtitutiones Presbyteros omiſerant, Clementinæ præceptum vel comparationem leviter mutant, ad Presbyteros intrudendos. Vide, ex. gr. comparationem navis. Quarto, Veſtigia quidem Conſtitutionum allegatarum in Recognitionibus, reperiuntur, ſed non contra, licet occaſio ſe obtuliſſet, vel ubi de Simone Mago agitur, vel ubi de libris ſacris & hiſtoricis N. T., vel ubi de libris Apoſtolis ſuppoſitis. E. non notæ erant Clementinæ Conſtitutionum auctori. Ne diutius huic negotio immorer, è quatuor his rationibus, quibus alias ſubjungere potuiſſem, concludo, Conſtitutiones Clementinis antiquiores eſſe, adeoque ad Sæc. *II.* iniens referendas.

§. 10. A Luciano. §. 10. Lucianus vel quiſquis Auctor eſt Philopatridis, quem tamen A. CXV. ſcripſiſſe docuimus in Anti-Artemonio P. I. Cap. XIV. de quodam Hymno agit, qui poſt Ora-

Digitized by Google

rationem Dominicam dici ſolebat (nempe in Cultu publico) & qui valde celebris erat. Jam Oratio Dominica ſolebat dici immediate ante Euchariſtiam, & tempore Baptiſmi. Alias, in officio publico, dictam fuiſſe non videmus ante ſequiora ſæcula. De tempore Baptiſmi hic non agi liquet, nec ullus Hymnus addebatur. Reſtat tempus Euchariſtiæ. Huic ſubjungebatur benedictio quædam, ſed non ante Sæc. VI. ut oſtendi ibidem. Et prius nihil ei addebatur niſi Hymnus Εἷς ἅγιος, ut apparet ex Conſt. Apoſt. L. VIII. Cap. XIII. coll. c. Cyrill. Hieroſ. Catech. myſt. V. §. XVII. & Chriſoſtomo aliiſque, qui revera omnium fere celeberrimus Hymnus erat, & unicus qui Orationi Dominicæ unquam adderetur. Hæc omnia iis liquent, qui in antiqua Liturgia verſati ſunt. Unde non opus eſt probationi ulteriori immorer. Hunc itaque Hymnum volebat Lucianus. Jam nullibi is reperitur ante IV. Sæc. niſi in Conſtit. L. VIII. Cap. XIII. Ergo jam A. CXV. hæc certe pars Conſtitutionum exſtabat & obſervabatur, & cur non aliæ, quæ aliis teſtimoniis comprobantur?

Circa A. CVII. Ignatius ſcribebat, hujus Epiſtolas minores nemo hodie in dubium revocat, majores omnes fere rejiciunt. Jam ſupra multa indicavi, quæ ſane viris cordatis occaſionem ſuppeditabunt accuratius id expendendi, & forte majores etiam recipiendi. Sed hæc ample alias tractari poterunt. Si liceret mihi aſſumere eas genuinas eſſe, invictas inde auctoritates pro Conſtitutionibus peterem. Sed nihil ſupponere volo, donec probatum ſit. Unde his ſepoſitis ad minores ſolum Epiſtolas provoco. In Epiſt. ad Trall. §. 3. Ignatius quaſdam exhortationes proferens ad Eccleſiam illam, negat ſe id ex auctoritate facere, ne forte, inquit, ὡς ἀπόστολος διατάσσομαι, alluſione, ni fallor, apertâ ad διαταγὰς Ἀποστόλων. Sed forte hoc non ſufficit: En ergo verba ejus §. 7. „ *Eſtote ergo indivulſi à Deo Jeſu Chriſto & ab Epiſcopo, & a* „ *Conſtitutionibus Apoſtolorum* διαταγμάτων τῶν Ἀποστόλων. *Qui* *intra*

Ab Ignatio.

„ *intra Altare eſt, purus eſt, qui extra impurus, hoc eſt, qui ſine* „ *Epiſcopo & Presbytero & Diacono aliquid facit, illius conſcientia* „ *pura non eſt.* „ Nonne illic manifeſto Conſtitutionum mentio fit. Dices forte prædicationem oralem intelligi. Quaſi Apoſtoli præcepta ſua non ſcripto tradere debuiſſent, & traditionem oralem ſemper conſtantem futuram crediddiſſent! Sed de hoc deinde. Præterea luce clarius eſt, Ignatium ad noſtras omnino Conſtitutiones reſpicere. Nam cum addit, *Qui intra Altare eſt, &c.* omnino aliquid proponit, quod in Conſtitutionibus ſuis fundatum erat, id enim refert tanquam aliquid ab illis obſervandum, qui indivulſi à Conſtitutionibus manſerint. Atqui quis non videt reſpici hic ad Conſtit. L. *II.* Cap. XXVII. " *Nemini licebat accedere ad altare ſine ſacerdote. Ita* „ *neque vos ſine Epiſcopo quicquam facite. Quod ſi quis ſine eo* „ *quicquam faciat, fruſtra laborat. &c.* Similiter in alio Ignatii loco citato §. 3. ad Trall. alludebat Ignatius ad eundem L. *II.* Conſt. qui plenus eſt mandatis de reverentia Clero debita. Quaſi diceret. " *Ego quidem vos ad hac officia erga Clerum hortor, ſed non præſumo, vobis Conſtitutiones hac de re dare, ut* „ *Apoſtoli fecere.* „ Et notandum, verba Ignatii, quibus exhortationes duas conceperat antea §. 2. & 3. fere omnia paſſim in Conſtit. reperiri. Sed en alium locum etiam valide diſertum. Ep. ad Philadelph. §. 7. ſimiles exhortationes repetit, & teſtatur ſe nullo affectu carnali, nec proprio motu hæc dicere. „ *Sed* inquit, *Spiritus dicit, abſque Epiſcopo nihil facite.* Interpretantur hunc locum de motu interno ſpiritus in Ignatio. Sed falſo, nam Ignatius vult probare ſe non à ſe loqui, ſed Divinâ auctoritate niti. Quæ vero probatio eſſet, ad ſe ipſum recurrere. Dixiſſent ei adverſarii „ *Tu affectus tuos injuſtos pro* „ *motu Spiritus Dei venditas vel habes.* „ Deinde Ignatius dixiſſet *Spiritus dicit mihi.* In genere dicere, *Spiritus ait*, eſt librum quendam ſacrum citare. Scio in majoribus Epiſtolis addi particulam *mihi.* Sed vel corruptela, vel errore ſcribarum. Nam nec minores habent, nec antiqua verſio majorum. Et

Cujus aliquis locus vindicatur.

Græ-

Græcus textus majorum, illo loco valde corruptus erat in manuſcriptis. Sed ubi Spiritus hoc dicit, *Χωρὶς τῦ Ἐπισκόπου μηδὲν ποιεῖτε*? nempe Conſt. L. II. Cap. XXVII. *ἄνευ τῦ Ἐπισκόπυ μηδὲν ποιεῖτε*. Et ſi concederem, quod falſum, Spiritum hic internum intelligi, tamen verum eſſet verba libri cujusdam ſacri, à Spiritu illo, Ignatio inculcari; Nam ulterius Ignatius Spiritui huic hæc verba tribuit. *Carnem veſtram, ut Dei templum cuſtodite. Unitatem amate. Diſſidia fugite. Imitatores eſſe Jeſu Chriſti, ſicut ipſe Patris ſui.* Quæ quoad ſenſum, è memoriâ enim citantur, partim in Conſtit. partim in N. T. reperiuntur. Ut ergo Ignatii Spiritus interne loquens ad N. T. alludit, ita etiam ad Conſtitutiones.

Quomodo ergo dubium eſſet Conſtitutiones A. CVII. antiquiores eſſe? Unum adhuc teſtimonium referendum ſupereſt. Nempe citatur in Conſtitutionibus, tanquam dictum Chriſti, *Γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται*, quod ibi propriâ auctoritate Apoſtolorum refertur, tanquam qui ipſi audiverint, non vero ex aliquo Evangelio deſumpſerint. Citant eundem locum poſtea multi antiqui, ut Sæc. II. Clementinarum Auctor, Clemens Alex. Strom. I. in fine. Sæc. III. Dionyſius Alexandr. ap. Euſeb. L. VII. Cap. 7. Origenes in Matt. XXII. 23. & 24. Sæc. IV. & V. fere omnes Patres. Cum hoc in Evangeliis non reperiatur, nullus fons indicari poteſt, unde deſumptum ſit, niſi Conſtitutionum liber. Non mirum itaque modo Chriſto, modo alicui Apoſtolo locum hunc tribui, cum omnes Apoſtoli id de Chriſto referre dicantur. Unde etiam Dionyſ. Alex. in genere Apoſtolicam vocem vocat.

§. 11. Ultra vero initium Sæc. II. progredi, multo minus ipſis Apoſtolis tribuere nihil cogit, ſed omnia potius obſtant. En itaque meum circa Conſtitutiones Syſtema. Apoſtoli omnino aliquam Diſciplinam, & aliquem ordinem in Eccleſiâ inſtituerunt. Traditioni eum confidere tutum non erat, quæ per tempus facile corrumpi, & ab Hæreticis aut Schismaticis ludibrio haberi poterat. Unde Apoſtoli ſumma fidei capita

§. 11. Ætas Conſtit. Sæc. II. Ineunte. Quomodo & unde compilatæ?

Nn ſcriptis

ſcriptis tradidere. Eſt igitur veroſimile, eos curam eandem circa Eccleſiaſticam Hierarchiam habuiſſe, & quædam ſcripta reliquiſſe, ubi ſaltem datâ occaſione de eâ agerent. Hoc etiam exigebant diſſenſiones, eorum jam tempore circa talia ortæ. Suadet etiam Clemens Rom. qui in Ep. ſuâ §. XL. ſic ait, *Peragamus itaque cuncta ordine, quæ nos Dominus peragere juſſit. Statutis nempe temporibus oblationes & officia perfici, neque temere vel inordinate fieri præcepit, ſed præfinitis temporibus & horis: ubi etiam & à quibus celebrari vult, ipſe excelſiſſima ſuâ voluntate definivit, &c.* De ſcripto agi apparet ex vocula *ubi*. Nemo procul dubio dicet Chriſtum librum hac de re ſcripſiſſe. Ergo per Apoſtolos ſacere debuit. Sine ratione nonnulli hoc de Judæorum cultu ſacro intelligunt, præcedentia obſtant, & quis credet Clementem Judæorum cærimonias Romanis obſervandas commendare? Jam hæc omnia non in libris S. ſcripturæ reperiuntur. E. in aliis Apoſtolorum ſcriptis. Cæterum vides in hoc loco Clementis, argumentum Conſtitutionum.

Itaque, Apoſtolis defunctis, probabile eſt, pios quosdam viros conatos eſſe omnia eorum dicta, facta & ſcripta colligere & poſteritati ſervare. Sic Papias, ſic tot Apocryphorum auctores. Inde ſtatim poſt A. C. centeſimum, aliquis conatus fuerit omnia colligere, quæ Apoſtoli circa mores & ritus Chriſtianorum reliquerint. Et ſane Conſtitutiones ex variis collectas eſſe tractatibus manifeſtum eſt. Sæpe caput aliquod Doxologia & concluſione terminatur, & nova materia novo ſæpe ſtylo tractata incipit. Sic L. VIII. cap. III. Tractatus aliquis deſinit, & cap. IV. novus incipit, & ita paſſim. Præ cæteris notari velim L. *VII.* capp. *I—XXI.* quæ ſeparatum tractatum conſtituunt, qui cum præcedentibus & ſequentibus non cohæret. Agunt de duabus viis hominibus propoſitis, & ſunt quaſi Judicium ea de re. Nam Cap. I. legitur φαμὲν *pronunciamus quod duæ ſunt viæ.* Cap. XI. Petrus loquitur in primâ perſonâ tanquam Auctor libri. Nonne apparet hunc eſſe librum *Duæ viæ* vel *Judicium Petri* dictum, partem Actorum Petri.

Duæ viæ, liber Petri Conſtitutionibus inſertus.

Digitized by Google

Petri omnibus antiquis citatorum. Scio Cap. *II.* Apoſtolos omnes loqui, & Petrum Coapoſtolum vocare. Verum hoc ſine dubio à Conſtitutionum compilatore additum eſt, qui omnes Apoſtolos introducit, cum antea Petrus hiſtoriam illam Cap. *II.* de ſe, in primâ perſonâ referret.

§. 12. Interim nolim idcirco omnia & ſingula, quæ in Conſtitutionibus leguntur Apoſtolis tribuere. Multa iis ſuppoſita eſſe nullo negotio credo. Et ſane illis temporibus tam ingens librorum Apocryphorum, dubiorum, &c. numerus ortus eſt, ut fieri non poſſit, Conſtitutionum compilatorem, non, ex iis quædam in opus ſuum irrepere, paſſum eſſe. Quænam vero genuina ſint, & quibusnam hoc denegari poſſit, hujus loci non eſt expendere. Sufficit tres uſus Conſtitutionum me ex iis quæ dixi colligere. §. 12. Conſtitutionum Auctoritas & uſus.

Primo, In iis factis Hiſtoricis, quæ nude referuntur, & non nexus cauſa adhibita ſunt, ajo Conſtitutiones omnes fidem mereri. Sane pro ſcripto contemporaneo habendæ ſunt, eoque magnæ auctoritatis & magno in pretio habito. Quâ ratione Auctor earum facto recentiſſimo, publico, & quod mutare ejus non intererat, aliquid falſum admiſcuiſſet, vel illud finxiſſet; Verbi cauſa, ordinationes Epiſcoporum ab Apoſtolis factæ recenſentur L. *VII.* Cap. XLVI. Nil illic ſuſpectum poteſt eſſe, quia de geſtis agitur notiſſimis, recentiſſimis & quæ fingendi nullam rationem habuiſſet compilator. Sed alia ratio eſt, de conventu v. g. omnium Apoſtolorum, qui modo ideo fictus eſt, ut iis tribuerentur Conſtitutiones, tanquam commune opus. Alia ratio iterum, de Simonis Magi hiſtoriâ, quæ potuit ficta eſſe, quia ratio aderat fingendi, prout tot alia miracula illis temporibus ficta ſunt, quia credebatur intereſſe Apoſtolorum, ut multa prodigia iis tribuerentur, & multa Hæreticis falſa affingerentur. Præterea factum hoc debuit eſſe, L. circiter annis, ante ſcriptas Conſtitutiones, & longe admodum ab Oriente, ubi illæ compoſitæ ſunt. Unde & tempus & locorum diſtantia ſufficiebat ad corrumpendam veritatem, & falſum miracu-

Digitized by Google

lum ſtatuendum, illis præcipue temporibus, quibus tot fictitia Apoſtolorum acta, fictitiis miraculis plena edebantur.

Secundo, Habemus hic Teſtimonium hiſtoricum authenticum, circa ſtatum Eccleſiæ ejusque ritus, poſt exceſſum Apoſtolorum.

Tertio, Adhibito examine Critico accuratiſſimo, poterunt ſuppoſititia à genuinis diſtingui, & ſic nobis apparebunt multa genuina Apoſtolorum monumenta.

Sed cum mei Inſtituti non ſit, uſum Conſtitutionum oſtendere, & exemplis illuſtrare, hoc ſufficere cenſeo, & aliis ulterius inveſtigandum relinquo. Agnoſcent omnino lectores, me admodum brevitati ſtuduiſſe, & fere modo ſumma argumentorum capita indicaſſe. Teſtimonia etiam omnia quæ potuiſſem allegare nec vacavit, nec ut facerem per librorum penuriam licuit. Potuiſſent ſane in magnam molem hæ vindiciæ excreſcere, & Ignatianis Pearſonii vindiciis æquales evadere. Sed ſat cordatis viris dictum eſt, qui ipſi ulterius argumenta hæc extendere, & nova quærere poterunt. Ubi otium opportunitasque erunt, vindicias Ignatii Epiſtolarum prolixiorum elaborandi, & judicio Eruditorum ſubmittendi, poterit forte adhuc Conſtitutionum mentio injici, & omnia, quæ hic fuere, fuſius excuti. Iſta dicta ſint ad experiendam Doctorum ſententiam. Ad alia tranſeo.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

De Dionyſii Pſeud-Areopagitæ Scriptis, Dionyſio Alexandrino tribuendis.

ARGUMENTUM.

Poſtulatum: Dionyſius aliquis hos libros ſcripſit. Ratio; quia ſe ſic vocat, nec pro Impoſtore haberi debet. Falſum eſt, eum ſe pro Dionyſio Areopagita venditaſſe. Cum potius ſe Apoſtolis multo recentiorem fateatur, quod ſex Indiciis probatur. §. 1. *Objectionibus reſpondetur. Dionyſius Pauli diſcipulum ſe non dicit, nec Mariæ matris Jeſu morti ſe interfuiſſe affirmat, quem locum vel ſuppoſitum vel interpolatum eſſe, multis probatur, & ſaltem ex Pachymere aliisque reſtituendum.* §. 2. *Epiſtola ad Apollophanem Dionyſio ſuppoſita ex ſtylo, & ſilentio Græcorum. Item, Epiſtola ad Polycarpum, quæ pariter ex ſtylo & aliis arguitur, & antiquioribus incognita fuiſſe, adeoque inter Dionyſii opera non extitiſſe oſtenditur. Epiſtola ad Johannem aut ſuppoſita, aut Apoſtolum non ſpectat.* §. 3. *Dionyſius noſter debuit eſſe vel Areopagita, vel Corinthius, vel Alexandrinus, ſed neuter priorum, E. Alexandrinus. Quod quatuor indiciis firmatur generalioribus.* §. 4. *Octo alia Indicia ſpecialiora, præcipue ex perſonis, quarum mentionem facit Dionyſius noſter, ut Timotheo filio, &c. Concluditur Dionyſii Pſeud-Areopagitæ opera Dionyſio Alexandrino tribuenda eſſe.* §. 5.

§. 1.

§. 1. Dionyſius aliquis horum ſcriptorum auctor.

DE Dionyſio Alexandrino Epiſcopo, cum non pauca mihi meditanti ſuccurrerint, inter cætera tanquam probabile aliquid habui, eum Auctorem eſſe ſcriptorum, quæ Dionyſio Areopagitæ falſo tribuuntur. Propoſitum mihi eſt, paucis hoc loco ſummam illam probabilitatem excutere & oſtendere. Et primo, peto mihi concedi, Dionyſium aliquem Auctorem horum librorum eſſe. Hoc poſtulatum nec abſurdum eſt, nec abſque ratione dictum. Cum omnes codices, omnes citationes Dionyſio opera hæc tribuant, omnes rationes hæ neceſſario affirmant meam ſuppoſitionem. Rationes autem negandi nullæ omnino ſunt, nam quicquid affertur, probat Dionyſium Areopagitam hæc non ſcripſiſſe, non probant nullum Dionyſium hæc ſcripſiſſe. Ergo omnia pro me faciunt, nihil contra me. Ergo jure aſſumo libros illos Dionyſio cuidam tribuendos eſſe.

Non ſe Areopagitam dixit.

Dices: Auctorem affectaſſe Dionyſii Areopagitæ nomen, adeoque veroſimile eſſe, totum hoc nomen fictitium eſſe. Sed quid ſi probaverim Auctorem illum, quem Dionyſii quidem nomen ſumpſiſſe conſtat, Areopagitæ perſonam nunquam induiſſe? Tunc ni fallor, apparebit eum Impoſtorem non eſſe. Tunc itaque nemo negare audebit Dionyſii nomen, quod fert, genuinum eſſe. Atqui prius nunc probaturus ſum.

Sed potius Apoſtolis multo poſteriorem innuit.

Primum Argumentum. Dionyſius noſter ad Apoſtolorum inſtructiones provocans, S. Scripturæ N. T. conformes, circa Trinitatem & alia, ad Traditionem provocat, quâ hæc omnia Arcano tradita acceperit. De Divin. Nom. Cap. I. §. IV. p. 379. 380. Jam ſi pro Apoſtolorum diſcipulo haberi voluiſſet, expreſſis verbis monuiſſet ſe ab iis hæc audiviſſe. Sed modo ad Traditionem recurrit, & eam quidem, quæ per diſciplinam Arcani, Apoſtolis poſteriorem, propagata fuerit. Ergo.

Se-

Digitized by Google

Secundo. Citat pag. 570., circa propoſitionem aliquam Metaphyſicam, Clementem Philoſophum. Nunquam hoc nomine ornatus fuit Clemens Romanus, nec quicquam ſcripſit, ubi hoc occurrat & occurrere potuerit. Sed Philoſophus dicebatur Clemens Alexandrinus, & ille hoc omnino dicere potuit. Ergo Alexandrinum citabat Dionyſius. Ergo nolebat Areopagita videri.

Tertio. Citat manifeſte Ignatium Cap. IV. de D. N. §. XXII. pag. 476. Et quidem ut antiqui ſolent citari, ὁ θεῖος Ἰγνάτιος &c. Ergo nolebat Ignatio anterior videri, quod feciſſet ſi Areopagita videri voluiſſet. Nam nec ætas, nec alia ferunt Areopagitam Ignatium citaſſe, ut viri Docti probarunt; Nec tam ſupinæ ignorantiæ fuiſſe Dionyſium, virum alias eruditum, credibile eſt, quam ut ita perſonæ ſuæ oblivisceretur. Ne dicam Areopagitæ auctoritatem majorem debuiſſe haberi Ignatianâ, adeoque illam iſtâ niti opus non fuiſſe. Ex confeſſo abſurdi ſunt, qui Ignatii nomen illic ab Impoſtore inſertum dicunt, & rationes Areopagitæ defenſorum nimis ridiculæ ſunt, quam ut à viris doctis & ſanæ mentis adoptari poſſint.

Quarto. Dionyſius tam timide loquitur, & tam dubie ſæpenumero, ut hoc Apoſtolorum diſcipulum fingenti non conveniat, qui quaſi inſpiratus debebat eſſe, & Apoſtolos in dubiis ſuis conſulere poterat. Vide pag. 14. 15. 60. 61. 64. 69. & infinita alia loca, & fatere hoc ſtylum hominis non eſſe, qui impudenter pro Areopagita ſe venditaverit.

Quinto. Dionyſium ſaltem IV. Sæc. medio ſcripſiſſe probavit Pearſonius. Si tunc Areopagitæ nomen ſumpſiſſet, omnino hoc aliquem rumorem in Eccleſiâ excitaſſet. Vel aliquis ſub hoc nomine eum citaſſet, vel ſuppoſitionem eam impugnaſſet. Gregorius Naz. qui tot Elogiis noſtrum mactat, certe Apoſtolici viri dignitatem addidiſſet. Attamen nemo ante Sæc. VI. eum Areopagitam vocat. Ergo hunc titulum non aſſumpſit.

Sexto.

Digitized by Google

Unde Areopagitæ ei cognomen datum.

Sexto. Facile erat appellationem Areopagitæ Sæc. VI. noſtro Dionyſio addi. Cum enim ſimpliciter Dionyſii nomen adderet, nulla additâ diſtinctione, exſcriptores aliique, qui eum tantum non divinæ auctoritatis ob ſublimem Theologiam credebant, & qui tempore vivebant fabulis & impoſturis referto, Areopagitæ nomen addiderunt, utpote quod ſibi notius eſſet, quam Corinthii vel Alexandrini. Nec retorquere hic quærat aliquis, quæ cap. I. dixi adverſus eos, qui Conſtitutiones & Ignatianas Epiſtolas interpolatas credunt. Toto cœlo hæc differunt. Nam Dionyſii ſcripta nullam manifeſtam notam ferebant, quâ tunc judicari poſſet, eum Areopagitam non eſſe. Imo quædam loca videbantur huic ſententiæ favere. Et impoſtura illa plerisque Theologis illius ævi favebat. Tandem reclamarunt hiſce falſariis doctiores tunc & acutiores viri.

§. 2. Objectionibus reſpondetur.

§. 2. Sed objici ſane poterunt nonnulla, quæ videbuntur diſerta Dionyſii teſtimonia eſſe, ſe Apoſtolorum σύγχρονον fuiſſe. Et illa jam ſolvenda erunt.

Primo. Pauli & Apoſtolorum ſeſe diſcipulum dicere videtur, præcipue p. 428. ubi Paulum & multis laudibus mactat, & *communem ſuum & magiſtri ſui Hierothei χειραγωγὸν dicit.* Sed quid cogit hoc ad litteram accipere, & ſupponere Dionyſium vel Hierotheum Paulum audiviſſe? Nonne ſenſus eſſe poteſt, doctrinam Hierothei & Dionyſii modo prolatam, Pauli dictis niti, & Paulum ipſum, ſuis nempe ſcriptis, ad ſublimes has ideas eos duxiſſe?

Secundo. Non citat auctores recentiores Apoſtolorum tempore. Reſpondeo, citat Clementem, qui Romanus eſſe non poteſt. Citat Ignatium qui, Areopagitæ & Apoſtolorum ætate, quoad ſcripta certe, recentior eſt. Quod plures non citet, ratio eſt, quia de rebus agit quæ auctoritatibus & citationibus non indigent, & de quibus dubio procul, ante eum nemo egerat. Unde ubi poteſt, occaſionem arripit citandi, etiam remotam, ut Clementem & Ignatium. Ad Conſtitutiones Apoſtolicas etiam alicubi reſpicit.

Ter-

Num Dionyſius ſe morti Mariæ interfuiſſe dicat?

Tertio, Ait ſe interfuiſſe morti Virginis Mariæ, cap. III. de D. N. §. 12. pag. 452. Reſpondeo. Locum illum ſuppoſitum atque intruſum eſſe, ordo verborum nullo negotio docet. Et quidem primo, præcedentia cum his non cohærent. Dicit Dionyſius, ſe nihil antiquum recoquere velle in hoc ſuo opere, nec in ſpecie Hierotheum exſcribere. Illic deſinit ſenſus. Et ibi infarta eſt longiſſima parentheſis laudans Hierotheum ob Hymnos ſuos. Quis nexus quæſo? *nihil attingemus ... ex Hierothei ſcriptis & ſcripturæ explicationibus. Nam inter omnes noſtros Antiſtites ... nemo melius laudes Dei canebat, &c.* Illud *nam* vel *quandoquidem* ἐπεὶ adeo abſurdum eſt, ut ſolum interpolationem demonſtret. Secundo, Liquet idem ex ſequentibus. Poſt illam parentheſin, ſequitur §. 13. medio, Dionyſii humile de ſe teſtimonium, quod quidem bene cohæret cum iis, quæ parentheſin præcedebant, minus vero cum parentheſi ipſâ. Tertio, Contra indolem eſt Dionyſii parentheſibus uti frequentibus & prolixis. Et iſthic tres quatuorve ſunt, quæ omnes bene longæ ſunt, & quarum aliæ in aliis continentur. Quarto, De hac hiſtoria ne verbulum reperias in Suida & Methodio, qui olim Dionyſii vitam collegere. Quinto, Georgius Pachymeres, qui paraphraſin Dionyſii fecit, & omnes ejus voces retulit, & extendit, ad hunc locum verba illa omittit, *præſente Jacobo fratre Domini & Petro, Theologorum principibus & ducibus*, quæ tamen præcipua ſunt, & ſola manifeſto indicant Dionyſium de Apoſtolorum tempore ſcribere. Unde liquet Pachymerem hæc non legiſſe, & corruptelam paucis factam fuiſſe. Quod ſi hæ rationes non ſatisfaciant, certe voces illæ Jacobi & Petri intruſæ ſunto, ut quas Pachymeres non habeat. Si illæ tollantur, de quovis ſancto funere verba Dionyſii intelligi poterunt, & ſic legerint Suidas & Methodius, atque de Mariâ illic agi non conjecerint. Poſtea vero, cum Mariæ ibi mentio fieri crederetur, traditione vel fabulâ hanc in rem ortâ, tunc inſerta ſunt Apoſtolorum nomina.

Digitized by Google

§. 3 Epiſtola ad Apollophanem Dionyſio ſuppoſita.

§. 3. Sed quarto, Quid, inquies, de Epiſtolis ad Polycarpum & Apollophanem ſtatuendum? Ibi diſerte Dionyſius ſe pro Areopagita venditat, & ſe in Ægypto fuiſſe dicit, cum Chriſtus moreretur.

Ut huic argumento ſatisfiat, ſeparare oportet duarum harum Epiſtolarum examen. Et quidem Epiſtolam ad Apollophanem ſtatim removeo, ut ſubleſtæ fidei. Nam jam multi νοθείας eam incuſarunt. Et ſane apparet eam male ex Epiſtolâ ad Polycarpum effictam eſſe, quam deinde etiam convellemus. Deinde Græce non exſtat, ſed ſolum ex verſione Hilduini, qui parvæ vel nullius auctoritatis eſt. Nec ſtylum Græcum ſapit, quod judicio eorum relinquo, qui eam legerint; manifeſtum id enim eſt, licet contrarium ſomniet Halloixius, præfractæ cervicis homo. Nec ullus Græcorum, licet fabulis maxime deditorum, iisque Dionyſii geſta ornantium, ejus mentionem facit, vel plures 10. Epiſtolas numerat, quamvis ab iis alia omnia Dionyſii ſcripta acceperimus. Stylus Epiſtolæ à Dionyſiano ita remotus eſt, ut magis eſſe non poſſit. Et hoc facile viſu eſt. Nam ſtylus Epiſtolæ ſimplex eſt, & qualis adhiberi ſolet vulgo. Sed Dionyſii ſtylus ita ſublimis, ita ſesquipedalibus vocibus plenus, ut non poſſit non à primâ lineâ in ſcriptis ejus agnoſci. In ipſis breviſſimis Epiſtolis ad Cajum, Soſipatrum, ubi etiam de rebus ſimpliciſſimis agit, tam altum, intricatum loquendi modum ſequitur, ut ex confeſſo, omnes alios intricatiſſimos Auctores, hâc in re, multis paraſangis antecedat.

Item, Epiſtola ad Polycarpum.

Poſtremo, corruente Epiſtolâ ad Polycarpum, & Ep. ad Apollophanem corruet. Nunc itaque illam & totam unà Hiſtoriam de Eclipſi Dionyſianâ evertere oportet. Et primum mihi argumentum iterum ſuppeditabit ſtylus, qui in Ep. ad Polycarpum Dionyſiano mirum in modum ſimplicior eſt. In ſpecie notari velim in totâ Epiſtolâ, quæ 4. columnas continet, vix tres voces compoſitas rariores occurrere, & unam quidem modo ex voculâ ὑπὲρ compoſitam (ὑπερφυῶς.) Cum in epiſtola

ſtola, verbi gratiâ ad Cajum, quæ dimidiam columnam occupat, quinque compoſita ex ὑπὲρ occurrant & ipſa vox ὑπὲρ adhuc quater ſola. Et ſic porro in aliis ſcriptis. Secundo, Dionyſius in ſcriptis, ſe Metaphyſicum ſubtiliſſimum exhibet. Non ergo debebat Matheſeos ignarus eſſe. Imo in Ep. ad Polyc. & Ep. ad Apolloph. ſe Aſtronomiæ peritum fingit. Potuiſſetne ergo tam ridiculam comminiſci fabellam, qualem de illâ Eclipſi narrat? Potuiſſetne credere Lunæ diſcum, Eclipſin Solis totalem, univerſalem, efficere poſſe, & quæ cætera abſurda ſunt? Tertio, Non eſt veroſimile Apollophanem teſtem oculatum fictitiæ illius Eclipſeos, & qui miraculum agnoverit, tam pervicacem tamen fuiſſe, & adeo amaris & convitiis & ludibriis, Chriſtianos exagitaſſe. Quarto, Traditiones adeo diverſæ ſunt circa hanc Hiſtoriam, ut manifeſtum ſit, initio nullum opus ipſius Dionyſii extitiſſe, ubi narraretur. In Ep. ad Polycarpum dicitur, miraculo viſo, Apollophanem attonitum exclamaſſe, *Hæ ſunt viciſſitudines Divinarum rerum!* & Dionyſium ipſum nondum Eclipſeos rationem intellexiſſe. Sed Syncellus & Suidas dicunt ex traditione, eum dixiſſe. *Deus ignotus in carne patitur, &c.* Alii ei hæc verba tribuunt, *aut Divina natura patitur, aut cum patiente patitur.* Si ſemper Dionyſii ipſius teſtimonium adfuiſſet, an variæ hæ circumſtantiæ affictæ fuiſſent. Quinto, Altum eſt de hâc hiſtoriâ & Epiſtolâ ſilentium in Metaphraſte, Methodio & Menæis, ubi alias nulla vel leviſſima res omittitur. Quinto, Suidæ Lexicon à multis compilatum eſſe conſtat. Apparet antiquioris compilatoris tempore, Epiſtolam illam nondum extitiſſe, & Hiſtoriam demum tanquam parum certam narrari cœpiſſe, ſic enim ille narratâ pauciſſimis verbis Hiſtoriâ, *tum Appollophanes Dionyſio dixiſſe fertur* (λέγεται), *Hæ ſunt viciſſitudines, &c.* Si tum extitiſſet Dionyſii Epiſtola, provocaſſetne auctor ille ad rumorem incertum? Poſtea ex alio Auctore ſequitur in Suidâ ipſa Dionyſii narratio, quæ male cum illo λέγεται cohæret, & manifeſto ab aliâ manu proficiſcitur.

De Epiſtolâ ad Johannem.

Cum itaque impoſtura in Epiſtolarum harum ſuppoſitione aperta ſit, nihil amplius eſt quod objici mihi poſſit, niſi Epiſtola ad Johannem Apoſtolum. Hanc ſuppoſitam non urgebo, licet ſtylus non admodum Dionyſianus ſit. Sed quis ad Johannem Apoſtolum pertinere oſtendet? Nihil in ipſis Litteris exſtat, quod non ad quemvis alium Johannem ſpectare poſſit, aut etiam aliquem alio nomine vocatum. Inſcriptionem non moror, quæ, ut aliæ Inſcriptiones eſſe ſolent, parvæ fidei eſt, & procul dubio loco illo Epiſtolæ, qui de Patmo agit, nititur.

Dixi de ſtylo Dionyſii intricato. Addi poteſt hoc, quod ſc. in omnibus ejus operibus, licet admodum brevibus, 230. vel 240. diverſa compoſita rariora à ſola littera *α* incipientia occurrant, quorum fere omnia in aliis ſcriptoribus non leguntur. Unde apparet quantum ab ejus ingenio diſtent Epiſtolæ ad Apollophanem, Polycarpum, imo & Johannem.

Argumentis meis §. 1. expoſitis, hoc adhuc adjiciendum, quod nempe Dionyſius ſæpe Theologos in genere citet, ab Apoſtolis diverſos, qui omnino ſcriptores Eccleſiaſtici eſſe debent, Apoſtolis poſteriores, nemo enim ex primis Diſcipulis Sæc. I. de talibus ſcripſit. Vide inter alia exempla cap. I. de E. H. §. 4. pag. 201.

§. 4. Dionyſius noſter eſt Alexandrinus. Id quatuor indiciis adhuc firmatur.

§. 4. Non itaque ſe Areopagitam finxit Dionyſius noſter, ſed ſimpliciter Dionyſii nomen ſumpſit. Non ergo Impoſtor fuit. Adeoque non eſt dubitandum eum revera Dionyſii nomen geſſiſſe. Quod eſt prima mea propoſitio.

Dionyſius jam VI. imo V. imo & IV. Sæc. citatur, ut oſtendit Pearſonius. Ergo prior eſt. Quod eſt altera mea Theſis.

Totis primis ſæculis IV. imo VI. & ultra, alii Dionyſii non fuerunt, vel eruditione vel alio nomine noti, præter Areopagitam, Corinthium & Alexandrinum. Noſter vero Eruditus erat, ut ex ſcriptis apparet magni nominis, Ergo non debuit ignotus eſſe, vel in Hiſtoriâ ſileri. Ergo debet aliquis

Digitized by Google

quis ex tribus illis eſſe. Quod eſt tertium.

Sed non eſt Areopagita, quod ab aliis ad oculum demonſtratum, hic recoquere abſurdum eſſet. Neque eſt Corinthius, tum quod Corinthius, præter quasdam Epiſtolas veteribus recenſitas, nihil ſcripſiſſe memoretur, cum tamen omnia ejus ſcripta recenſeantur; tum quod Clementem Alex. citet, ut vidimus; tum ob multas alias rationes quas judicio lectoris relinquimus, cum nemo in hanc ſententiam lapſurus ſit. Ergo eſt Alexandrinus, quod eſt quarta mea & ultima propoſitio.

Mihi videtur Theſis hæc adeo comprobata eſſe, ut jure nullo negari poſſit. Sed ſi forte pluribus indiciis res adhuc confirmanda ſit, id nullo negotio fiet.

Primo, uterque Philoſophiæ ſtudioſiſſimus fuit. Dionyſius Pſeud-Areopagita Philoſophum Metaphyſicumque ſubtiliſſimum agit. Alexandrinus in opere de naturâ, cujus fragmenta Euſebius habet, multis ex Philoſophiâ argumentis Epicurum aliosque aggreditur, Philoſophum vocat Euſeb. Præp. Ev. L. XIV. Cap. XXII.

Secundo, uterque obſcurus eſt & intricatus, ut non bene mens eorum intelligi poſſit, atque uterque magno impetu abripitur. Hoc Alexandrinus, præcipue in operibus de Trinitate, commiſit.

Tertio, uterque erat Epiſcopus. De Alexandrino liquet, de alio omnia ſuadent, nec dubitabit qui ejus epiſtolas, præfationes & libros de H. E. legerit.

Quarto, uterque de Trinitate agens voce *ὁμουσίῳ* non utitur & eam improbare videtur. Ubi notandum, non obſtare meæ ſententiæ, quod Dionyſius Alex. Arianus viſus fuerit, alter autem potius Sabellianiſmo videatur favere. Nam Dionyſius Alexandrinus parum conſtans viſus fuit, in ſuâ hâc de re ſententiâ.

§. 5. Quinto, Dionyſius Alexandrinus opera quædam ſua dicavit Τιμοθέῳ παιδὶ *Timotheo* non *puero* ſed *filio*, nam eum in §. 5. Et iterum octo aliis.

Ep. ad Germanum (Euſeb. H. E. L. VI. cap. XL.) Epiſcopum vel Presbyterum fuiſſe indicat. Vid. Euſebium paſſim. Jam alter Dionyſius etiam ſcripta ſua omnia Τιμοθέῳ nuncupat, quem παῖδα paſſim p. 22. 106. 244. 362. 451. 452. vocat, πρεσβύτερον i. e. ut ego opinor, non proprie Presbyterum, ſed Epiſcopum, in inſcriptionibus ubique. Virum gravem & eruditum fuiſſe indicat, dum Judicio ejus ſubmittit ſcripta. Sed & alium Timotheum Alex. clarum fuiſſe, eadem Ep. ad Germanum oſtendit. Quis ergo dubitabit unum Dionyſium & unum Timotheum, ex his Dionyſiis & Timotheis prodire? Cæterum quæri poſſet num Timotheus ille, vere & ſecundum carnem, *filius* fuerit Dionyſii. Id omnino credo, & certe per ætatem poterat Dionyſius filium habere Epiſcopum vel Presbyterum.

Sexto, Dionyſius Areopagita aliquot Epiſtolas amico cuidam ſcribit, nempe Cajo Therapeutæ. In Ep. ad Germanum, Dionyſius Alex. etiam de quodam Cajo viro ſancto, & amico ſuo loquitur.

Septimo, Areopagita parcus citator, Clementem Alexandrinum ſolum, præter Ignatium, citat; Indicio ſe ipſum Alexandrinum eſſe, & in eo loco ſcribere ubi Clemens notiſſimus eſſet. Alias ea citatione carere potuiſſet.

Octavo, Cum Dionyſius neminem Clemente poſteriorem citet, Indicio eſt eum medio III. ſæculo floruiſſe, adeoque Dionyſii Alexandrini tempore.

Nono, Idem probant ritus in libris de E. H. deſcripti, qui III. ſæculo optime conveniunt, & ob ſimplicitatem debent IV. ſæculo priores eſſe, quo multa alia addita eſſe conſtat.

Decimo, Liquet etiam ex nonnullis Doctrinis, ut circa S. Cœnam, Symbolum corporis & ſanguinis Chriſti, cum IV. ſæculo doctrina Tranſubſtantionis jam proponatur.

Undecimo, Libri Dionyſii noſtri duplici modo conſiderari poſſunt. Vel ut Epiſtolæ ſeparatæ ad Timotheum, breves enim

Digitized by Google

enim ſunt, quibus varias eruditas diſſertationes comprehendebat Dionyſius, & hoc modo Alexandrino conveniunt optime, qui multas Epiſtolas ſcripſit, omnes plerumque eruditas, ut Euſebius teſtatur. Vel habebuntur pro unico opere in aliquot libellos diviſo, ob nexum continuum, quod opus ſyſtema Theologicum continuerit, cujus multæ, forte pleræque partes interciderint, unde earum nonnullas citat ipſe Dionyſius: Et tunc iterum Alexandrino convenient, qui, teſte Euſebio, ad Timotheum ſuum aliquot libros de naturâ ſcripſit, quos ſyſtema Theologicum & Philoſophicum fuiſſe, ex titulo & fragmentis conjicio. Primam ſententiam tamen mihi magis arridere fateor.

Duodecimo, Stylus omnino convenit, ſi materiarum ratio habeatur. Alexandrinus, in fragmento Phyſico ex libris de naturâ ap. Euſeb. Præp. Ev. L. XIV. Cap. XXIII. ſq. cum pro re tractatâ ſtylo humili uti deberet, intricato admodum & obſcuro, atque compoſitis ampullatisque vocibus pleno utitur. Quid ergo egerit, intimos Myſticæ Theologiæ receſſus penetrans, & res per ſe obſcuriſſimas imo inintelligibiles tractans?

Hæcce duodecim indicia leviter indicare, & lectoris ingenio ponderanda relinquere, cenſui. Neſcio num in omnibus eandem ac in me perſuaſionem excitabunt. Mihi certe ſupra omnem probabilitatem videtur, Dionyſium Alexandrinum eorum ſcriptorum auctorem eſſe, quæ ſub Areopagitæ nomine venditata ſunt.

§. 6. Hæc quum ſcripſiſſem, pervenit in manus meas liber aliquis viri ſummi D. de la Croze, de Hiſtoriâ Chriſtianorum Æthiopum Armenorumque, in quo multa nova ſolidaque collegit Vir perſpicaciſſimus, & Eruditione ſtupendâ omnium hodie facile primus. In ejus operis libro I. aſſeruit venerandus Auctor, Dionyſii Areopagitæ ſcripta ineunte ſæculo IV. ſuppoſita eſſe, ex conſilio Theophili Alexandrini ſucceſſorisque Cyrilli, operâ Syneſii Ptolemaidenſis. Argumento eſt, ſcripta

Digitized by Google

ſcripta illa Synouſiasmum ſapere, & ab Hæreticis pro eo allegata eſſe, ea V. demum ſæculo citata eſſe à nonnullis, id Theophili, Cyrilli Syneſiique ingenio maxime convenire, nec alium eſſe, qui ea ſupponere potuerit. Quæ tamen breviter admodum Vir ſummus perſtringit, & tantum fere indicat. Et utinam fuſius tractaſſet, nec hæc aliaque multa, quæ elaboravit, Reip. Litterariæ invideret! Quorum nulla pagina ſane erit, ubi non & doctiſſimi aliquid diſcant. Interim de ſententia viri Eruditiſſimi, judicium penes Lectorem eſto. Conjecturæ ſunt, quas hâc Diſſertatione propono, quæ forſitan omnibus non placebunt, interim vel ideo quia nil niſi conjecturæ ſunt, ſupprimendas non duxi. Ubi enim nihil certi datur, omnibus divinare licet. Hoc ſaltem moneo, Synouſiasmi ſuſpecta quidem fuiſſe opera hæc Dionyſiana, mihi autem videri, alia principia iis contineri, magis adhuc à vulgaribus aliena, circa utramque Chriſti naturam, quæ nunc exponere non vacat. Quæ omnia tamen è peculiari Auctoris Theologiâ Myſticâ oriri mihi videntur.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

De Annis Agrippæ Junioris, Magni f. & Epochâ peculiari in nummis à morte ejus deductâ.

ARGUMENTUM.

Agrippa poſt Veſpaſianum mortuus. §. 1. *Syncelli error. Opus Scaligeri Eruditos hactenus fallens.* §. 2. *Agrippa non obiit poſt Domitianum, & A. XCII.* §. 3. *Nec ante id tempus circiter, ſed A. XCI. exacte.* §. 4. *Ejus ditiones indicantur.* §. 5. *Oſtenditur, Epocham à morte ejus deductam eſſe à Capitolenſibus, & Dioſpolitanis.* §. 6. *Nec non à Philadelphenſibus atque Chalcidenſibus,* §. 7. *Subjungitur Tabula Chronologica annorum Agrippæ.*

§. 1.

§. 1. Agrippa poſt Veſpaſianum mortuus.

Licet prorſus aliena à propoſito meo videatur quæſtio, quam hic tractandam mihi propono, non tamen ideo ſtatim condemnandus ſum. Adegit etenim me ad eam expendendam cum Pearſonio Dodwellus. Conſtitui horum opus de ſucceſſione præ cæteris accurate ſequi, & nullam quæſtionem intactam prætermittere, cujus illi mentionem feciſſent. Jam quum vulgo credatur Agrippam ad initia Trajani vixiſſe, & voluerint citati Eruditi, errores Chronologorum circa id tempus, numeroſos admodum, expendere & detegere, occaſione à morte Clementis Romani deſumptâ, quam vulgo eodem referunt, opus eſſe cenſuerunt, Agrippæ mortem ad aliud tempus transferre, & quidem ad Veſpaſiani Imperium. Quod quum falſiſſimum & prorſus ridiculum ſit, huic materiæ incubui, & verum mortis Agrippæ annum tot Characteribus demonſtrare conſtitui, ut de eo dubium amplius eſſe non poſſit. Ne ta-

Digitized by Google

men nimium digredi viderer, Diſquiſitionem hanc ad finem operis transferendam eſſe cenſui.

Agrippam ſub Veſpaſiano mortuum eſſe, adeo abſurdum eſt, ut refutatione omnino non indigeat. Nam nummis quam maniſeſtiſſime oppoſitum eſt, quorum plures infra exhibebo, in præſentiâ unum modo citaturus.

IM. CA. D. VES. F. DOM. AV. GER. COS. XII.

.)(. ΕΠΙΒΑ. ΑΓΡΙ. ΕΤ. Κϛ. S.C. Ap. Harduin. Opp. Sel. p. 333. In vivis igitur erat adhuc Agrippa cum Domitianus Coſ. XII. eſſet, hoc eſt A. LXXXVI., ſeptem à morte Veſpaſiani annis elapſis.

Induxit nimirum in errorem Pearſonium Dodwellumque Syncellus, qui Catalogum Regum Herodiadum texens, iis annos C. in univerſum tribuit, eorumque, ultimo Agrippæ noſtro in ſpecie, XXIII. Quem numerum recte ſe habere ſumma C. annorum docet. At facile docebo & Syncellum ſe ipſo judice errare, & quis ſit fons erroris ejus.

§. 2. Syncelli error. Opus Scaligeri Eruditos hactenus fallens.

§. 2. Syncellum errare maniſeſtiſſimum eſſe ajo, ex ſe ipſo; Nam paulo ante, dum Claudii res perſequeretur, Agrippæ huic tribuit annos XXVI. Utrumvis ſequaris, falſo oppido. Agrippa poſt mortem Patris ſui, qui anno 3. aut 4. Claudii, Chriſti XLIV. vel XLV. moriebatur, non ſtatim Patri ſuccedebat, nec Regnum obtinebat. Sed quatuor poſtea annis regnum Chalcidenſe ipſi datum eſt. Joſ. XIX. 7. XX. 3. Syncellus igitur dupliciter numerat, primo, à morte Patris, à quâ annos XXVI. Agrippæ tribuit, Euſebium ſequutus; ſecundo, à quo Agrippa regnum obtinuit, quod quum IVto. poſt anno contigerit, ſequitur eum hoc reſpectu ad XXIIIum. annum perveniſſe. Anni autem hi omnes in annum LXX. deſinunt, qui eſt XXVI. à morte Agrippæ ſenioris. Et ſane Euſebius, aliique Chronologi eum ſequuti, quos inter eſt ſemper Syncellus, ita numerant. Euſebius enim ad eum A. LXX. quem XXVI. Agrippæ vocat, verba hæc notat, *Regnum Judæorum*

Digitized by Google

daorum deſicit. Scilicet eo anno Templum incenſum & Judæi à Tito deſtructi. Apparet igitur jam origo erroris Syncelliani. Euſebius nimirum excidio gentis Judaicæ finem regni Agrippæ alligavit, non quod is poſtea non vixerit regnaveritve, ſed quod Romanis ſerviret, & Judæorum Regnum, proprie ſic dictum, cum gente defeciſſet. Agrippa quam maxime Ethnicis imperabat, & Romanorum ſervus erat &c. Agrippam vero poſt A. LXX. vixiſſe Euſebius non ignorabat, cum Joſephus id apertiſſime ſcribat.

Alium adhuc auctorem opponi mihi poſſe video, cujus paucis mentio facienda, & auctoritas, quæ pleroſque hactenus feſellit detegenda. Edidit Scaliger, cum Euſebio ſuo, plura alia Chronologica opuſcula, omnia ſub Titulo Theſauri temporum complexus. Quæ inter, ad finem Græcorum operum pag. 317. Editionis primæ, legitur Titulus ΙΣΤΟΡΙΩΝ ΣΥΝΑΓΩΓΗ. ΟΛΥΜΠΙΑΔΩΝ ΑΝΑΓΡΑΦΗ. Titulum ſequitur Olympiadum CCXLIX. recenſio, uſque ad A. CCCXLVII. in quâ etiam Hiſtoriæ memorabiliores ſuis locis attexuntur,, extenditurque uſque ad p. 354. Poſtea apparent Catalogi Regum, Dynaſtarum &c. antiquorum, cum ſuccinctâ rerum ab iis geſtarum narratione. Jam in Olympiadum quidem catalogo p. 345. mors Agrippæ refertur ad A. III. Trajani. In recenſione vero Regum Judæorum p. 386. A. XXVII. ei aſſignantur, ex Euſebii ſyſtemate. Utrumque falſum, primum nempe è loco Juſti erroneo apud Photium, de quo deinde, alterum ex Euſebio deſumptum; Adeoque nullius ponderis totum. At ideo mentionem feci hujus opuſculi Scaligeriani, quod videam viros Eruditos fœde ab eo deceptos eſſe. Nam Pagius, Cuperus, aliique plurimi, ſæpe Græca hæc tanquam Auctoris antiqui opus citant. Imo aliquis, Auctorem hunc Conſtantino M. imperante vixiſſe, ſuppoſuit, quod ibi catalogus Imperatorum deſinat, & Beyerus Petropolitanus in Præf. ad Muſeum Sinicum, Olympiadum recenſionem audacter Phlegonti tribuit, non ſine gaudio maximo, quod opus pro deper-

dito habitum feliciter reſtituerit, ſi non integrum, ejus certe compendium. Sed noli errare mi Lector. Nec Phlegontis exoptatum opus hoc eſt, nec cujusvis antiqui. Et ſi non piguiſſet tot Eruditos, inſpicere quid ipſe Scaliger de hoc opere dicat, ſane non adeo ridiculum errorem commiſiſſent. In Indice contentorum voluminis Scaligerani, ſtatim ante Præfationem, exſtante, ſic opus iſtud deſcribitur, *Collectanea Hiſtoriarum, partim ex iis ſcriptoribus, qui nondum editi ſunt, partim ex iis qui editi.* Apertius autem multo Scaliger in fine notarum, p. 168. *Attexuimus ... poſtremo* Συναγωγὴν ἱστορικὴν A' NOBIS, *partim ex editis, partim ex nondum editis ſcriptoribus collectam, quæ non ſolum ad Euſebium, ſed etiam ad memoriam veteris hiſtoriæ illuſtrandam magno præſidio erit, ſi quis neque negligenter eam legere, neque NOSTROS labores maligne interpretari velit.* Viden' Scaligeri opus hoc eſſe, variis ex auctoribus, centonis inſtar, collectum, & cujus nullum pondus eſt, cum nec Auctores ſingulorum fragmentorum indicentur, nec magno delectu hæc collectio inſtituta ſit. Sane non difficile erat id agnoſcere, cum verbotenus exſcripta ſint longiſſima fragmenta ex Euſebio aliiſque, quæ mirum non obſervata eſſe, & Scaligeri fœtum, tot viris præſtantiſſimis, imponere potuiſſe. Caveant igitur ſibi in poſterum cuncti, ne in parem ludicrum errorem incidant.

§. 3. Agrippa non mortuus poſt Domitianum & annum XCII.

§. 3. Quo autem tempore Agrippa mortuus ſit, nempe ſub Domitiano, facillime demonſtrabitur.

Primo, quando Joſephus Antiquitates Judaicas ſcripſit ſc. A. XIII. Domitiani, ut ipſe teſtatur L. XX. Cap. ult. jam defunctus erat Agrippa, quemadmodum ex iſto Joſephi loco ſequitur Ant. XVII. Cap. II. *Cæterum Agrippa magnus, & filius ei cognominis, eos etiam valde attriverunt, tamen libertatem eis adimere noluerunt. A quibus Romani cum accepiſſent principatum &c.* De Zamaritis agitur Bathanææ incolis, qui ditionis Agrippæ erant, quosque moriens cum cæteris ſubditis Romanis reliquit. Igitur obierat Agrippa, quum hæc Joſephus ſcriberet. Et quidem jam ab aliquo tempore obierat, ita ut jam quererentur

Bathanæi

Digitized by Google

Bathanæi de Romanorum dominatione. Scribebat hæc Joſephus A. XCIII. labente, vel XCIV. ineunte, qui eſt Domitiani XIII.

Secundo, eodem cum Antiquitatibus tempore, ſcripſit vitam ſuam Joſephus, quæ cum ipſis connectitur, & quæ per ſe etiam indicium ſuppeditat anni, quo exarata fuit. Nam dicata eſt Epaphrodito, non aliquo Trajani liberto, ut quidam fingunt, ſed ut ex Præf. Ant. §. 2. coll. c. Ant. XX. ult. patet, qui Neronis libertus erat, & à Domitiano interfectus eſt A. XCV. C. Valente & C. Antiſtio Coſſ. ut diſerte notat Dio, imo jam antea relegatus fuerat. Relegato autem dedicaſſe opus ſuum Joſephus non videtur, favorem enim Domitiani captabat, & tamen in hoc libro Epaphroditum κράτιςον ἀνδρῶν vocat. Igitur circa A. XCIV. ſcripta hæc vita, claudendis Antiquitatibus deſtinata. Deinde in hac vita teſtatur Joſephus Agrippam mortuum eſſe, vide Cap. LXV. ubi in Juſtum invehitur. Igitur Agrippa ante A. XCIV. mortuus erat.

Tertio, Juſtus Tiberienſis Hiſtoriam ſuam ſcripſit, mortuo Rege Agrippa, ut præter Photium Cod. XXXIII. p. 8. teſtatur Joſephus de vitâ ſuâ cap. 65. Scripſerat autem Juſtus hiſtoriam ſuam anteaquem Joſephus vitam ſuam ſcriberet, citatur enim ibi. Joſephum A. XCIV. ſcripſiſſe vidimus. Non igitur poſt A. XCIII. ſcripſit Juſtus, nec poſt A. XCII. obiit Agrippa.

Quarto, nummos frequentes ſatis habemus Regis Agrippæ. Quorum tamen poſtremus ad A. LXXXIX. pertinet, quem cum aliis deinde referam. Recte igitur ſtatuitur à me Agrippam paucis poſt annis obiiſſe; Non probabile vero eſt eum uſque ad Trajanum vixiſſe, nec tamen reliquis Domitiani annis vel ſub Nervâ, & initio Trajani eum nummos cudiſſe.

§. 4. Non igitur poſt A. XCII. obiit Agrippa, ſed nec ante.

§. 4. Nec ante Domitianum & A. XCII. circiter.

Diu Agrippam ſub Veſpaſiano vixiſſe, primò patet ex Joſepho de vitâ ſuâ Cap. LXV., ubi refert Agrippam LXII.

Pp 3 Epi-

Epiſtolis libros ſuos de Bello Judaico approbaſſe. Libri autem illi, aliquot annis poſt excidium Hieroſolymorum, ſcripti ſunt, ut ex eo patet, quod hiſtoriam ſaltem ad annum uſque LXXIV. perſequantur. Epiſtolæ vero illæ LXII. non certe unius anni, nec duorum ſpatio ſcriptæ ſunt. Ibidem quoque refert Joſephus Juſtum à Veſpaſiano capitis damnatum, ab Agrippâ liberatum. ab eodem bis in vincula conjectum, & ſæpe in exilium miſſum, deinde officio honoratum, poſtea iterum pulſum. Quæ omnia plures annos exigunt.

Secundo, Nummos Agrippæ uſque ad A. LXXXIX. ſuppetere, jam ſæpe monui & deinde apparebit; Poſt eum annum ergo mortuus eſt Agrippa.

Tertio, Juſtus Tiberienſis mortem Regis Agrippæ expectavit, priuſquam ederet Hiſtoriam ſuam. Eam autem circa A. XCIII. edidit. Nam Joſephus A. XCIV. ſcribens, eam *nunc* editam aſſerit νῦν δ' ὅτε ἐκεῖνοι &c. De vitâ ſuâ cap. 65. p. 33. Erga Argippa paulo ante mortuus erat. Quod etiam verba illa Joſephi probant. Nam *nunc*, dicit, *mortuis illis* (Agrippa nempe poſt Veſpaſianum, utrumque) *opus tuum edere ſuſtinuiſti*. Recenter igitur mortuus erat Agrippa.

Quarto, ſuppreſſerat Juſtus Hiſtoriam ſuam annis XX., ut ibidem aſſerit Joſephus. At Hiſtoria illa ſcripta erat poſt excidium gentis Judaicæ, non ante A. LXXI. nec confeſtim abſolvi potuit, ſed forte A. LXXII. Inde ſi XX. annos numeres, invenies eam uſque ad A. XCII. ſuppreſſam eſſe. Tunc vero mortuo Agrippa tandem prodiiſſe.

Quinto, hinc facillime apparet, quod tandem remedium adhibendum ſit Photio, ubi Juſti Hiſtoriam recenſet Cod. 33. & Juſtum in morte Regis Agrippæ deſinere ait, quæ ſub Trajano contigerit; Dixerat Photius, Agrippam ſub Claudio regno admotum, ſub Nerone creviſſe, magis autem ſub Veſpaſiano, mortuum vero eſſe ſub Trajano. Unde ſaltus iſte à Veſpaſiano ad Trajanum? Attamen pro Trajano Domitianum legere durum admodum eſt. Dodwellus Τραϊανῦ emendabat & τῦ αὐτῦ ſub-

ſubſtituebat, ad Veſpaſianum referens, cujus mentio immediate præceſſerat. At Agrippam ſub Veſpaſiano mortuum non eſſe probatum eſt. Quid ergo de hoc loco ſtatuendum? Vidimus Juſtum ſcripſiſſe procul omni dubio circa A. XCII. Agrippam verſus eundem annum mortuum eſſe, Juſtum ad Agrippæ mortem uſque, id eſt, tempus ferme, quo ſcribebat, hiſtoriam produxiſſe. Ex iſtis concludo recte in Photio legi Agrippam mortuum eſſe ſub Trajano, non ſane Imperatore, ſed Conſule. Fuit autem Trajanus Conſul anno XCI. Et hoc anno ſtatuendum eſt obiiſſe Agrippam, & deſiiſſe Hiſtoriam Juſti. Quod optime cum notis antea relatis cohæret.

§. 5. Quum hæc ſcriberem, novamque notam annorum Agrippæ quærerem, cogitare ſubiit, annon in nummis veſtigia quædam reperirentur mortis Agrippæ. Nempe Agrippa poſt mortem reliquit Regnum ſuum Populo Romano, ut è Joſepho Ant. XVII. Cap. II. liquet. Ubi autem Urbes Genteſve in Romanam ditionem redigebantur, & Provinciæ nomen obtinebant, ſolebat in novis illis Provinciis Epocha inſtitui, fidei erga Romanos indicium monumentumque. Inde æra Pompejana in Oriente celeberrima, aliæque multæ: Sic ne ab Agrippæ tempore Regnoque longe diſcedam, Veſpaſianus Commagenam, Ciliciamque Tracheam Provincias Romanas fecit, ut præter alios auctor eſt Euſeb. Num. MMLXXXIX. Inde vero, ab anno ſc. LXXI. numerabant annos ſuos Commageni & Samoſatenſes, Vid. Chron. Alex. ad annum Veſpaſiani III. Mihi videbatur ergo debere ſimilem Epocham inſtitutam eſſe ab Urbibus, certe nonnullis, ditionis Agrippæ, ubi in Romanorum poteſtatem tranſiiſſent. Quo autem certius de eâ re inquirere poſſem, expendi ſtatim quæ fuerit ditio Agrippæ. §. 5. Ditio Agrippæ quæ fuerit?

Agrippa primum omnium accepit regnum Chalcidis. Joſ. Ant. XX. 3. de Bello Jud. II. 19. Id per quadriennium cum obtinuiſſet, ablatum eſt ei, & in Ariſtobulum translatum Herodis filium, Chalcidos, ante Agrippam, regis. Id. Ant. XX. 5. Loco Chalcidos datæ ſunt Agrippæ aliæ regiones, ni-

Digitized by Google

nimirum omnes Dynaſtiæ, quas Philippus Tetrarcha olim poſſederat, ſcilicet Gaulanitio, Bathanæa, Paneas, Trachonitis; additâ Abilene, quæ Lyſaniæ quondam Tetrarchia fuerat. Joſ. Ant. XX. 5. de B. J. II. 21. Conf. eund. Ant. XVII. 5. Hæc à Claudio acceperat Agrippa, à Nerone accepit Juliadem, cum quatuordecim vicinis oppidis in Peræâ ſitis, imo & partem quandam Galileæ cum Tiberiade & Tarichæis. Id. Ant. XX. 5. de B. J. II. 22. Nec temere conjeceris plura addita eſſe Agrippæ cis Jordanem, cum Auctoritatem maximam & propemodum ſummam videatur in Judæâ habuiſſe, ut ex Joſ. Ant. XX. 7. 8. &c. liquet. Certe auctor eſt Juſtus, Agrippam ditionibus ſub Nerone multum creviſſe, magis autem ſub Veſpaſiano. Veſpaſianum plura Agrippæ regno & quidem non pauca cis Jordanem addidiſſe, præter Juſti teſtimonium, probant quoque, certe indicant nummi. Nam verſus Annum LXXIV. aliquoties in nummis occurrunt anni Regni Agrippæ Cis-Jordanitici, quod infra videbimus. Antiochiæ ad Hippum, Gadarorum, Scythopoleos, ut Agrippæ parentium, mentionem injicit Joſ. de B. J. III. 2. & de vitâ ſuâ Cap. LXV. Et videtur omnino Agrippa omnes vel pleraſque Decapoleos urbes obtinuiſſe, certe de Scythopoli, Gadara, Hippo, Pella, Geraſa conſtat. Unde de Philadelphia aliiſque dubitari non debet. Neque Capitolias Agrippæ deerat, ut quæ urbs eſſet Gaulanitidos. Deinde pro certo habeo, Agrippam regnum Chalcidenſe ſub Domitiano obtinuiſſe, Ariſtobulo mortuo: Quod probant nummi, qui eo tempore annos regni Agrippæ Chalcidici exhibent, quod ante non fecerant, ut infra dicam; Probat vero potiſſimum, quod Chalcis eo tempore Provincia Romana facta fuerit, quo Agrippam mortuum eſſe probavimus. Noviſſime non ſine ratione aſſero, Domitianum Regnum Cis-Jordaniticum Agrippæ multum auxiſſe, tum quod ultimis annis Domitiani, anni hujus regni frequentius in nummis ſignentur, tum ex duobus inſignibus nummis, quorum unum ſupra §. I. citavi. Hi Domitiani titulum Latine

præ-

Digitized by Google

præferunt cum Coſ. XII. & litteris S. C. Ex averſa parte Agrippæ annos, & quidem annos regni Cis-Jordaniſtici. Latina inſcriptio & S. C. nota, indicant eos in Coloniâ quadam Romanâ cuſos eſſe. At in totâ Palæſtinâ Coloniæ erant modo Ptolemais & Cæſarea? nam Ælia ab Hadriano, Sebaſte à Severo deductæ ſunt. Vid. Ulpianus in L. I. ff. de Cenſibus. Ptolemais autem à Claudio deducta eſt auctore Plinio L. V. Sect. XVII. At Ulpianus l. c. aſſerit eam nomen modo, non jura Coloniæ habuiſſe; ſupereſt igitur Cæſarea Palæſtina, in quâ hi nummi cuſi ſunt. Ergo illa urbs maxime inſignis, aliæque plures ſine dubio cis Jordanem Agrippæ acceſſerunt. Et ita conſtat de ditione Agrippæ.

§. 6. Quæritur igitur, an aliqua Epocha reperiatur in nummis urbium nonnullarum, quæ Agrippæ paruerint, à morte ejus deducta. Agrippam mortuum ſtatuo Anno XCI. Unde eo anno & ſequenti, urbes illæ in Romanorum ditionem redactæ fuerint, & Epocha incipere debuerit menſe Septembri A. XCII. cum annus novus in Oriente eſſet primus, à quo Romani Agrippæ regnum occupaſſent. Et hanc Epocham in nummis jam indicabo.

§. 6. Epocha à morte Agrippæ deducta, apud Capitolienſes & Dioſpolitanos.

Capitolias Urbs eſt Syriæ quæ in nummis ΙΕΡας ΑΣυλου ΑΥτονομου inſignitur. Situm ejus in Syriâ Cœle ad Longit. 69. $\frac{11}{24}$ Latit. 32. $\frac{1}{2}$ circa Hippum, Gadaram aliasque vicinas urbes collocat Ptolemæus L. V. Cap. XV. Itinerarium vetus ſub Antonini nomine notum, inter Damaſcum & Gadaram, prope tamen Gadaram ſtatuit. Et tabula Peutingeniana dicta, etiam in viciniâ Gadaræ & è Regione Scythopoleos. Sed quid multis? Capitolias urbs erat Gaulonitidos, adeoque certiſſime Agrippæ erat. Hujus nummos aliquot Epochâ ſignatos profert Harduinus in nummis Pop. & Urb. M. Aurelii cum A. LXVIII. L. Veri cum A. LXIX. Commodi cum A. XCIII. Severi cum A. CVIII. Caracallæ cum A. eodem. Nummus L. Veri non potuit ante A. LXI. cuſus eſſe, igitur Epocha Capitoliados non poteſt ante A. XCII. incipere. Nummus Commodi non poteſt poſterior eſſe anno CXCIII. ineunte,

 ergo

ergo Epocha non poteſt poſt A. C. incipere. Intercipitur ergo ejus initium inter *A. XCII.* & *A. C.* Ego refero ad *A. XCII.* & ſic cuſi erunt nummi M. Aurelii *A. CLX.* L. Veri *A. CLXI.* Commodi *A. CLXXXV.* Caracallæ *A. CC.* Severi eodem. Quæ omnia apprime cohærent. M. Aurelio jam *A. CLX.* vivo Antonino Pio, nummi tanquam Auguſto cudebantur.

Dioſpolis, quondam Lydda urbs Samaritidos, potuit ſane Agrippæ cum Cæſareâ aliiſque civitatibus dari. Hujus nummos duos laudant Vaillantius, Noriſius de Ep. Syr. Mac. diſſ. V. cap. IV. §. 3. Harduinus Opp. Sell. p. 638. unus Severi cum anno ΘΡ ideſt *CIX.* alter Juniæ Juliæ Domnæ cum A. ΕΡ. ideſt *CV.* Nota me hanc Auguſtam Juniam *Juliam* vocare, auctoritate duarum Inſcriptionum inſignium ap. Gr. *CXXII.* I. 3. nummus Domnæ non eſt anterior *A. CXCIII.* nec nummus Severi poſterior anno *CCXI.* Unde incipit Epocha Dioſpolitanorum inter *A. LXXXVII.* & *CII.* Juxta me *A. XCII.* Unde nummus Domnæ cuſus eſt *A. CXCVII.* nummus Severi anno *CCI.*

§. 7. Item Chalcidenſes & Philadelphenſes.

§. 7. Philadelphia Cœles Syriæ Gadaræ, Ptolemaidi &c. vicina, Decapoleos urbs, docente Plinio L. V. Cap. *XVIII.* Agrippæ abſque dubio obtemperabat. Eam quondam Rabbath dictam eſſe, & quidem רבת בני אמון Rabbath-bene-Ammon (de quâ in S. Litteris) omnes norunt. Idcirco ſequiore ætate, præter Phildelphiæ nomen, etiam Rabbathamena dicebatur, ſub quâ voce ejus mentio eſt apud Polybium L. V. Hiſt. Et Stephanum ἐν τοῖς ἐθνικοῖς alibique ſæpe. Et exſtat hodieque nummus ΡΑΒΒΑΘΑΜΗΝΩΝ, minime confundendus cum nummis ΡΑΒΒΑΘΜΩΜΗΝΩΝ, qui ad aliam Urbem pertinent.

Philadelphiæ nummus exſtat T. Veſpaſiani Aug. filii, notatus *A. CXLIII.* & alter Domitiani, eodem anno notatus. Epochæ initium *A. V. DCXCI.* & *A. CXLIII.* eſt Chriſti *LXXXI.* quo Tito mortuo Domitianus ſucceſſit. Ærâ igitur Pompejanâ utebatur hæc urbs cum aliis longe plurimis, quod jam olim notavit Chronici Alexandrini auctor, diligens Epocharum obſer-

ſervator. Vide Noriſium Diſſ. III. Cap. IX. §. 2. ſed æram hanc non aſſervarunt Philadelphenſes. Nam exſtat nummus Caracallæ Ραββαθαμηνων ερ ideſt *A. CV.* quem ab *A. XCII.* numero, ut *A. CXCVII.* cuſus ſit hic nummus. Eo enim anno, jam nummi cudebantur Caracallæ tanquam Auguſto, maxime in Oriente.

Ecce tres Urbes, quæ ſub Domitiano Epocham novam asſumſerunt. Caſu factam quis credat? Oportet eandem Epocham eſſe pluribus urbibus communem. Et quâ occaſione Epocha illa inſtituta eſſet, niſi mortis Agrippæ? Si dubites adhuc, en Chalcidenſium nummos teſtes certiſſimos! Horum unus Trajanum, alter Hadrianum exhibet, uterque *A. XXV* ap. Noris. Diſſ. *III.* Cap. *IX.* §. 3. Cuſi ergo ſunt *A. CXVII.* ante Septembrem. Ergo Epocha incipit *A. XCII.* menſe Sept. Annon manifeſto hic Epocham Agrippæam vides? Et nonne recte concludo, tum alios nummos citatos eandem Epocham continere, tum Agrippam *A. CXCI.* obiiſſe, tum Chalcidem ei redditam eſſe.

Sed cuncta hæc melius illuſtrabuntur Tabulæ Chronologicæ ope, quam hic attexo, in quâ Agrippæ geſta ſuis temporibus alligabo. Ibi Columna I. ſiniſtrorſum annos Chriſti, 2da. Imperatorum, 3tia. & reliquæ variorum Agrippæ regnorum exhibent. Colligam vero omnes notas annorum Agrippæ, tum ab hiſtoricis, tum à nummis, ſuppeditatas.

Digitized by Google

SYNOPSIS

Chronologica Annorum Regis Agrippæ.

Anni Chriſti	Anni Impp. Tiberii	Anni Chalcidic.	Regnorum Syriaci	Agrippæ Judaici	
28	15	—	—	—	Agrippa Junior Agrippæ magni filius naſcitur, ex Joſ. Ant. XIX. 7.
	Claudii				
44	3	—	—	—	Agrippa Magnus moritur, filio annorum *XVII.* relicto, quem adhuc aliquamdiu vivere privatum vult Cæſar. Ibid.
49	8	—	—	—	Herodes Rex Chalcidis, Agrippæ Magni frater, moritur. Ejus filius Ariſtobulus regni ſucceſſione à Claudio Cæſare privatur, eaque in Agrippam juniorem transfertur, anno Claudii VIII. auctore Joſ. Ant. XX. 3. Hinc incipiunt anni regni primi Agrippæ ſc. Chalcidenſis.
52	$\frac{11}{12}$	$\frac{3}{4}$	$\frac{0}{1}$	—	Quum Agrippa ad IV. circiter Regni annum, Claudius ad XII. perveniſſent, ut habet Joſ. Ant. XX. 5. Imperator, Chalcidem Ariſtobulo reſtituit, Agrippæ autem Philippi & Lyſaniæ tetrarchias in Syriâ fere ſitas cum Regio titulo donat. Hoc eſt initium ſecundi regni Agrippæ, quod Syriacum vocare licet.
	Neronis				Nummus Claudii ΕΠΙ ΒΑΣΙΛΕ. ΑΓΡΙΠ. ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ, quem huc refert Hard. p. 332. opp. ſel. ad Agrippam patrem pertinet. Noſter enim, Tiberiadem demum à Nerone accepit.

Nummus

Anni Christi	Anni Impp.	Anni Chalcidici	Regnorum Syriaci	Agrippæ Judaici	
57	3	8/9	5/6	—	Nummus Neronis .)(. ΕΠΙ ΒΑΣΙΛ. ΑΓΡΙΠ. ΝΕΡΩΝΙ. Γ. cuſus eſt ab Agrippâ in Neronis honorem anno III. an Neronis an Agrippæ? Eſt ap. Hard. p. 332. Alius ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΓΡΙΠΑ .)(. L. E. anno V. Regni Syriaci. ap. eund. p. 343.
58	4	9/10	6/7	—	Alius nummus, ut ſupra .)(. L. ϛ'. anno VI. Ibid.
60	6	11/12	8/9	—	Alius quoque ut ſupra .)(. L. Θ anno IX. Ibid.
61	7	12/13	9/10	1/2	Hoc anno Nero Agrippæ Tiberiadem, Tarichæam aliasque cis Jordanem ditiones concedit, de quo Joſ. ant. XX. 5. Unde incipit tertium Agrippæ regnum Cis-Jordaniſticum, quod proprie Judaicum vocare lubet. Cujus initium ad hunc annum referendum eſſe ex nummis patet, quibus anni hujus regni ſignati ſunt, quorum infra mentio fiet, ad *A. LXXIV. & LXXXVI.*
66	12	17/18	14/15	6/7	Hoc anno menſe Majo Bellum Judaicum cœpit. Refert autem id Joſ. de. B. J. *II.* 15. ad *A. XVII.* Agrippæ ſcil. Regni Chalcidenſis.
	Veſpaſiani				
70	1	21/22	18/19	10/11	Excidium Judæorum, quod pro deſtructione poteſtatis Judæorum habuere Euſebius & Syncellus, unde hoc anno finem Regni Agrippæ, proprie ſic dicti, collocaverunt, cum ad *XXIII.* annum regnaſſet, à quo Chalcidem ob-

Qq 3 ti-

Digitized by Google

A.C.	Impp.	Regni Chalcid.	Agrippæ Syr.	Jud.	
					tinuerat, vel circiter *XXVI.* ſi à morte Patris numeres. Cæterum iſto anno incipit æra Flaviorum, quam Harduinus invenit. Nummus Domitiani. ΔΟΜΙΤ ... capite laureato .)(. ΕΤΟ. ΙΘ ΒΑ. ΑΓΡΙΠ. ap. Hard. p. 332. Similis T. Cæſaris ap. Vaillantium *A. XIX.* regni Syriaci. Nam *A. XIX.* Chalcid. gens Flavia adhuc privata erat, *A. XIX.* Jud. vero Titus jam Aug. erat, non amplius Cæſar.
72	3	23/24	20/21	12/13	Hoc anno Juſtus Tiberienſis Hiſtoriam ſuam ſcripſit, quam poſt *XX.* annos demum edit. Joſ. de Vitâ ſuâ Cap. LXV.
73	4	24/25	21/22	13/14	Nummus Domitiani .)(. ΕΤΟ. ΚΑ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. *A. XXI.* Syr. ap. Patin. Num. Ær. p. 164. Hoc anno Ariſtobulus Rex Chalcidos adhuc vivebat, ut legitur ap. Joſ. de B. J. *VII.* 27.
74	5	25/26	22/23	14/15	Nummus Domitiani Cæſ. ap. Pat. p. 151. cum *A. XXIII.* Agrippæ, ſc. Syriaco. Alius ΚΑΙϹΑΡΔ ... Caput Domitiani laureatum .)(. ΙΔ. ΒΑϹΙ. ΑΓΡΙΠ. ap. Hard. p. 333. non *A. XIV.* Domitiani, quo jam obierat Agrippa. Ergo *XIV.* Regni Judaici Agrippæ.
75	6	26/27	23/24	15/16	Alter nummus Domitiani cum *A. XXIV.* Agrippæ, ap. Hard. p. 332. nummus .)(. ΕΤ. ΚΔ. ΒΑϹ. ΑΓΡΙΠΠΑ. Id. p. 333. nec monet

cujus

A.C.	Impp.	Regni Chalcid.	Agrippæ Syr.	Jud.	
					cujus Imperatoris? Unde neſcio ad quem annum pertineat.
77	8	28/29	25/26	17/18	ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ ΚΑΙCΑΡΙ CΕΒΑCΤΩ. Caput Veſpaſiani .)(. ΕΤΟ. ΚΣ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. Hard. l. c. Alius Titi Cæſ. Alius Domitiani Cæſ. Ibid. annus XXVI. Regni Syriaci.
78	9 Domitiani.	29/30	26/27	18/19	ΑΥΤΟΚΡΑ.ΟΥΕCΠΑCΙΑΝΩ CΕΒΑCΤΩ .)(. ΕΤΟΥ. ΚΖ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. Ib. hujus Domitiani Cæſ. Ib. *A. XXVII.* Regni Syriaci. Hoc anno videtur obiiſſe Ariſtobulus Rex Chalcidos, eique ſucceſſiſſe Agrippa. Hoc enim anno incipiunt anni ejus regni in nummis apparere. Nummus Veſpaſini. .)(. ΕΤΟ. ΚΘ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. Hard. l. c. Alius Titi, Ib. eo referuntur. Nam Veſpaſianus anno ſequente mortuus eſt.
86	6	38/39	34/37	26/27	Hoc anno credo Domitianum quasdam ditiones Regno Agrippæ Cis-Jordaniſtico addidiſſe. Unde uſus annorum ejus regni in nummis invaleſcit. IMP. CA. D. VES. F. DOM. AV. GER. COS. XII. .)(. ΕΠΙ ΒΑ. ΑΓΡΙ. ΕΤ. ΚΣ. S. C. Alius ut ſupra.)(. SALUTI AUGUST. S. C. cum eodem anno *XXVI.* Hard. p. 333. Alius Domitiani

cum

A.C.	Impp.	Regni Chalcid.	Agrippæ Syr.	Jud.	
					cum *A. XXVII.* Agrippæ. Ib. Domitiano Coſ. *XII.* fuit hoc anno. Inter alia acceſſit Agrippæ Cæſarea, ubi nummos duos priores cuſos eſſe jam monui §. 5.
					Nemo credit Agrippam pro lubitu annos varie numeraſſe, & in nummis eos nullâ regulâ notatos eſſe. Sed in ſingulis regnis, anni cujusque regni numerabantur. Ita nummi in Syriâ cuſi, annos regni Syriaci exhibent, &c. Ideo ſequitur v. g. Chalcidem revera Agrippæ paruiſſe hoc tempore, cum nummi, ejus regni annis ſignati, cuſi fuerint, ut ad annum 78. dixi, quos in Chalcide cuſos eſſe oportet.
89	9	40/41	37/38	29/30	Nummus Agrippæ cum *A. XXXV.* Hard. p. 334. Regni Syriaci.
					Nummus Domitiani cum *A. XXIX.* Agrippæ, ſc. Regni Chalcidenſis. Hard. p. 333. Poſtea nulli nummi Agrippæ occurrunt.
91	11	42/43	39/40	31/32	Agrippa Rex moritur M. Ulpio Trajano poſtea Imp. & Glabrione Coſſ. anno *XLIII.* Regni Chalcidenſis, XL. Regni Syriaci & *XXXII.* Regni Judaici.
92	12	0/1			Hoc anno Regna Agrippæ in Provincias Romanas tranſeunt; Unde Septembri inſequente, pleræque civitates novam æram aſſumunt, quam Agrippæam vocare licet, ſuper-

Anni Christi	Anni Imperator. Domitiani.	Anni Æræ Agrippæ.	SYNOPSIS.
			ſuperetque in Chalcidenſibus, Capitolienſibus, Philadelphienſibus & Dioſpolitanis.
			Hoc quoque anno Juſtus Tiberienſis Hiſtoriam ſuam edit, Agrippæ Regis morte exſpectatâ. *Joſ.* de Vitâ ſuâ, Cap. *LXV.* deſinitque in anno præc. Trajano Coſ. Photius Cod. 33.
93	13	1/2	Joſephus Antiquitates & Librum de Vitâ ſuâ ſcribit, anno *XIII.* Domitiani, Joſ. Ant. *XX.* Cap. ult. Omnia autem Epaphrodito dicat, Id. præf. Ant. & de Vitâ ſuâ in fin.
94	14	2/3	Joſephus contra Apionem ad Epaphroditum ſcribit. Epaphroditus in exilium mittitur. Suet. Dio.
95	15	3/4	Epaphroditus interficitur, Dio. Sueton.
	Trajani		
117	20	25/26	Nummus Chalcidenſium Trajani cum *A. XXV.* Noris. Patin. Hard.
	Hadriani		
117	1	25/26	Nummus eorundem Hadriani, eodem anno. Ibid.
	Ant. Pii		
160	22	68/69	Nummus M. Aurelii Capitolienſium cum *A. LXVIII.* vivo Pio cuſus, qui Marcum Collegam habebat. Hard. O. S. p. 638.
	Marci & Veri		
161	1	69/70	Nummus eorum L. Veri cum *A. LXIX.* Ib.
164	4	72/73	Nummus Marci Chalcidenſium cum *A. LXXII.* Hard. p. 182.

Anni Chriſti	Anni Imperator. Commodi	Anni Æræ Agrippææ	SYNOPSIS.
182	2	90/91	Nummus eorundem Commodi cum *A. XC.* Ib.
185	5	93/94	Nummus Commodi Capitolienſium cum *A. XCIII.* Hard. p. 638.
	Severi		
197	5	105/106	Nummus Domnæ Severi conjugis cum *A. CV.* Dioſpolitanorum. Alius Caracallæ eod. ann. Philadelphenſium Rabbathamenonum, Ibid.
200	8	108/109	Nummus Severi Capitolienſium cum *A. CVIII.* Ibid.
201	9	109/110	Nummus ejusdem Dioſpolitanorum cum *A. CIX.* Ib.
			Uſus ſum autem modo Harduino fere in his numnis citandis, quod poſtremus ſit & plures collegit, licet Vaillantium alioſque ad manus habuerim. Ampliorem forſitan ſegetem inveniſſem, ſi licuiſſet opus immortale longe Celeberrimi Viri D. Geſneri inſpicere, quod nunc lucem videre audio. Habes Lector, quæ de annis Agrippæ noveram. Vale.

Digitized by Google

INDEX.

CAPITUM ET DISSERTATIONUM.

CAPUT I.

De Petri Apoſtoli Itinere Romano: pag. 1.

Petrum Romæ fuiſſe, eſt factum publicum, quod fingendi nulla ratio erat. §. 1. *p.* 2.
Coætaneis & hiſtoriæ non obſtans; Imo Clementi Romano & Conſtitutionibus teſtatum. §. 2. *p.* 4.
Sæculo II. ineunte ab omnibus creditum, exemplo Conſtitutionum, Ignatii, Prædicationis Actorum & Recognitionum Petri, Papiæ & aliorum. §. 3. *p.* 5.
Sæculo II. medio & labente, aſſertum ab Irenæo, Dionyſio Cor. Lucio, Victore Romano, Cajo Romano, Clemente Alexandrino. Sæculo III. à Tertulliano, Anonymo, Hippolyto, Africano, Origene, Cypriano, Stephano, Firmiliano aliiſque, & Petro Alexandrino. §. 4. *p.* 7.
Itaque verum eſt Petrum Romæ fuiſſe, nec quicquam objici poteſt, quod hanc certitudinem deſtruat. §. 5. *p.* 10.
Tempus hujus facti recte Antiquis notatum, nec error hac in re obſtaret. §. 6. *p.* 12.
Fabula de 25. *annis Petri, ejuſque origo.* §. 7. *p.* 13.
Petrus Romam ſub imperio Neronis, & quidem ineunte, venit. §. 8. *p.* 14.
Ibique biennium eſt moratus. Quod tempus ex Pauli hiſtoria confirmatur, quæ ex Feſti & Pallantis geſtis illuſtratur. §. 9. *p.* 16.

Digitized by Google

CAPUT II.

De Lini atque Cleti temporibus.

Petrus Româ abiturus debuit quemdam Eccleſiæ præficere. Præfecit vero Linum, de quo omnes auctores catalogique antiqui teſtantur. §. 1. *p.* 20.

Lino ſucceſſiſſe Anacletum dicunt Ireneus aliique Antiqui, & omnes catalogi, excepto Romano: Sed ipſe mendoſus eſt, & reſtituitur è codicibus quibusdam & antiquis ſcriptoribus. Origo erroris oſten*ditur.* §. 2. *p.* 22.

Anacletum à Cleto idem Catalogus male diſtinguit, contra fidem antiquorum omnium & catalogorum. §. 3. *p.* 26.

Quæ origo eſt multarum confuſionum paucis indicatarum. §. 4. *p.* 27.

Sed in mendo cubare catalogum Romanum probabile eſt: Et oſtenditur ex Optato, Auguſtino, Canone Miſſæ, & veteri Litania, item manuſcriptis quibusdam ejus Catalogi. §. 5. *p.* 29.

CAPUT III.

De Clementis ab Apoſtolis ordinatione, & de Lini & Cleti ſimultanea ſeſſione.

Clemens Cleto ſucceſſit, & quidem vivis Apoſtolis, quod probatur primo, teſtimoniis Recognitionum, quæ defenduntur, Conſtitutionum, Rufini, Catalogi Romani, nemine contradicente. §. 1. *p.* 32.

Secundo ex ipſa Clementis Epiſtola, cujus tempus oſtenditur. §. 2. *p*, 36.

Quam Clemens jam Epiſcopus ſcripſit. Ejus ætas notis firmatur, itemque teſtimoniis Irenæi, Egeſippi, Hermæ. §. 3. *p.* 38.

Chronologiæ ſeries idem exigit. §. 4. *p.* 40.

Unde ſequitur, Linum & Cletum ſucceſſive ſedere non potuiſſe. §. 5. *p.* 40.

Sed eos ſimul ſediſſe probatur. §. 6. *p.* 42.

CAPUT IV.

Objectiones, quæ adverſus Theſin, capite præcedenti probatam moventur, earumque confutatio.

Objectiones trium generum repellendæ. Primæ Dodwelli, qui totam primam illam ſucceſſionem incertam ſtatuit. Lini tempus adverſus eum aſſeritur. §. 1. *p.* 45.
Ut & Anacleti. §. 2. *p.* 48.
Et Eccleſiæ Romanæ antiquitas ante annum 64. §. 3. *p.* 49.
Aliæ objectiones eorum, qui Clementem ad Trajanum uſque producunt, paucis refelluntur. §. 4. *p.* 53.
Pearſonii objectiones, Linum & Anencletum una ſediſſe negantis, ſolvuntur. §. 5. *p.* 54.

CAPUT V.

De annis Petri, Lini, Anencleti & Clementis ſigillatim.

Ex præcedentium recapitulatione. §. 1. *p.* 56.
Anni duo incompleti Petri moræ Romæ aſſignantur. §. 2. *p.* 57.
Quo tempore Paulus Romam venerit demonſtratur. §. 3. *p.* 59.
In tempus mortis Petri & Pauli inquiritur. §. 4. *p.* 60.
Lini anni determinantur. §. 5. *p.* 64.
Nec non Clementis. §. 6. *p.* 65.
De Anacleti Epiſcopatu & tempore diſſeritur. §. 7. *p.* 76.

CAPUT VI.

De Synchroniſmis quibuſdam, ſeu geſtis ad tempus primæ illius ſucceſſionis pertinentibus, ubi de Jacobi Juſti, & Johannis Apoſtoli morte, aliiſque.

Nexus hujus capitis cum præcedentibus. Recognitionum auctor erroris circa Jacobum Juſtum inſimulatus, ex Joſephi loco, ſed male intellecto. Joſephus explicatur, & alio ſuo

loco illuſtratur. §. 1. *p.* 70.
Hegeſippi, *Clementis Alexandrini*, *Photii*, *Chronici Alexandrini & Nicephori pro Recognitionibus teſtimonia. Annus emortualis Simeonis Hieroſolymitani.* §. 2. *p.* 72.
Errores Chronologorum: Exemplum in anno 3. Trajani. Johannes non ita diu vixit, ut creditur Irenæi fide; Contrarium ex Papia probatur. §. 3. *p.* 74.
Auctor Epiſtolæ ad Diognetum Juſtino antiquior. §. 4. *p.* 76.
Videtur Clemens Romanus eſſe. §. 5. *p.* 77.

CAPUT VII.

De Evariſti, Alexandri, Sixti, Teleſphori atque Hygini annis.

Evariſti anni. §. 1. *p.* 78.
Alexandri anni. Catalogi Liberiani error unde ortus. §. 2. *p.* 80.
Sixti anni. Ex Ignatio firmantur. §. 3.
Annus verus mortis Ignatii, contra Pearſonium, vindicatur. Trajani iter Antiochenum. §. 4. *p.* 84. & §. 10. *p.* 92.
Belli Armeniaci & Parthici tempus, Terræ motûs Antiocheni annus, aliique multi in hiſtoria Romana Synchroniſmi illuſtrantur. §. 4. *p.* 84.
Quando Trajanus Parthicus dictus. §. 5. *p.* 85. *Quando Armeniacus.* *p.* 86.
Suræ mors, quando contigerit. §. 6. *p.* 87.
Terræ motus Antiocheni annus. §. 7. *p.* 88. §. 8. *p.* 89. §. 9. *p.* 90.
Verus mortis Ignatii annus §. 10. *p.* 92.
Teleſphori anni. §. 11. *p.* 92.
Hygini anni, §. 12. *p.* 93. *Error catalogi Liberiani unde?* *p.* 94.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De præcipuis Epochis vitæ Juſtini Martyris, aliiſque eum ſpectantibus.

Neceſſitas hujus diſquiſitionis, & nexus hujus capitis cum hoc opere. §. 1. p. 95.
Apologia Juſtini minor, ſub Antonino Pio ſcripta. §. 2. p. 96.
Urbicus Præfectus non urbi, ſed Prætorio §. 3. p. 99.
Urbicus quis? & quando Præfectus? §. 4. p. 100.
Idem ex Apulejo inveſtigatur. §. 5. p. 102.
Major Apologia, quando ſcripta? §. 6. p. 104.
Obiter de ætate Lucii Veri Imperatoris p. 105.
Quis verus Apologiarum ordo? ſententia communis convellitur. §. 7. p. 106.
Juſtini mors ſub Ruſtico. Annus ejus conjicitur. §. 8. p. 108.

CAPUT IX.

De Marcionis tempore, & præcipue de anno quo in Hæreſin inciderit.

Controverſia de Marcionis annis. §. 1. p. 112.
Qui Romam ſtatim mortuo Hygino venit. §. 2. p. 112.
Ejus antiquitas è Clemente Alexandrino probatur. §. 3. 113.
Locus difficilis Clementis Alexandrini explicatur. §. 4. p. 114.
Et à variis nodis liberatur. §. 5. p. 114. 115.
Aliæ pro Marcionis antiquitate rationes. §. 6. p. 117.
Quibus non obſtat Tertullianus. §. 7. p. 118.
De cujus intricatiſſimo loco diſſeritur. §. 8. p. 118.
Pearſonius refutatur. §. 9. p. 119.
Dodwelli interpretatio rejicitur. §. 10. p. 119. 122.
Vera loci Tertulliani explicatio. §. 11. p. 123

C A

Digitized by Google

CAPUT X.

De Hæreſium nonnullarum antiquitate & expulſione.

Valentinianorum ortorum tempus multis argumentis firmatur. §. 1. p. 125.
Valentinus, prius Hæreticus fuit, quam Romam veniret. §. 2. p. 127.
Baſilidis ætas inveſtigatur. §. 3. p. 129.
Carpocratis, Marcellinæ, & Cerdonis tempus figitur. §. 4. p. 131.
Hæreticorum ab Eccleſia ſeparatio quandonam contigerit. §. 5. p. 132.

CAPUT XI.

De Montaniſtarum prima Origine.

Variæ de Montani tempore opiniones refelluntur. §. 1. p. 135. *Notæ ejus rei quæruntur ex ætate quorundam Montani adverſariorum.* §. 2. p. 137.
Quæ ex Miltiadis hiſtoria detegitur. §. 3. p. 138.
Et ex pace quatuordecennali Maximillæ morte ſequuta, ſub Commodo, non alio Imperatore. §. 4 p. 139.
Nequidem ſub Alexandro, quicquid dicat Herodianus. §. 5. p. 140.
Qui ſecum ipſe pugnat. §. 6. p. 141.
Et multis modis refellitur. §. 7. p. 143.
Ætas vera Montani. Epiphanii ſententia cum veritate conciliatur. §. 8. p. 146.
Tertulliani locus explicatur. §. 9. p. 148.
Montanus ſub Pio Epiſcopo Romano ortus. §. 10. p. 149.

Digitized by Google

321

CAPUT XII.

Notæ Chronologiam firmantes, & de annis Pii & Aniceti disquiſitio.

Notæ chronologiam annorum Hygini firmantes. §. 1. *p.* 151.
Pii anni determinantur. §. 2. *p.* 152.
Pius non ſucceſſit Aniceto. §. 3. *p.* 153.
Aniceti anni, §. 4. *p.* 156.
Notis hiſtoricis firmantur. §. 5. *p.* 157.
Num Anicetus annos 18. *ſederit, quod negatur adverſus Pearſonium.* §. 6. 7. *p.* 160.
Error Catalogi Latini correctus. §. 8. *p.* 162.

CAPUT XIII.

De tempore Martyrii Polycarpi, ubi de Notis Aſtronomicis anni illius quæ ſuperſunt diſſeritur.

Ratio digreſſionis de morte Polycarpi §. 1. *p.* 164.
Notæ quibus tempus ejus mortis inveſtigari poteſt. §. 2. *p.* 165.
Quæ fuerit litera dominicalis ejus anni expenditur. §. 3. *p.* 167.
Sabbathum magnum quid ſit? an ex Cyclis inveſtigandum? §. 4. *p.* 169.
Computatur Paſchatis tempus è Tabulis Aſtronomicis ad annos 147, 152, 158, 169, 175. *& an morti Polycarpi conveniant inquiritur.* §. 5. *p.* 171.

 CA-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Notæ Martyrii Polycarpi Chronologicæ, nonnullæ expenduntur.

AN Quadratus actorum Polycarpi T. Numidius fuerit, anno 167. conſul? §. 1. p. 177.
Vel L. Statius Conſul A. 142. §. p. 179.
Vel alius Ariſtidi nominatus. §. 3. p. 179.
De quo quis fuerit conjicitur. §. 4. p. 181.
Alii magiſtratus à Smyrnenſibus nominati. §. 5. p. 183.

CAPUT XV.

Argumenta quibus ſuppoſitum eſſe finem Epiſtolæ Smyrnenſium de Polycarpo probatur.

Exhibetur pars ultima epiſtolæ Smyrnenſium. §. 1. p. 184.
Cujus ſuppoſitio argumentis generalibus probatur. §. 2. p. 185.
Aliiſque ſpecialibus. §. 3, 4. p. 187, 188.
Auctor hujus fragmenti calendarium Orientale ignorabat. §. 5. p. 189.
Aſſerit falſò Polycarpum ſabbatho magno paſſum. §. 6. p. 191.
Horâ Octavâ. §. 7. p. 193.

CAPUT XVI.

Tempus verum mortis Polycarpi expenditur.

Notæ hiſtoricæ ejus anni. §. 1. p. 194.
Quibus aliæ adjunguntur. §. 2. p. 195.
Controverſia de Edicto Antonini pro Chriſtianis. §. 3. p. 196.
Quod à Pio & Marco datum eſſe probatur. §. 4. p. 197.

Et

Digitized by Google

Et quidem anno 161. §. 5. *p.* 199, 201.
Quâ occaſione. §. 6. *p.* 201.
Polycarpus eodem anno paſſus. §. 7. *p.* 199, 201.
Quod nota Aſtronomica firmatur. §. 8. *p.* 202.
De Pionii actis. §. 10. *p.* 203.

CAPUT XVII.

De annis Soteri & Eleutheri.

Soteri tempus. §. 1. *p.* 204.
Eleutheri tempus. §. 2. *p.* 205.
E Tertulliano firmatur. §. 3. *p.* 206.
Martyres Lugdunenſes quando paſſi. §. 4. *p.* 207.
Euſebius excuſatur. §. 5. *p.* 207.
Ludi Lugdunenſes. §. 6. *p.* 208.
Quando a Caligula ſpectati. §. 7. *p.* 209.
Hiſtoria rerum Judaicarum ſub Caligula, maxime e Philone, excutitur. Caji hiſtoria corrigitur, & Suetonii Dioniſque errores oſtenduntur. §. 8. *p.* 210.
Motus Alexandrini in Judæos progreſſus. §. 9. *p.* 211.
Legatio Judæorum ad Cajum. §. 10. *p.* 213.
Statua Caji Hieroſolymis ponenda. §. 11. *p.* 214.
Suetonii & Dionis error. Caji hiſtoria corrigitur. §. 12. *p.* 216.
Annus perſequutionis Lugdunenſis conjicitur. §. 13. *p.* 217.

CAPUT XVIII.

De Victoris annis.

Victoris anni. §. 1. *p.* 218.
Ex Irenæo. §. 2. *p.* 219.
Et Melitone firmantur. §. 3. *p.* 220.
Anonymus Auctor contra Artemonitas illuſtratus. §. 4. *p.* 220.
Epiſtola duæ Victori aſſerta. §. 5. *p.* 221.

Digitized by Google

DISSERTATIO I.

De Conſtitutionibus, Apoſtolicis dictis, Pars prima, ubi earum ſinceritas & antiquitas, ad Euſebii Cæſarienſis uſque tempora, multis rationibus aſſeritur.

Status quæſtionis, Epocha notiſſima Conſtitutionum concilium Trullanum. §. 1. p. 225.
Conſtitutiones Epiphanio notæ, & ab ejus ævo ab Hæreticis non corruptæ. §. 2. p. 227.
Digreſſio, Ignatii Epiſtolas interpolatas non eſſe. §. 3. p. 230.
Arianiſmi falſo ſuſpectæ conſtitutiones. §. 4. p. 233.
Cum doctrina Patrum Antenicænorum conſpirant. §. 5. p. 234. §. 6. p. 235.
A tempore Epiphanii nullo modo mutari potuere, nec quicquam ſec. 4°. recentius continent. §. 7. p. 237, 238.
Epiphanius exemplaria a noſtris diverſa non vidit. p. 239. *Epiphanius corrigitur.* §. 8. p. 240.
De Epiphaniæ tempore conſtitutiones defenduntur. §. 9. p. 240.
Antiquiſſima diverſitas de Paſchate in conſtitutionibus, unde orta? & non interpolata. §. 10. p. 243.
Alia Epiphanii loca vindicantur, & cum hodiernis conſtitutionum exemplaribus in concordiam rediguntur. §. 11. p. 245. §. 12. p. 246.
Alia pro conſtitutionibus teſtimonia, Auctoris operis imperfecti in Matthæum, Timothei, Anaſtaſii. Sæc. V. VI. §. 13. p. 248.
Alia Sæc. V. Philoſtorgii, Socratis, Jo. Chryſoſtomi, Thomæ Syri, Innocentii Papæ, Procli, Sæc. IV. Hieronymi, Greg. Nazianzeni, Theophili Ariani. §. 14. p. 249, 250, 251.
Athanaſii multa. §. 15. p. 252.
Euſebio notæ Conſtitutiones. §. 16. p. 254.

Id.

Digitized by Google

Id multis rationibus confirmatur, & quidem ſub διδαχῆς *nomine.* §. 17. p. 255.
Uſſerii Objectionibus ſatisfit. §. 18. p. 256.

DISSERTATIO II.

De conſtitutionibus, Apoſtolicis dictis, Pars ſecunda, ubi ætas earum genuina aſſeritur, & ad Sæc. 2. prima initia refertur.

Conſtitutiones nulla veſtigia quarti ſæculi continent. Loca earum de converſione Romanorum, & Epiſcoporum poteſtate defenduntur. §. 1. p. 260.
Nec ritus recentiores præſcribunt. Digreſſio de Templis Chriſtianorum. § 2. p. 262.
Indicia, Conſtitutiones ſæculo 3°. extitiſſe, intrinſeca. §. 3. p. 264.
Ex præcepto de ſabbatho obſervando. p. 264.
Ex locis de Trinitate, Ordinatione Epiſcoporum, ſilentio de Metropolitanis. §. 4. p. 265, 266.
Ex verbis de Exorciſtis, Ordinibus minoribus, Symbolo, Cœlibatu. §. 5. p. 267.
Teſtimonia pro iis, è 3°. ſæculo, Dionyſii Alex. Canonum Apoſtol. Anonymi de Baptiſmo, Origenis, Cornelii, Firmiliani & aliorum, Hippolyti, qui earum partem edidit. §. 6. p. 269.
Conſtitutiones erant ſæculo ſecundo. Satisfit objectionibus. §. 7. p. 272.
Indicia ex earum locis de Epiſcopis & Presbyteris, de Precationibus, de Conventibus quotidianis, de Sabbatho, de Cultu Eccleſiæ. §. 8. p. 274, 275.
Viſæ ſunt Conſtitutiones Clementi Alex. Irenæo, Auctori Recognitionum & Epiſtolæ Clementis ad Jacobum. §. 9. p. 276, 277.
Luciano Sophiſtæ, Ignatio, cujus locus aliquis vindicatur. §. 10. p. 278.

Collectæ ſæculo ſecundo ineunte, è monumentis Apoſtolorum eorumque canonibus, de quibus Clemens Rom. De libro Duæ Viæ *Conſtit. inſerto.* §. 11. *p.* 282.

Conſtitutionum auctoritas & uſus. §. 12. *p.* 283.

DISSERTATIO III.

De Dionyſii Pſeud-Areopagitæ ſcriptis, Dionyſio Alexandrino tribuendis.

Poſtulatum; Dionyſius aliquis hos libros ſcripſit. Ratio, quia ſe ſic vocat, nec pro impoſtore haberi debet. Falſum eſt, cum ſe pro Dionyſio Areopagita venditaſſe, cum potius ſe Apoſtolis multo recentiorem fateatur; Quod ſex indiciis probatur. §. 1. *p.* 286.

Objectionibus reſpondetur. Dionyſius Pauli diſcipulum ſe non dicit, nec Mariæ matris Jeſu morti ſe interfuiſſe affirmat, quem locum vel ſuppoſitum vel interpolatum eſſe, multis probatur, & ſaltem ex Pachymere aliisque reſtituendum. §. 2. *p.* 288.

Epiſtola ad Apollophanem Dyoniſio ſuppoſita, ex ſtylo & ſilentio Græcorum. Item Epiſtola ad Polycarpum, quæ pariter ex ſtylo & aliis arguitur, & antiquioribus incognita fuiſſe, adeoque inter Dionyſii opera non extitiſſe oſtenditur. Epiſtola ad Johannem aut ſuppoſita, aut Apoſtolum non ſpectat. §. 3. *p.* 290.

Dionyſius noſter debuit eſſe vel Areopagita, vel Corinthius, vel Alexandrinus, quod quatuor indiciis firmatur generalioribus. §. 4. *p.* 292.

Octo alia indicia ſpecialiora, præcipue ex perſonis, quarum mentionem facit Dionyſius noſter, ut Timotheo filio &c. Concluditur Dionyſii Pſeud-Areopagitæ opera Dionyſio Alexandrino tribuenda eſſe. §. 5. *p.* 293.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

De Annis Agrippæ Junioris, Magni filii, & Epocha peculiari in nummis à morte ejus deducta.

Agrippa poſt Veſpaſianum mortuus §. 1. *p.* 297.
Syncelli error. Opus Scaligeri Eruditos adhuc fallens. §. 2. *p.* 298.
Agrippa non obiit poſt Domitianum & anno 92. §. 3. *p.* 300.
Sed anno 91. *exacte.* §. 4. *p.* 301, 303.
Ejus ditiones indicantur. §. 5. *p.* 303.
Oſtenditur, Epocham à morte ejus deductam eſſe à Capitolenſibus & Dioſpolitanis. §. 6. *p.* 305.
Nec non à Philadelphenſibus atque Chalcidenſibus. §. 7 *p.* 306.
Subjungitur Tabula chronologica annorum Agrippæ p. 308.

Digitized by Google

INDEX.

Nominum & Rerum.

pag.

A.

Abulpharagius. 130
Acolytorum nulla mentio in Conſtitut. 268
Actorum Petri libri, 6, 33
Adu regula. 173, 175
Ælia colonia. 305
Æmilianus. 103
Æra Agrippæa. 312
—— Flaviorum. 310
—— Pompejana. 303, 306
Sext. Jul. Africanus. 9, 187
Agrippa. 210, 308
—— Caſtor. 130
—— Junior. 297
—— Trajano Conſule circa annum 92. mortuus, Regnum ſuum populo Rom. relinquit. 303, 312
Agrippæa Epocha. 307
Alexander Imperator. 140
—— Epiſc. Romanus. 80
ejus Acta ficta. 82
Alexandrini motus in Judæos ſub Caligula. 210
Allix. 20, 118
Altaria menſæ templorum dictæ. 263
Anacletus, Anencletus, Cletus & Dacletius unus idemque ſunt, 22, 26
—— à Paulo ordinatus. 67
—— Chriſtianis ex Gentilibus præfuit, ut Linus Chriſtianis ex Judæis. 67
—— Sedit una cum Lino. 42, 54
Anaſtaſius. 249
Anicetus. 153, 156, 160
Anomæi Vid. Ariani.
Anonymus auctor, qui Cajus creditur. 8. 26. 137. 139. 146. 220
Anteros. 161
Antinoi deificatio. 159
Antipas Herodes. 215
Apellæus menſis. 89. 190
Apelles Marcionis diſcipulus. 118
Apollinaris. 137
Apollonius. 137, 147
Apollophanes. 290. 291
Apoſtolica ætas. 126
Apulejus Madaurenſis. 102
Αρχαῖος non ſemper magnam antiquitatem notat. 37. 75
Ardevanus ſeu
Artabanus. 144
Ardſirus ſeu
Artaxerxes Babeganus. 145
Arianis ſeu Anomæis libertas cultus publici interdicta. 229
Arianiſmi abſque ratione ſuſpectæ Conſtitutiones. 233
Ariſtides. 180
Ariſtion. 74
Ariſtobulus. 304. 308. 310
Arnoldus. 253
Artemiſius menſis. 191
Artemonitæ. 131. 220

Aſiarcha,

Index Nominum & Rerum.

pag.

Aſiarcha 167, 183
Aſterius. 137
Athanaſius. 252, 265, 275
Atticus Syriæ Præfectus. 73
Audiani. 243, 244
Audynæus menſis. 190, 240
Aurelianus. 275
Autbertus. 126

B.

Babeganus. Vid. Ardſirus
Badu regula. 173, 175
Balſamon (Theodorus). 257
Baptismus. 270
Bardeſanes Syrus. 33
Barocianum manuſcr. 256
Baronius. 221
Baſilides. 113, 128, 131, 152
Beveregius. 269, 276
Beyerus. 299
Bianchinus. 170
Binghamus. 242, 265, 275
Blaſtarus(Matthæus). 256
Blondellus. 165
Bollandus. 168
J. à Boſco. 221
Bucherius. 168
Bullus. 234, 237

C.

Cæſarea. 305
Cæſarius. 275
Caji Caligulæ hiſtoria corrigitur. 210—212, 216
Cajus Romanus. 8, 26, 149, 185, 188
—— Therapeutes. 294
Calendarium Judaicum incertum. 170
Calippica periodus. 170

pag.

Calviſius. 171, 175, 202
Canones Apoſtolorum, 249 tertio ſæculo exeunte compoſiti. 269
Cantorum ordinationis, nulla mentio in conſtitutionibus. 268
Capitolias. 305
Carpocrates. 127, 131, 152
Caſſianus. 268
Caſſiodori error. 88
Catalogi varii Pontificum. 22. ſeqq.
—— Liberiani error. 80, 81
—— Latini error. 162
Catalogus Romanus mendoſus. 22. 29
Catechumeni. 256, 265, 268
Caveus. 271
Cedrenus. 230
Celſus. 117, 131—134
Cerdon Heracleonis diſcipulus. 5, 127, 128, 132, 152
Cerinthus. 134
Chriſma. 270
Chriſtiani cum Judæis confuſi. 51
Chriſti nativitas. 104, 105, 115, 239
—— Baptiſmus 110, 123, 124, 239, 240, 241
—— paſſio. 115, 121
Chronici Alexandrini auctor Epochas diligenter obſervans. 306
Chronologorum Errores. 74
J. Chryſoſtomus. 248, 250
Claudius Habaſſinorum Æthiopum rex. 255
Circuituum Apoſtolorum libri. 257
Clemens Epiſcopus Romanus. 22. 32, 36, 65, 77, 284, 287
—— a Petro ordinatus. 36
—— non fuit Martyr, nec ad Trajanum pervenit. 53, 65
Clementis epiſtola ad Corinthios. 36

Digitized by Google

pag.

96
—— ad Jacobum. 277
Clementinæ. 281
—— non ſunt fons conſtitutionum, ſed contra. 278
Clemens Alexandrinus. 8, 73, 113, 125, 158, 221, 237, 276, 281
—— Philoſophus dictus. 287
—— ejus locus difficilis. 44
Cletus. Vid. Anacletus.
Cœlibatus. 260
Cœnæ hora. 192
S. Cœna. 277, 279, 294
Columna anno 113. Trajano erecta. 91
Concilium Trullanum ſeu Quinifextum. 227, 255
—— Laodicenum. 264
—— Conſtantinopolitanum & Chalcedonenſe. 66
Confeſſus Apoſtolorum fictus. 273
Conſtitutiones Apoſtolicæ ſeu Pſeud——Apoſtolicæ dictæ. 34, 126
—— non corruptæ. 227
—— falſo Arianiſmi ſuſpectæ. 117, 233
—— nihil ſæculo 4. recentius continent. 11, 238
—— quomodo & unde compilatæ. 281
—— dictæ Διατάξεις, διδαχαὶ, διδασκαλίαι, παραδόσεις. 253-258, 271, 278, 270
—— ut arcanum ſervatæ. 269, 286
Conſules decimo poſt conſulatum anno Aſiam, Africamve ſortiebantur. 118
—— ſuffecti raro ab hiſtoricis & chronologis nominati. 47. 85

pag.

Conventus Eccleſiaſtici, quando fiebant. 246, 275
Copiatorum nulla mentio in Conſtitutionibus. 268
Cornelius Epiſcopus Romanus. 268, 270
Cotelerius. 244, 249, 255, 257, 258, 275, 277
De la Croze hiſtoria Æthiopum Armenorumque. 295
Cycli varii. 170
Cyprianus Carthaginenſis. 9, 265, 268, 272
Cyrenius. 104
Cyrillus. 257, 268, 296

D.

Dacletius. Vid. Anacletus
Decennalia. 201
Decretales. 222
Deſiderius Viennenſis Epiſcopus. 221
Diaconi. 268, 274
Διατάξεις, διδασκαλίαι, διδαχαὶ Conſtitutiones dictæ 253—258. 271
Dio. 85 143, 209
Dionis error. 210, 216
Epiſtola ad Diognetum auctor. 76. 77
Dionyſius Pſeud——Areopagita. 186, 269
—— non dictus Areopagita ante ſæculum ſextum. 287
—— Metaphyſicus ſubtilis. 291. 293
—— eſt Alexandrinus. 292
ejus Epiſt. ad Apollophanem. 290
ad Johannem. 292
ad Cajum. 291
ad Germanum. 291

Digitized by Google

pag.

ad Polycarpum. 290
ad Timotheum. 294, 295
ſtylus intricatus. 290, 295
Dionyſius Alexandrinus. 269, 281
—— dictus Philoſophus. 293
Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus. 7, 288, 293
—— Viennenſis Epiſcopus. 221
Dioſpolis. 306
Dioſpolitanorum Epocha. 306
Dius menſis. 190
Dodwellus. 41, 45, 51, 119, 122, 207, 298
Domitilla. 53
Domitius Afer. 209, 217
Domna Severi conjux. 306, 314
Dracontius. 253
Duæ Viæ. 282
Dyſtrus menſis. 190

E.

Ebion. 130
Eccleſia Romana, quando fundata. 49
—— quævis habebat ſuum ſummum caput. 55
Edictum pro Chriſtianis, non ab Antonino, ſed a Pio & Marco. 196, 197
Edicta Imperatorum in ſolemnibus feſtis ſeu ludis proponi ſolebant. 201
Egeſippus. Vid. Hegeſippus.
Epaphroditus. 301, 313
Epiphanes Carpocratis filius. 131
Epiphania. 239
—— multiplex. 241, 243
Epiphanius. 44, 136, 147, 190, 228, 233, 237, 240, 245, 246, 250, 265
ei notæ conſtitutiones. 128
Epiſcopatus laudes. 261

pag.

Epiſcopi & Presbyteri diſcrimen. 244, 278
—— confunduntur. 275, 278
—— diœceſes initio non habebant. 35
—— duo Romæ una ſederunt. 42, 54
—— duo in eadem Eccleſia eſſe non poſſunt. 54, 55
—— ordinatio. 252, 265, 283
—— à quibus conſtituendi. 252
—— officium. 250
—— ſubordinatio. 266
ſine Epiſcopo nihil faciendum. 280
Epocha, fidei in Romanos monumentum, in novis Provinciis inſtituta. 303
—— Agrippæa. 307
—— Dioſpolitanorum. 306
Eteſiæ. 218
Evagrius. 88, 266
Evariſtus. 78
Euchariſtia ad ægrotos delata. 274
Euſebius 9, 20, 46, 57, 99, 207, 295, 298
inſide ſe geſſit in Antoninorum & Juſtini rebus. 105, 106
ipſi notæ Conſtitut. 254
Eutychius Patriarcha Alexandrinus. 12
Exorciſtarum ordinatio conſtitutionibus vetita. 267

F.

Fabricius. 272
Felix Judææ Præfectus. 17
Feſtus Judææ Præfectus. 17, 19
P. Feuillé. 171
Firmilianus. 9, 270
Avilius Flaccus. 210, 211
Flaviorum æra. 310

Digitized by Google

pag.

G.

Gavius. 202
Geminorum conſulatus, quo paſſus ſtatuitur Chriſtus. 57
Georgius Alexandrinus. 252
Glaucias Petri interpres. 116
præceptor Baſilidis. 130
Gnoſtici. 127
Gratus Aſiæ Proconſul. 135
Gregorius Nazianz. 252. 257

H.

Hadrianus. 126
Hæreſes nonnullæ. 125
Hæretici non ſtatim ex Eccleſia pulſi. 118. 131—133
Th. Harcalanus. 251
Harduinus. 314
Hegeſippus. 7. 21. 72. 154. 159
Heracleon Cerdonis magiſter. 5
Valentini diſcipulus. 127
Hermas. 30. 68. 254
Herodes Antipas Tetracha. 213. 215
—— Rex Chalcidis. 308
—— Nicetæ filius. 167. 183
Hieronymus. 251
Hierotheus Dionyſii magiſter. 288. 289
Hippolytus Portuenſis. 8. 271
Hirius. Vid. La Hir.
Hottingerus. 255
Hyginus. 40. 93. 157
Hymnus. 275. 278

I.

Jacobus Juſtus. 70
—— Epiſcopus Hieroſol. 61
cui primas cedit Petrus. 61
Idacius. 201

pag.

Jejunium. 245. 247. 250. 151. 277
—— Thebeth. 59
Ignatius. 84. 92. 236. 274. 287
ejus acta. 92
Epiſtolæ. 230. 279. 280
Innocentius Papa. 251
Joël chronographus. 130
Johannes non ita diu vixit, ut creditur. 74
Joſephus quando natus. 59
—— de Jacobi Juſti morte. 71
—— ſuam ſcripſit vitam anno 94. eodem tempore quo Antiquitates. 301. 313
Irenarcha. 165. 167. 183. 186
Irenæus. 7. 49. 67. 74. 126. 134. 166. 188. 194. 275. 276
—— ſub Victore vivebat. 219
ejus ambigua phraſis. 52. 54
Iſidorus Baſilidis filius. 130
Ittigius lapſus. 128
Judæi ſæpe Græca habebant nomina. 50
cum Chriſtianis aliquando confuſi. 51
eorum legatio ad Cajum Caligulam. 213
Excidium anno 70. 309
Judaicarum rerum hiſtoria ſub Caligula. 210
Judaicum bellum cœpit anno 66. 309
Junius. 171
Juſtinus martyr. 76. 95. 108. 126. 235. 236. 274. 276.
Ejus Apologia minor ſcripta anno Antonini Pii penultimo. 96. 104
Major & prima. 104. 106
Juſtus Tiberienſis edidit hiſtoriam ſuam, Agrippâ Juniore mortuo. 301. 310. 313
—— a Veſpaſiano capitis damnatus,

Digitized by Google

pag.

tus, ab Agrippa liberatus. 302

L.

Lactantius. 233
La Hir. 172. 176
Lampridius. 131
Legio Chriſtiana. 138
Liber Pontificalis. 43
—— Matthiæ tributus. 276
Liberianus catalogus. 80. 94
Linus Ep. Rom. 21. 40. 42. 54. 64.
à Petro conſtitutus, præfuit Judæis. 67
Liturgiæ. 275
Livelejus. 165
Lucianus ſeu Lucius Charinus. 7. 268. 278
Ludi communes Aſiæ Smyrnæ acti. 101
—— Lugdunenſes. 208
Lydda. 306

M.

Mænacterion menſis. 240
Joh. Malela. 88. 89
Marcella. 158
Marcellina. 131
Marcion. 110. 113. 119. 134. 151
Marcus menſium Syro-Macedonicorum notitiam dat. 189
Marcus Alexandrinus. 257
Martyres Lugdunenſes. 207
Matthiæ liber. 2, 6
Maximilla. 137. 139
Melito. 196. 220
Menæi. 291
Menander. 130
Menſæ templorum Altaria dictæ 263
Menſes Gazenſium ſeu Syro-Macedonum, menſibus Ægyptiis Æthiopicisque reſpondent. 190
—— Sex vel quatuor, plerumque quinque diebus Julianos præcedunt. 189
—— duo, meſſi aſſignati. 215
Metaphraſtes. 62
Methodius. 289
Metropolitanorum nulla in conſtitutionibus veſtigia. 266
Miltiades. 137. 138. 146
Montanus. 135. 146. 147. 149.
Montaniſtæ, 149

N.

Narciſſus. 267
Neocoræ civitates. 201
Nerva & Verus quinam conſules. 47
Nicephorus Caliſtus. 256
—— Conſtantinopolitanus. 256
—— Catalogi ejus mendum. 73
Nicetas. 167. 183. 230
Nili exundatio, quo tempore. 212
Niſan menſis. 172. 173
Noriſius. 178
Novatianus. 54
Novilunium civile. 175. 203
Numero rotundo uti, non ſemper licet. 105

O.

Olympici ludi in Neronis gratiam dilati. 217
Onuphrius. 159
Optatus. 29. 154
Oratio dominica quando dicta. 277. 279
Ordines majores tres, pauci minores in Conſtit. memorati. 268
Origenes. 9. 237. 267. 270. 281
Oſtiariorum ordinationis nulla mentio in Conſtitutionibus. 268

P.

Pachon menſis. 241
Pachymeres (Georgius). 289
Pædobaptiſmus. 270
Pagius. 97. 143. 144. 180. 201. 208. 217
Pal-

Digitized by Google

pag.
Pallantis tempus. 17
Papias Hierapolitanus. 6. 74. 282
Paracoda Dionyſii Viennenſis ſucceſſor. 221
Περιόδευσις ἀποστολική. 271
Paraſceve. 202
Parœciæ plures unam diœceſin conſtituentes uni Epiſcopo parebant & à Presbyteris regebantur. 266
Paſchatis controverſia. 219
Paſcha cum Judæis celebratum. 244. 270
—— die dominicâ celebrandum. 221. 222. 243
Patres infidas citationes fecerunt. 246
Paulus an. 56. Romam venit. 19. 58. 59
ubi tunc Petrus non erat. 16. 58
ejus Epiſtola 2. ad Timotheum paulo ante mortem ſcripta, 52. 63
ejus martyrium. 60. 63
Pax quatuordecennalis. 139
Pearſonius, 17. 41. 54. 59. 84. 111. 119. 136. 153. 158. 160. 168. 273. 274. 292. 298
Pedo conſul perit in Antiocheno terræmotu. 89
Perſequutio nulla contra Chriſtianos, quâ morte plecterentur, ante Neronem exceptis Judæis. 4. 62
—— generalis Trajano auctore quæ ceſſat anno 125. 83. 92
—— Severo imperante. 140. 149
—— M. Aurelio imperante. 149
quæ ceſſat anno 174. 196
—— Antonino Pio imperante. 149
quæ deſinit anno 150. ſtatim poſt Polycarpi mortem. 196
Petavius. 136. 236. 240
Petronius Judææ Præſes. 214. 215
Petrus ſucceſſionis Romanæ caput. 2
ſub Nerone Romam venit. 10. 14. 56
Epiſcopum Romæ conſtituit. 20
ibi biennium manet. 57
primas Jacobo cedit. 91
Ejus acta, periodi, prædicationes. 6. 33
prædicationis auctor. 5
Judicium vel Duæ Viæ 282
Simonem magum infeſtantis traditio. 15
de ſeſſione 25. annorum Romæ fabulæ origo. 14
Martyrium. 60. 63
Pfaffius. 277
Pharmuthius menſis. 191. 241
Philadelphia. 306
Philaſtrius. 128
Philippus Cretenſium Epiſc. 267
—— Trallenſis Aſiarcha. 167. 183
Philo. 210
Philoſtratus 183
Philoſtorgius. 250
Philumena. 118
Phlegon. 299
Photius. 228. 230. 302. 313
Pionius. 168. 185. 188. 203
Pii Imperatores dicti. 97
Pius Epiſc. Rom. 150. 152. 153
Plenilunium civile. 175
Plinius ſecundus. 275. 276
Polycarpus ab Apoſt. Johanne Epiſc. ordinatus. 164. 166. 199. 201
Polycrates. 267
Pompejana æra. 303. 306
Pontianus. 161
Pontificalis liber. 43
Porphyrius Gazenſis. 189
Potterus. 115. 127
Praxeas. 148
Precationes. 275
die dominicâ ſtando habitæ. 277
Presbyteri. 268

pag.

cum Epiſcopis confuſi. 274
—— plures, plurium Eccleſiarum uni capiti non parebant. 55. 266
Primaſius. 149
Primatum nulla mentio in conſtitutionibus. 266
Priſcilla. 137. 147
Proclus Conſtantinop. 251
Proconſulatus vel Proconſularis Provincia etiam ſuffectis conſularibus tradebatur. 181
in Provinciis novis Epocha inſtituebatur, fidei erga Romanos monumentum. 303
Pſeud-Areopagita. 285
Pſeudo-Chryſoſtomus. 250
Pſeudo-Clemens. 278
Ptolemais. 305

Q.

Quadratus. 167. 177. 181
Quinquennalia. 201
Quirinus. 104

R.

Rabbath, Rabbathamena. 306
Recognitiones. 6. 32
34. 273. 276. 277. 278
earum auctoritas. 34. 70
Ritus Eccleſiaſtici. 261. 262. 264.
273. 274
Rivinus. 171
Romana Eccleſia, quando fundata. 49
—— ſedes vacavit per totum fere annum 106. 83
Ruffinus Recognitionum interpres. 35. 44
Ruinartus. 188
Ruſticus. 109

S.

Sabbathum magnum. 169
Sabbathi obſervatio conſtitutionibus injuncta. 264. 275

pag.

Sacerdotes mali, qui? 249
Sæculi primi res tenebris plenæ. 74
Saturninus. 130. 131
Scaligeri opus Eruditos hactenus fallens. 298
Schelſtratenus. 160. 201
Sebaſte. 305
Sedes Romæ aliquandiu vacat. 83
Serapio. 137
Sextus M. Aurelii præceptor. 103
—— Julius Africanus. 9
Simeon Epiſcopus Hieroſolym. Jacobi ſucceſſor. 73. 132
Simon Magus. 15. 276. 283
—— hæreticorum primus. 116
Sixtus vel Xyſtus Epiſc. 83
Socrates. 185
—— hiſtoricus Eccleſiaſticus. 250
Soter. 149. 204
Statua C. Caligulæ in templo Hieroſol. collocanda. 214
Stephanus. 271
Subdiaconi. 268
Suetonii error. 210. 216
Suidas. 289. 291
Suræ mors. 87
Sybillina oracula. 276
Symbolum conſtitutionum, catechumenis recitandum, diſtat a poſterioribus. 268
Symphoroſa. 187
Syncellus. 271. 298
Synaxes quotidie indicantur in Conſtitut. 246. 247. 275
Syneſius Ptolemaid. 295. 256
Syntagma doctrinæ Athanaſii. 253
Syro-Macedonici menſes. 189

T.

Teleſphorus Epiſc. Rom. Sixti ſucceſſor. 92. 163
Templa Chriſtianorum, quando erecta. 262. 263
Terræ motus Antiochenus. 88

Ter-

Digitized by Google

pag.

Tertullianus. 206. 233. 265. 267
explicatur. 118. 148
ejus error. 129
Teſſares cœdecatitæ. 244
Thebeth jejunium. 59
Theodas ſeu Theudas Pauli comes, Valentini magiſter. 118
Theologici libri. 269
Theophaniæ. 243
Theophilus. 267
Alexandrinus Cyrilli ſucc. 295
Arianus Æthiopas in ſidem confirmavit. 252
Tiberianus Syriæ præſes. 92
Timotheus Dionyſii Alexandrini filius. 293. 295
Conſtantinopolitanus. 249
Tisri menſis. 212
Traditiones ut arcanum ſervatæ. 269. 286
Trajanus perſequitur Chriſtianos, & ceſſat anno 115. ob Tiberiani relationem. 85. 92
quando Parthicus dictus. 85
quando Armeniacus. 86
ejus iter Antiochenum. 84
Error in ejus anno tertio. 74
Tranſſubſtantiatio. 294
Circa Trinitatem, conſtitutionum doctrina. 234. 265
& Patrum Ante-Nicænorum, 235. 293
Triphon. 276
Tybus menſis. 240

pag.

U.

Valentinus Romam venit anno 120. Higino ſedente & Trajano imperante. 113. 125. 127. 131. 152
Valentinianorum origo. 125
Valeſius. 116, 168. 180
L. Verus Marci Philoſophi non filius, ſed ex adoptione frater. 98. 105
Nerva & Verus, qui conſules? 248
Duæ Viæ. 282
Victor Eleutheri ſucceſſor. 7. 218
ejus Epiſtolæ duæ. 221
Victorinus. 126
Vigiliæ in Azymorum feſto agendæ. 245
Vinum in S. Cœna cum aqua miſtum. 274
de Virginibus. 269
Ulpianus Chriſtianorum inimicus. 140
Vologeſus. 181
Urbicus Praetorio Praefectus. 99. ſeqq.
Uſſerius. 165. 185. 239. 253. 255 256. 273
Wanſlebius. 211

X.

Xanthicus menſis. 167. 189. 191
Xyſtus. Vide Sixtus.

Z.

Zamaritae. 300
Zephyrinus 149
Zonaras. 256

FINIS.

005665200

Digitized by Google

Digitized by Google